DISSERTATIO THEOLOGICA.

DISSERTATIO THEOLOGICA,

PAULI ANTHROPOLOGIAM

EXHIBENS,

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

RECTORIS MAGNIFICI

NICOLAI MULDER,

M. M. PHIL. NAT. ET MED. DOCT., IN FACULT. DISC. MATH. ET PHYS. PROF. ORDIN., ORDINIS LEONIS NEERL. EQUITIS,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

VENERANDAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA GRONINGANA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO OMNIUM EXAMINI SUBMITTIT

DIDERICUS HERMANNUS HENRICUS TIJSSEN,

LEOVARDIA-FRISIUS,

S. S. MINISTERII CANDIDATUS.

D. XXI APRILIS A. MDCCCXLVII, Horâ XII.

GRONINGAE,

Apud J. B. WOLTERS,

Bibliopolam.

Οὐδὲν τοίνυν ἀπεικὸς, οἷον τινας κώνωπας, καὶ ἡμᾶς σὺν ταῖς μελίτταις τοὺς ἀποστολικοὺς περιβομβῆσαι λειμῶνας.

THEODORETUS.

Typis A. OOMKENS J. FIL.

VIRO PLURIMUM VENERANDO

JOHANNI LEONARDO WOLTERBEEK,

COETUS CHRISTIANI IN URBE AMSTELODAMENSI QUONDAM ANTISTITI, ORDINIS LEONIS NEERLANDICI EQUITI,

COGNATO CONJUNCTISSIMO,

ET

MATRI CARISSIMAE

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS SACRAS ESSE JUBET

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Grave difficillimumque sane est argumentum, quod tractandum suscepi, neque dubito, quin futuri sint multi, quos mirari subeat, juvenem, qui propter aetatem nondum multum in disciplinis Theologicis proficere potuerit, de summi Apostoli Anthropologia *specimen edere ausum esse. Diffiteri nolo, tale judicium veritatis nomine sese commendare; unice admonitos velim hosce judices, ut observent, argumentum aliquod, quo plus habeat difficultatis, eo etiam majorem afferre posse utilitatem. Hoc vel maxime quadrat in* opusculum, *quod nunc virorum doctorum examini submitto; etenim, quot ex illo elaborando in me redundarint fructus, difficile dictu est. Percipere nimirum incepi, multum saepius peccari in* Scriptorum sacrorum *notionibus anthropologicis explicandis, propterea quod et antea fuerunt, et etiamnum sunt, qui placita sententiasque, quae* hodie *circumferuntur, in* illos *transferant viros; quanta autem*

inde oriatur confusio, quanta caligine multa Auctorum sacrorum *placita obvolvantur, unicuique, satis attendenti, perspicuum erit. Ab altera vero parte, quantae sit frugis diligentes de illis notionibus disquisitiones instituere, illasque, prisci aevi rationi convenienter, quoad ejus fieri potest, in lucem protrahere, et aliae docuerunt hoc tempore commentationes, et disputatio illa luculentissime demonstrat, quam nuperrime vir doctissimus* GRIETHUYSEN *edidit:* De notionibus vocabulorum σῶμα et σάρξ, in Novi Testamenti interpretatione distinguendis. *Quod autem ille egregie observavit et exposuit, eas voces plane a se invicem discedere, et ita dicta multa difficiliora lucem accipere, gravissimaque dogmata longe aliter, quam saepius factum est, intelligenda esse, idem etiam de vocibus* πνεῦμα, ψυχή *aliisque, ni fallor, valet.*

Quodsi jam ad commentationem meam oculos converto, procul absum a cogitatione, me absoluti quid praestitisse; etenim, quot quantaque in eo desiderentur, quanto melius uberiusque multa explicari potuissent, persentio. Sed spes mihi affulget, fore, ut viri docti cum lenitate recipiant hasce studiorum primitias, ut teneant, suos esse dissertationi limites, talemque igitur scriptionem non omnia, ab omni parte dilucida, continere posse. Hoc vel maxime ob oculos habeant, rogo, ubi ea legant, quae de criticorum, *praesertim* Tübingensium (BAURI, SCHWEGLERI, KÖSTLINI), *disquisitionibus, vel in* PAULI epistolas, *vel* in *ejusdem* orationes *institutis, observavi. Quae contra* has *protulerunt* critici *argumenta, ut ostenderent, easdem a*

PAULO *profectas esse non posse, vel saltem non prorsus veritati convenienter nobis traditas esse, commemoravi, et quantum erat situm in me, refutavi, quia ita ferebat scriptionis meae ratio; non vero omnia, quae exposuerunt, ut evincerent, complures* epistolas PAULO *abjudicandas esse, citavi,* et *quia id ad rem nostram necessarium non erat,* et *quia tum haecce dissertatio in immensam crevisset molem. Unum alterumque tantum argumentum, data opportunitate, in lucem protraxi, et, quatenus valeret, ostendere tentavi.*

In paucis unice opusculi capitibus, in quibus id, me judice, exigebatur, ad VETUS FOEDUS, *hujus* libros Apocryphos, NOVUM FOEDUS *totum oculos converti; quodsi enim hoc constanter rite ordinateque persequi voluissem, non solum nonnulla dicta ex illis scriptis mihi delibanda fuissent, sed etiam continuo ostendere debuissem, quatenus cum* PAULI *sententiis eae, quae apud alios* Scriptores sacros *occurrunt, conveniant, quatenus discrepent, quanam ex causa utrumque derivandum sit. Tales vero disquisitiones, identidem repetitae, immensum juvenilibusque viribus majorem exegissent laborem. Sed quid plura? Ipsa dissertatio, ut spero, docebit, me ea, quae potui, praestitisse.*

Antequam ulterius progredior, sanctissimum atque jucundissimum mihi incumbit officium, fautoribus, praeceptoribus *atque* amicis *valedicere, iisque pro beneficiis, in me collatis, et caritate, erga me praestita, gratum obtestari animum.*

Primum te appello, vir plurimum venerande! cui hasce studiorum primitias sacras esse jussi, arctissimum vinculum recolens, quo tecum conjunctus sum patris carissimi, mihi morte erepti, memoria. Concedat tibi Deus suavem continuo longamque quietem post multos strenuosque labores, in aliorum commodum institutos.

Vos, viri clarissimi! quos in disciplinis Mathematicis Physicisque, in Philosophia Litterisque humanioribus duces habui, optime de me meritos esse, solemni hac opportunitate lubentissime profiteor.

Tui *prae caeteris, clarissime* ROVERS! *quem tam in Athenaeo Franequerano, quam in hacce Academia audire mihi licuit, numquam immemor ero,* tui, *qui me institutione egregia excitasti, optimis monitis me prosequi voluisti, numquam in auxilio praestando mihi defuisti!*

Quales in te conferam laudes, clarissime JUYNBOLL! *pro omnibus summae benevolentiae documentis, quibus me cumulasti. A primo inde tempore, quo in studia incumbere incepi, usque ad diem, quo Lugdunum profectus es, tua me ornasti amicitia, continuo me adhortatus es, ut Litteris orientalibus, quarum patrocinium egregie summoque cum studio atque fervore agis, operam navarem, tu mihi diserte exposuisti, quot quantique fructus ex illis Litteris in Theologiam redundent. Vel maxime mihi in votis est, ut aliquando plus temporis, quam nunc licuit, illis impendere possim, et ita re factoque ostendere, qualis mihi fueris praeceptor atque fautor. Vale, vir egregie! et perge, prouti aliquando*

huic Academiae, ita nunc Lugduno-Batavae, esse ornamento!

Tandem ad vos accedo, viri clarissimi! quorum institutione in disciplinis Theologicis usus sum. Vobis singulis palam valedicere et enixe optare, ut vos continuo tales experiar, quales ad hunc usque diem expertus sum, dulcissimum mihi est.

Te, clarrissime MUURLING! *primum Franequerae adire mihi licuit, dein, postquam per annum virum clarissimum* SCHOLTEN, *in ejus urbis Athenaeo egregie exegesin tradentem, audiveram, tuis in hacce Academia interfui scholis, tuam frequentavi domum, et constanter percepi, te optimum esse praeceptorem studiorumque adjutorem. Tu, clarissime* HOFSTEDE DE GROOT! *tam publice, quam privatim mihi ostendisti, qua via atque ratione in disciplinis Theologicis procedendum sit. Tibi, clarissime* PAREAU! *et pro institutione eximia, qua in scholis tuis usus sum, et pro auxilio, quod mihi, dissertationem hancce scribenti, indefesse atque summa cum humanitate obtulisti, me intime devinctum sentio. Accipite vos omnes intimas gratias pro iis caritatis signis, quibus tum demum me satisfecisse putabo, si in reliquo vitae spatio iis non indignus fuisse comperiar.*

Tibi etiam publice gratias ago sinceras, doctissime VAN HERWERDEN! *pro benignitatis amicitiaeque testimoniis, quae semper a te accepi.*

Non possum non in hujus praefationis clausula vos alloqui, optimi amici! *quibuscum in alma hacce Musa-*

rum sede, studiis operam dedi, vos praesertim, quibuscum societate, cui **Μουσείου** *nomen erat, conjunctus fui; unicum hocce profiteri sufficiat, vos non* **στενοχωρεῖσθαι ἐν ἐμοί**, *prouti satis compertum habeo, me non* **στενοχωρεῖσθαι ἐν τοῖς σπλάγχνοις ὑμῶν.**

CONSPECTUS.

DISQUISITIO PRAEPARATORIA.

§ 1.

De anthropologiae notione . . . . . p. 1.

§ 2.

Quid sit anthropologia PAULI, *breviter exponitur* . . . . „ 2.

§ 3.

De fontibus, ex quibus PAULI *anthropologia peti debet* . . . . „ 3.
A. *De scriptis* . . . . „ „
B. *De* PAULI *orationibus dictisque, in Actis Apostolorum inveniundis* . „ 20.

§ 4.

Quaenam sit PAULI *anthropologiae universa indoles ex Apostoli dictorum orationumque, quae in Actis Apostolorum inveniuntur, cum sententiis primariis, in epistolis obviis, comparatione efficitur* . . . . „ 24.

PARS I.

DE HOMINIS NATURA.

CAPUT I.

DE HOMINIS NATURA UNIVERSE.

§ 1.

Indicatur, qua ratione PAULUS *suas de hominis natura sententias communicet* . p. 65.

§ 2.

De naturae humanae trichotomia, in PAULI *scriptis inveniunda* . . . . „ 67.

§ 3.

De vi vocis πνεῦμα . . . . „ 73.

§ 4.

In notionem vocis ψυχή *inquiritur* . . „ 83.

§ 5.

De voce σῶμα *deque discrimine, eam inter et vocem* σάρξ *intercedente* . . . . „ 92.

§ 6.

Conclusio . . . . „ 113.

CAPUT II.

DE SINGULIS HOMINIS VIRIBUS SIVE FACULTATIBUS, DE PECULIARIBUS CARNIS AFFECTIONIBUS ET DE HARUM ILLARUMQUE MUTUA RATIONE ATQUE CONJUNCTIONE.

§ 7.

De singulis hominis viribus sive facultatibus et de peculiaribus carnis affectionibus . . . . p. 116.

§ 8.

De harum virium sive facultatum et peculiarium carnis affectionum mutua ratione atque conjunctione . . . . „ 149.

CAPUT III.

DE MODO, QUO HOMO, TALI NATURA PRAEDITUS TALIBUSQUE INSIGNIS FACULTATIBUS, EXPLICARI POTEST.

§ 9.

De hominis explicatione ope manifestationis Dei, in rerum natura datae . „ 152.

§ 10.

Disquiritur, ex quonam fonte PAULUS *sententias de hominis explicatione Dei manifestationis ope petiverit* . . . . „ 163.

PARS II.

DE HOMINE PECCANTE.

Introitus . . . . p. 176.

CAPUT IV.

DE CAUSA, CUR HOMO PECCARE POSSIT, DE PECCATI STIMULO EJUSQUE IN GENERE HUMANO ORTU.

§ 11.

De causa, cur homo peccare possit . . „ 180.

§ 12.

De peccati stimulo . . . . „ 185.

§ 13.

De peccati in genere humano ortu . . „ 208.

§ 14.

Conclusio . . . . „ 225.

CAPUT V.

DE PECCATI INDOLE, MANIFESTATIONE ATQUE PROGRESSU.

§ 15.

De peccati indole . . . . „ 227.

§ 16.

De peccati manifestatione . . . . . . „ 234.

§ 17.

De peccati progressu . . . . p. 242.

CAPUT VI.

DE VI, QUAM PECCATUM IN HOMINIS NATURAM ATQUE FACULTATES EXERCET, DEQUE PECCATI SEQUELA, CUM ISTA VI ARCTISSIME CONJUNCTA.

§ 18.

De vi, quam peccatum in hominis naturam atque facultates exercet . . . „ 244.

§ 19.

De peccati sequela, cum ista vi arctissime conjuncta . . . . „ 260.

CAPUT VII.

DE RATIONE, QUAE INTER HOMINEM PECCANTEM GENUSQUE HUMANUM, PECCATO DEDITUM, ET REGIMEN DIVINUM INTERCEDIT.

§ 20.

Indicatur, qua ratione homo experiatur, vel saltem experiri possit, se a Deo deflexisse . . . . „ 270.

§ 21.

Exponitur, quomodo Deus suum animum erga peccatum humanum patefaciat . „ 272.

§ 22.

Deo Moderatore effectum est, ut genus humanum, peccato deditum, ad CHRISTUM *praepararetur* . . . . p. 277.

PARS III.

DE HOMINE, CUM CHRISTO CONJUNCTO.

Introitus . . . . . „ 284.

CAPUT VIII.

DE LOCO, QUEM IN GENERE HUMANO OBTINET CHRISTUS.

§ 23.

CHRISTUS, *homo perfectus atque prorsus divinus* . . . . „ 285.

§ 24.

CHRISTUS, *generis humani instaurator* (*alter* ADAMUS) . . . . „ 292.

CAPUT IX.

DE LIBERATIONE A PECCATO, PER CHRISTUM EFFECTA.

§ 25.

Exponitur, qua ratione Deus per CHRISTUM *liberationem a peccato homini generique humano exhibeat* . . . . . . „ 294.

§ 26.

Ostenditur, qua ratione homo hanc liberationem a peccato suam facere possit . . . . p. 300.

§ 27.

Haec ratio prorsus hominis naturae atque conditioni est consentanea . . „ 317.

CAPUT X.

DE NATURAE HUMANAE PROGRESSU, PER CHRISTUM ALLATO, DEQUE CONTINUA HOMINIS GENERISQUE HUMANI PER INSTITUTIONEM, CHRISTO INTERCEDENTE, CONCESSAM, EXPLICATIONE ATQUE PERFECTIONE.

§ 28.

De naturae humanae progressu, per CHRISTUM *allato* . . . . „ 320.

§ 29.

De continua hominis generisque humani, per institutionem, CHRISTO *intercedente, concessam, explicatione atque perfectione* . . . . „ 341.

FINIS.

DISQUISITIO PRAEPARATORIA.

§ 1.

De anthropologiae notione.

Anthropologia, ut nomen ipsum satis indicat, disquisitio est de *homine*, corpore spirituque constante, atque de hujus illiusque ratione tali, ut utroque unum totum constituatur; exponit insuper eadem doctrina, quaenam conjunctio, ab una parte cum Deo, ab altera cum mundo suique generis sociis adsit *homini*; quibusnam *hic* insignis sit affectionibus, viribus facultatibusque; quomodo eae sensim evigilent atque explicentur; qua ratione denique haec explicatio cum promoveri, tum turbari possit, ut consilium, quo vivit, magis minusve feliciter assequatur *homo*. Quo magis igitur docte explicatur, eo magis anthropologia pertinet ad philosophiam, quippe cujus primaria provincia etiam haec est, ut de industria, accurate atque diligenter de *homine* disquirat; omnia, quae *hunc* spectent, summo cum studio enucleet, recte ordi-

nateque in lucem protrahat atque aliis exhibeat. Recentiore tempore summi viri eam, de qua disserimus, doctrinam, data opera, sed varia admodum ratione, tractarunt, inter quos KANTIUM (1), STEFFENSIUM (2), HEGELIUM (3), DAUBIUM (4), LINDEMANNUM (5), KRAUSII discipulum, nominasse sufficiat.

§ 2.

Quid sit anthropologia PAULI, *breviter exponitur.*

Ratio, qua magni hi, quos nominavimus, viri in scriptis suis philosophicis procedunt, prorsus differt a tali disquisitione, qualis instituitur de insignis cujusdam viri anthropologia, sive ejus placitis totaque cogitandi ratione de homine. Illi enim continuo ex sua ipsorum investigatione atque peculiaribus propriisque observationibus progrediuntur; ad ea, quae jam antea prolata sunt cogitata, strenue omnino attendunt, sed ita, ut haec ipsa secundum sua in-

---

(1) In opere: *Anthropologie in pragmatischer Hinsicht*, 1807.

(2) In op.: *Anthropologie*, II, 1822. Agit hic scriptor breviter de iis, qui ante eum, praeter KANTIUM, anthropologiam conscripsere, I, p. 1 sqq. — De hujus doctrinae ambitu etiam disserit FRIES, *Handbuch der psychischen Anthropologie, oder der Lehre von der Natur des menschlichen Geistes*, II, 1820—1821, I, p. 1 sq.

(3) Hic brevem anthropologiae exhibet conspectum in op.: *Encyklopädie der philosophischen Wissenschaften im Grundrisse*. ed. IV, 1845, p. 348 sqq.

(4) In op.: *Vorlesungen über die philosophische Anthropologie*, 1838.

(5) In op.: *Die Lehre vom Menschen oder die Anthropologie*, 1844.

venta vel probent, et tum demum iis utantur, vel accuratius eadem definiant ulteriusque explicent, vel etiam rejiciant.

Is vero, qui insignis cujusdam viri placita de homine, et per se spectata, et inter se conjuncta, exponere studet, historice ex iis, quae ille memoriae mandavit, scriptis vel ejusdem orationibus dictisque memorabilioribus, quae nobis ab aliis sunt servata, procedit; his et praecipue illis convenienter ostendit, quaenam sententia in tali viro dominari soleat, quomodo ad hanc omnes reliquae ejus sententiae referri queant, et inter se mutuo veluti vinculo sint conjunctae. Potest insuper disquiri, quatenus eae veritati vel potius placitis, quae hodie tamquam vera agnosci solent, conveniant; sed talis disquisitio, utut utilissima, non prorsus necessaria est dicenda.

Nostrum est propositum in hacce dissertatione *de* PAULI *anthropologia agere*, id est, simpliciter ejus *de homine cogitandi rationem enucleare*, missa peculiari crisi de ejus veritate atque pretio, quae vel sponte sua satis perspicientur. Quia vero peti cognoscique debet PAULI *anthropologia* ex scriptis dictisque hujus *Apostoli*, primum de illis, tum de hisce paucis nobis est videndum.

§ 3.

De fontibus, ex quibus PAULI *anthropologia peti debet.*

A. *De scriptis.*

Fontem nobis primarium praebent tredecim *Apostoli* epistolae. *Epistola* enim *ad Hebraeos*, quamquam

PAULI ingenio minime indigna est censenda (1), multaque continet, quae ab illius cogitandi sentiendique ratione non abhorrent (2), ejus tamen nomen haud prae se fert; praeterea alia etiam nobis praebet, qualia illius sententiis non quidem contraria sunt, sed tamen ab hisce aliquatenus deflectunt (3); alia omittit, de quibus ille in epistolis suis semper loqui solet (4); in dicendi, argumentandi (5), Veteris Foederis effata citandi (6) ratione PAULUM minus redolet; nonnulla denique, quae apud *eum* nondum prorsus explicita sunt, *eadem epistola* egregie atque ab omni parte exposita nobis exhibet (7). Hinc non mirum, tam antiquiore, quam recentiore tempore, haud defuisse viros doctos, eam PAULO tribuendam esse, vel in dubium vocantes, vel diserte negantes (8), atque censentes, eam a viro, Apostoli principiis imbuto, conscriptam esse, sive ab APOLLINE, quod no-

(1) Conf. de hac epistola BLEEK, *Der Brief an die Hebräer, erläutert durch Einleitung, Uebersetzung und fortlaufenden Commentar*, 1828—1840, I; neque negligantur, quae de ratione scriptorem ejus epistolae inter et PAULUM, illiusque epistolam ipsam hujusque scripta intercedente egregie observavit NEANDER, *Geschichte der Pflanzung und Leitung der christlichen Kirche durch die Apostel*, ed. III, 1841, II, p. 725 sqq.

(2) Conf. BLEEK, in c. l., I, p. 315 sqq.

(3) Conf. id. in c. l., I, p. 273 sqq., 303 sqq.

(4) Conf. id. in c. l., I, p. 302 sqq.

(5) Conf. id. in c. l., I, p. 324 sqq.

(6) Conf. id. in c. l., I, p. 338 sqq.

(7) Vid. infra.

(8) Conff. BLEEK, in c. l., p. 95 sqq., DE WETTE, *Lehrbuch der historisch-kritischen Einleitung in die kanonischen Bücher des Neuen Testaments*, ed. IV, 1842, p. 284 sqq., 291 sq.

bis, ad BLEEKII argumenta attendentibus, maximopere probabile videtur (1), sive ab alio viro *Paulino* nobis ignoto (2).

Sed etiam inter tredecim epistolas, quae PAULI nomen prae se ferunt et per longum temporis spatium unanimo fere consensu ei tribūtae sunt, complures inveniuntur, quae hisce diebus ei abjudicantur.

Antesignanus in hacce critica de epistolis *Paulinis* disquisitione dici meretur SCHLEIERMACHERUS, qui acutissime atque acerrime *priorem ad* TIMOTHEUM *epistolam* spuriam esse probare studuit (3). Mox latius progressa est ea disquirendi ratio; ita EICHHORNIUS *tres epistolas pastorales*, quae dicuntur, PAULO abjudicavit (4); quem secutus est DE WETTIUS, simul

---

(1) Haec jam fuit LUTHERI sententia (opp. ed. WALCHII, XII, p. 1996); alios citat BLEEK, in c. l., I, p. 315 sqq.; ad eandem sententiam recipiendam etiam proclivis est CREDNER, *Das Neue Testament nach Zweck, Ursprung, Inhalt für denkende Leser der Bibel*, 1841—1843, I, p 326; illam vero magna difficultate non vacuam esse, ostendere conatus est DE WETTE, *Einl.*, p. 296, *Kurzgefasstes exegetisches Handbuch zum Neuen Testament*, II, 5, 1844, p. 129.

(2) Sic cogitarunt de BARNABA, LUCA, SILA, aliis. Conff. BLEEK, in c. l., I, p. 403 sqq., DE WETTE, *Einl.*, p. 294 sqq.

(3) In scriptiuncula: *Ueber den sogenannten ersten Brief des* PAULOS *an den* TIMOTHEOS. *Ein kritisches Sendschreiben an* J. C. GASS, 1807. Ipso SCHLEIERMACHERO teste (in scr. l., p. 21 sq.) jam ante eum suspicionem de hujus epistolae authentia movit SCHMIDT, *Einleitung in das Neue Testament*, ed. I, 1804, II, p. 260; quia ea, quae in hac vel commemorantur vel respiciuntur, minus conveniant cum relationibus in *Actis Apostolorum* obviis; attamen idem etiam eam suspicionem removere tentavit.

(4) In op.: *Einleitung in das Neue Testament*, III, 1, p. 315 sqq. Caeterum tam hujus, quam reliquorum criticorum, authentiam harum

tamen ad novam disquisitionem instituendam provocans criticos (1); SCHOTTIUS, easdem *forsitan* a LUCA profectas esse, conjecit (2); dubitanter de iis locutus est SCHRADERUS (3). CREDNERUS *epistolam ad* TITUM, si quatuor primos primi capitis versus excipias, a PAULO esse compositam, *posteriorem ad* TIMOTHEUM ex duabus scriptiunculis genuinis et ex spuriis additamentis conflatam esse censuit; *priorem ad* TIMOTHEUM harum exemplo compositam esse existimavit (4); dein hanc hypothesin deseruit et, eas epistolas haud authenticas esse, defendere sustinuit (5). BAURUS jam ante eum idem pronuntiaverat judicium, pariterque sedulo investigavit, quonam tempore, quam ob causam, qua ratione scripta, de quibus agimus, exstiterint (6). DE WETTIUS suum

---

epistolarum impugnantium, argumenta accurate refert MATTHIES, *Erklärung der Pastoralbriefe, mit besonderer Beziehung auf Authentie und Ort und Zeit der Abfassung derselben*, 1840, p. 16 sqq.

(1) In op.: *Einl.* ed. I (1826); cll. ed. IV, p. 277.

(2) In op.: *Isagoge historico-critica in libros Novi Foederis sacros*, 1830, p. 324 sqq.

(3) In op.: *Der Apostel* PAULUS, 1830—1836, II, p. 368.

(4) In op.: *Einleitung in das Neue Testament*, 1835, I, p. 478 sqq.

(5) In op. l., II, p. 96 sqq.

(6) In opusculo: *Die sogenannten Pastoralbriefe des Apostels* PAULUS *aufs neue kritisch untersucht*, 1835. Statuit BAURUS consilium primarium, quo hae epistolae scriptae sint, esse oppugnationem haereticorum; hosce autem fuisse Gnosticos et accuratius Marcionitas (in opusc. l., p. 11 sqq.), Romae vigentes; ibidem etiam floruisse partes *Judaeo-christianas* Marcionitis e diametro oppositas, quarum indoles ex *homiliis pseudo-Clementinis* cognoscatur; in eadem denique ecclesia quoque adfuisse partes, putat ille, ab utris-

judicium antea prolatum ulterius confirmavit (1); quamquam BAURI judicium de tempore, quo eadem scripta exstiterint, suum se haud facere posse pronuntiavit (2). NEANDER denique de *priore ad* TIMOTHEUM *epistola* sola dubia protulit (3); eandem *Apostolo* indignam esse, USTERIUS est arbitratus (4).

---

que hisce, quas commemoravimus, discedentes *Paulinas*, et ex hisce prodiisse *epistolarum pastoralium* auctorem vel potius auctores. Censet nimirum criticus, hosce, cum cernerent, Marcionitas ad PAULUM provocare, ejusque vestigiis sese insistere venditare; Judaeo-christianas partes e contrario eundem odio prosequi Apostolum, epistolas illas confecisse, ut Gnosticos istos oppugnarent, et PAULUM ab injuria, in eum collata, liberarent, simul vero ut acres dissentientium lites vel componerent, vel saltem mitigarent (in opusc. l., p. 54 sqq.). Confirmavit BAURUS suam de iisdem sententiam, aliaque argumenta multa contra earum authentiam prolata (in opusc. l., p. 40 sqq., 59 sqq., 97 sqq.) repetivit breviter in op.: PAULUS *der Apostel* JESU CHRISTI, *sein Leben und Wirken, seine Briefe und seine Lehre. Ein Beitrag zu einer kritischen Geschichte des Urchristenthums*, 1845, p. 492 sqq. In eodem scripto (p. 494 sq.) tamquam novum argumentum affert HEGESIPPI, historici, testimonium, ab EUSEBIO memoriae proditum, (*Historia Ecclesiastica*, III, 32, p. 127 sq. ed. VALESII), post Apostolorum e vita decessum — impii erroris conspirationem initium cepissse falsorum doctorum fraude, qui — γυμνῇ — τῇ κεφαλῇ veritatis praeconio τὴν ψευδώνυμον γνῶσιν ἀντικηρύττειν ἐπεχείρουν. Conf. de hoc testimonio DIETLEIN, *das Urchristenthum. Eine Beleuchtung der von der Schule des Dr.* V. BAUR *in Tübingen über das apostolische Zeitalter aufgestellten Vermuthungen*, 1845, p. 172 sqq.

(1) In op.: *Kurzg. ex. Hb. z. N. T.* II, 5, p. 1 sqq, 27 sqq., 61 sqq., 118 sqq.

(2) Ib. p. 121 et in op.: *Einl.*, p. 272.

(3) In op. l., I, p. 463 sq.

(4) In op.: *Entwickelung des Paulinischen Lehrbegriffes in seinem*

Non defuerunt tamen viri docti, qui tam hujus quam reliquarum *epistolarum pastoralium* authentiam, argumentis variis prolatis, defenderunt (1); ex quibus hoc loco eos solos commemoramus, qui nuperrime hoc fecerunt, BAUMGARTENUM dico (2), MATTHIESIUM in egregio commentario (3), quem ipse BAURUS summa laude prosequitur, quamquam argumenta in eo prolata refutare conatus est (4), et DIETLEINUM (5). SCHARLINGIUS tandem argumenta,

---

Verhältnisse zur biblischen Dogmatik des Neuen Testamentes, ed. V, 1834, p. 2 sq.

(1) Citant hosce DE WETT., in op.: *Einl.*, p. 277, MATTH. in c. l., p. 18 sqq., qui interpres simul eorundem argumenta recenset.

(2) In op.: *Die Aechtheit der Pastoralbriefe, mit besonderer Rücksicht auf den neuesten Angriff von Herrn Dr.* BAUR *vertheidigt*, 1837; SCHLEIERMACHERUM data opera refutat BAUMGARTENUS, p. 205 sqq. — Acerrime illud opus et magis etiam scriptorem perstrinxit BAUR, *Ueber den Ursprung des Episcopats in der christlichen Kirche*, 1838, p. 16 sqq.

(3) In c. l. passim.

(4) In op. per.: *Jahrbücher für wissenschaftliche Kritik*, 1841, N°. 12 sqq., p. 93 sqq.

(5) In opusc. l., p. 153 sqq. — Ratio, qua BAURUS hoc opusculum taxat (in op.: PAULUS etc., p. V), injusta nobis videtur; negari quidem nequit, modum, quo conscriptum est, acerbitate quadam et petulantia insignem esse, sed tamen in eodem multa vera prolata esse, nemo, praeconcepto judicio haud impeditus, negabit.

Ut satis notum est, magnum fuit et etiamnunc est dissidium inter eos, qui epistolas pastorales PAULO tribuunt, quonam tempore eae conscriptae sint. Alii enim statuunt, *epistolam ad* TITUM et *priorem ad* TIMOTHEUM confectas esse post priorem captivitatem, Romae perlatam, in itinere nempe, quod tunc susceperit *Apostolus; epistolam posteriorem ad eundem* in ipsa posteriore captivitate. Ita tam alii, quam BAUMGARTENUS (in op. l., p. 192 sqq.); ejusdem sententiae disertus etiam est patronus

quae contra *illarum* authentiam et pro hac afferuntur,

NEANDER (in op. l., I, p. 453 sqq.); salvo tamen dubio de *priore ad* TIMOTHEUM epistola (vid. supr.). Alii vero, PAULUM bis Romae captivum fuisse, certis argumentis comprobari posse negant, igiturque illam sententiam, tamquam meram hypothesin, aspernantur (conff. BAUR, *Pastoralbr.*, p. 61 sqq., PAULUS etc., p. 230 sqq., v. cl. VAN HENGEL, *Commentarius perp. in epistolam* PAULI *ad Philippenses*, p. 20 sqq.). In hisce etiam est MATTHIESIUS (in c. l., p. 182 sqq., 447 sqq., 574 sqq.), qui censet, euangelii praedicationem in Creta (*Tit.* 1: 5) a PAULO institutam esse in itinere, quod ex Hellade (Achaja *Act.* XX: 2 cll. XIX: 21), in quam profectus esset, simul consilio capto euangelii latius propagandi (2 *Cor.* X: 15 et 16), in illam insulam susceperit cum TITO; hunc, contendit *interpres*, ibidem ab *Apostolo* relictum esse, qui Corinthum redierit, et dein, proposito suo hiemem in ea urbe transigendi (1 *Cor.* XVI: 5—7) forsan propter Judaeorum insidias (*Act.* XX: 3) mutato, *Epiri* urbem Nicopolin adierit, quae optime a LUCA ad Helladem (*Act.* XX: 2, 3) referri potuerit. In hac jam urbe *epistolam ad* TITUM conscriptam esse (anno 58), suspicatur vir doctus, atque in eadem forsan PAULUM nonnullas hiemis hebdomadas transegisse, tum in Macedoniam perrexisse, et tandem circa paschatis tempus sese Hierosolyma recepisse (*Act.* XX: 6), TITO haud comite (in c. l., p. 205 sq. cll. p. 193 sqq.). *Priorem ad* TIMOTHEUM *epistolam* confectam esse, conjicit MATTHIESIUS, cum *Apostolus* ex Hellade (Achaja) Hierosolyma proficisceretur (*Act.* XX: 3), tum nempe illum in urbem Ephesum praemisisse TIMOTHEUM arbitratur (*Act.* XX: 4, 5), illumque sperasse, fore, ut ipse mox in eandem urbem venire posset, sed illum, de hoc itinere etiamnum incertum, in uno alterove Achajae vel Macedoniae tractu ad discipulum suum scripsisse, aliquot hebdomadibus vel duobus mensibus forsan (anno 59 ineunte), postquam *epistola ad* TITUM composita sit. Hanc hypothesin ut in concordiam revocet idem interpres cum 1 *Tim.* 1: 3, participium πορευόμενος l. l. conjungit cum infinitivo προσμεῖναι, atque illud ad TIMOTHEUM, non ad Apostolum refert; adeo ut dicti sensus huc redeat: *prouti jussi te, proficiscentem in Macedoniam (zunächst nach Macedonien reisend, oder als er nach M. zu reisen im Begriffe stand), commorari Ephesi (als an dem Zielpuncte seiner hier erwähnten*

in examen vocavit, ut ad novam disquisitionem instituendam criticos excitaret (1).

Reise, in c. l., p. 458 sq. cll. p. 451 sqq., 222 sqq.). *Posteriorem ad* TIMOTHEUM *epistolam* conscriptam esse, autumat MATTHIESIUS, brevi postquam PAULUS Romam captivus advenisset (*Act.* XXVIII: 16 sqq.), statim post τὴν πρώτην ἀπολογίαν (2 *Tim.* IV: 16), quae intra primos dies commorationis in illa urbe obtinuerit, antequam *epistolae ad* (*Ephesios*) *Colossenses*, *Philippenses* et PHILEMONEM datae sint (in c. l., p. 582 sqq.); qua in re dissentit cum ab aliis summis interpretibus, tum a. v. cl. HENGELIO, qui *epistolam ad Philippenses* prius, quam *posteriorem illam ad* TIMOTHEUM scriptam esse defendit (in c. l., p. 27 sq.). — DIETLEINUS et alias profert conjecturas de tempore, quo *epistola ad* TITUM conscripta sit, rejecta sententia, PAULUM bis Romae captivum fuisse (in opusc. l., p. 264), et tandem probabile quoque putat, *Apostolum*, Epheso in Macedoniam proficiscentem (*Act.* XX: 1), TITUM in Creta reliquisse, sive ipse tunc etiam per breve temporis spatium in ea insula degerit, sive, quod tamen statuere minime necesse sit, sine ulla commoratione, ibidem facta, iter perfecerit, et in Creta jam antea euangelium annuntiatum sit a discipulis *Paulinis*. *Epistolam ad* TITUM huic sententiae convenienter compositam esse conjicit in urbe *Epiri*, Nicopoli, ex qua iter in Helladem (*Act.* XX: 1, 2) instituerit PAULUS (in opusc. l, p. 265 sqq.). Conjecturam MATTHIESII de tempore conscriptae *prioris ad* TIMOTHEUM *epistolae* rejicit DIETLEINUS, quam vero de tempore, ad quod *posterior* referenda sit, protulit ille sententiam, magna ex parte suam facit. Suspicatur de *priore illa*, PAULUM, Epheso in Macedoniam proficiscentem (*Act.* XX: 1), in oppido locove quodam ad ejus regionis terminum sito, *Philippis* forsan, cum TIMOTHEO collocutum esse eumque jussisse, Ephesum redire, et non multo post ad eundem, jam Ephesi commorantem, epistolam misisse (in opusc. l., p. 268 sqq.). —
Caeterum de variis sententiis, tempus spectantibus, ad quod scripta, de quibus egimus, referenda sint, conff. MATTH., in c. l., p. 181 sqq., p. 445 sqq., 572 sqq., DE WETT., in op.: *Einl.*, p. 269 sqq., 272 sqq., 275 sqq.

(1) In opusc.: *Die neuesten Untersuchungen über die sogenannten*

Sed ne in hisce quidem impugnatio epistolarum *Paulinarum* substitit; ita USTERIUS (1) atque DE WETTIUS (2) de anthentia *epistolae ad Ephesios* dubitarunt; hic interpres dein eam certius *Apostolo* abjudicavit (3). *Epistolam ad Thessalonicenses posteriorem* ab eodem conscriptam esse negavit KERNIUS (4). MAYERHOFFIUS, tres *epistolas pastorales* una cum ea, quae *ad Colossenses* scripta est, haud genuinas esse, in lucem protrahere studuit (5). Sed longissime omninm processit BAURUS, qui, cum primum *epistolas pastorales*, ut vidimus, haud *Paulinas* esse ostendere tentasset, et insuper de aliis minoribus epistolis dubitanter locutus esset (6), hisce diebus distributionem earum omnium instituit talem, qualem sno tempore

---

Pastoralbriefe des Neuen Testaments, dargestellt in ihrer Bedeutung und in ihrem Verhältnisse zur Bibelkritik und zum Kanon. — Aus dem Dänischen übersetzt, 1846. Conf. p. 94.

(1) In op. l., p. 3.

(2) In op.: *Einl.*, tam in prioribus editionibus, qnam in editione IV, p. 258 sqq.

(3) In op.: *Kurzg. ex. Hb. z. N. T.*, II, 4, 1843, p. 79 sqq.

(4) In op. per.: *Tübinger Zeitschrift für Theologie*, 1839, 2. *Ueber* II *Thess.* II: 1—12. *Nebst Andeutungen über den Ursprung des zweiten Briefs an die Thessalonicher.* Simnl hic vir doctus commemorat dubia a viris doctis, ut ipse agnoscit, satis refutata, quae jam antea protulit SCHMIDT, *Bibliothek für Kritik, Exegese und Kirchengeschichte*, II, p. 380 sqq., et *Einl. in d. N. T.*, II, p. 256 sqq. (p. 208). — Eandem epistolam hand *Paulinam* esse, nisi praematura morte impeditus fuisset, probare studuisset MAYERHOFFIUS, prouti effici potest ex opnsculo: *Der Brief an die Colosser, mit vornehmlicher Berücksichtigung der drei Pastoralbriefe kritisch geprüft*, 1838, p. IX.

(5) In opusc. l.

(6) Ita de *epistola ad Philippenses* eaque, quae *ad Ephesios* scripta est, in opusc.: *die Pastoralbr.*, p. 86 et 123. — In commentati-

EUSEBIUS in canone Novi Foederis constituendo (1). Tribuit nimirum *epistolam ad Romanos*, duobus ultimus capitibus exceptis, *utramque ad Corinthios* eamque, quae *ad Galatas* scripta est, certe et sine ullo dubio PAULO, atque haec igitur scripta ὁμολογούμενα nuncupat; reliquas epistolas omnes ἀντιλεγόμενας dicit, id est, tales, ut contra earum singularum authentiam haec illave dubia summo jure obtendi possint; prouti vero EUSEBIUS nonnulla scripta definitius νόθα dixit, ita etiam BAURUS idem de epistolis pastoralibus affirmat (2). Hujusce critici acnti acerrimique

one: *Ueber Zweck und Veranlassung des Römerbriefs*, (in op. per.: *Tüb. Zeitschr.* 1836, 3, p. 59 sqq.) quatuor priores epistolae solae maximi momenti omnique dubio majores a BAURO dicuntur (in Comm. l., p. 63); conf. etiam comm. l. *Ueb. d. Urspr. des Episcop.*, p. 36.

(1) *Hist. Eccl.*, III, 25, p. 118 sq.

(2) In op.: PAULUS etc., p. 242 sqq. Brevis hujus libri conspectus, additis variis, iisque interdum acutis, observatiunculis, invenitur in op. per.: *Neues Repertorium für die theologische Literatur und kirchliche Statistik*, VI, 1, *April* 1846, p. 141 sqq.; prorsus vero hic censor observare neglexit multa egregia, quae in BAURI opere inveniuntur — Praecipue criticus is pretium tribuit MARCIONIS canoni, cujus, EPIPHANIO teste (*Haeres.* XVII, 9 opp. ed. D. PETAVII, 1682, I, p. 310), haec fuit ratio: *Epistola ad Galatas*, I et II *ad Corinthios*, *ad Romanos*, I et II *ad Thessalonicenses*, *ad Laodicenses* (*ad Ephesios*), *ad Colossenses*, *ad* PHILEMONEM, *ad Philippenses*. In hoc igitur canone desiderantur *epistolae pastorales*, vel, nt censet BAURUS, quia nondum exstarent, vel quia MARCIONI haud innotuissent, quod vix credibile judicat, vel quia eas PAULO abjudicasset Gnosticus iste. Observat etiam idem criticus, epistolas in canone illo haud dispositas esse secundnm temporis ordinem, quia tum duae, quae *ad Thessalonicenses* scriptae sunt, reliqnas praecedere debuissent, neque etiam secundum oppositionem contra Judaeos, quia tum *epistola ad Romanos* ante *utram-*

vestigiis insistit KÖSTLINUS (1), atque eadem via

---

que ad Corinthios ponenda fuisset, sed MARCIONEM duplex epistolarum *Paulinarum* genus duplicemve seriem agnovisse, alteram primarias (quatuor priores), alteram secundarias (sex posteriores) continentem; in duplice vero hacce serie epistolas dispositas esse secundum temporis ordinem. Idem judicium jam antea pronuntiaverat KERNIUS (in comm. l., p. 210), qui tamen unice *posteriorem ad Thessalonicenses epistolam* impugnat (vid. supr.); reliquas in hac serie dubiae esse fidei non affirmat, et nominatim, se *priorem ad Thessalonicenses epistolam* genuinam esse censere, profitetur.

(1) In op.: *Der Lehrbegriff des Evangeliums und der Briefe* JOHANNIS *und die verwandten neutestamentlichen Lehrbegriffe*, 1843. Conf. cens. hujus libri in op. per.: *N. Rep. für d. th. Lit.* etc., VIII, 3, *März* 1846, p. 209 sqq. — Censet KÖSTLINUS doctrinam, quae in euangelio epistolisque JOHANNI tributis invenitur, ex PAULI doctrina, quae in quatuor prioribus epistolis adest, velnti arborem absolutam ex radice („*wenn auch tiefliegende*" addit) succrevisse (in op. l., p. 350). Porro judicat, in iisdem illis scriptis *Paulinis duo elementa* pari modo expressa esse; *unum* elementum esse vinculum, quod religionem christianam inter atque Judaismum intercedit, *alterum*, idque contrarium, esse *Apostoli* oppositionem contra Judaismum. *Hoc* elementum in scriptis, quae nominavimus, JOHANNI tributis ab omni parte explicitum inveniri putat, *illud* expositum esse in reliquis epistolis, iisque *deutero-Paulinis;* inclusa etiam ea, quae *ad Hebraeos* scripta est. In hisce nimirum enucleatum esse, religionem christianam, *verum* demum esse Judaismum, *istum*que, qui eo tempore id nomen immerito prae se ferebat, deserendum esse (*Phil.* III: 12 sqq.); idem praecipue et ab omni parte fieri, arbitratur vir doctus, in *epistola ad Hebraeos*, sed etiam alibi Judaeos, tamquam Dei gentem praerogativis condecoratam, coram gentilibus celebrari in *epistola* nempe *ad Ephesios* (Cap. II); Judaismum porro tutum praestari a falsorum doctorum invasionibus in *epistolis pastoralibus*, et denique, opportunitate haud data, contemplationes sententiasque christianas imaginibus ex Vetere Foedere desumtis involvi (e. g. *Col.* II: 11—14, 17, *Eph.* V: 23—32). Hisce nominibus posteriores epistolas PAULO tributas a quatuor

procedendum esse, defendit SCHWEGLERUS (1).

Alii hasce impugnatas epistolas genuinas esse probare conati sunt; ita DE WETTIUS, cum primum de *posterioris ad Thessalonicenses epistolae* authentia du-

---

prioribus differre, defendit operis l. scriptor; ab altera vero parte illas cum hisce convenire studio doctrinam fidei Christianae interne absolvendi atque perficiendi, et pariter ab eadem hacce parto *illas* magis magisque ad JOHANNIS doctrinam accedere, vel potius hanc sensim sensimque provocasse atque genuisse (in op. l., p. 350 sq.). Tali cogitandi rationi convenienter vir ille doctus, doctrina, quae in JOHANNIS euangelio epistolisque invenitur, exposita (in op. l., p. 38 sqq.), adumbrat et cum hac comparat eam, quae in quatuor prioribus PAULI epistolis expressa est (in op. l., p. 290 sqq.); tum eam, quae in *epistolis ad Philippenses, Colossenses* et *Ephesios* adest, quarum prima jam ad JOHANNEM accedere dicitur, magis etiam secunda, maxime vero tertia (p. 352 sqq.). Hisce ad finem perductis, de *epistolis pastoralibus* agit KÖSTLINUS, de quibus affirmat: „*Man kann sie die römische*, JOHANNES *die kleinasiatische letzte Entwicklung des paulinischen Lehrbegriffs nennen*" (in op. l., p. 378 sqq.); cum de iis actum est, scriptoris *epistolae ad Hebraeos* sententias enucleat (in op. l., p. 387 sqq.). *De epistolis ad Thessalonicenses* vir doctus judicat: „*Die Briefe an die Thessalonicher sind weniger reich an dogmatischem Inhalt, und können darum nur nebenher zur Sprache kommen*" (in op. l., p. 290.).

(1) In op.: *Das nachapostolische Zeitalter in den Hauptmomenten seiner Entwicklung*, II, 1846. „*So können denn*," inquit (in op. l., I, p. 90), „*unter allen uns erhaltenen Schriften des neutestamentlichen Kanons eigentlich nur fünf, die vier grössern paulinischen Briefe und die Apokalypse mit Sicherheit jenem Zeitraum (der Apostel) zugewiesen werden.*" Conf. I, p. 149, 168 sq., 298 sq. Vidd. insuper ea, quae SCHWEGLERUS, BAURI inventis utens, de capite XV et XVI *epistolae ad Romanos* de industria exponit I, p. 296, 299 sq., II, p. 123 sqq.; de *epistola ad Philippenses*, II, p. 133 sqq.; de *epistolis pastoralibus*, II, p. 138 sqq.; de *epistola ad Colossenses*, II, p. 325 sqq. cll. p. 277 sqq., p. 289 sqq.; de *epistola ad Ephesios*, II, p. 330 sqq., 375 sqq. cll. p. 286, 290.

bitasset, dein eam contra KERNIUM defendit (1). DE WETTII ipsius dubiis, contra *epistolam ad Ephesios* in *isagoge historico-critica in libros Novi Foederis canonicos* prolatis, sese opposuere cum alii, tum HARLESSIUS (2), MEYERUS (3) in commentariis suis, LÜNEMANNUS (4) et ANGERUS (5), qui peculiares commentationes ad

(1) Conf. op.: *Einl.*, p. 229 sq. cll. *Vorw. z. viert. Aufl.*, p. 1, et *Kurzg. ex. Hb.*, II, 3, ed. II (1845), p. 124 sq.

(2) In op.: *Commentar über den Brief* PAULI *an die Epheser*, 1834, p. LXVI sqq.

(3) In op.: *Kritisch exegetischer Kommentar über das Neue Testament*, VIII, 1843, p. 20 sqq.

(4) *De epistolae, quam* PAULUS *ad Ephesios dedisse perhibetur, authentia, primis lectoribus, argumento summo ac consilio*, 1842.

(5) *Ueber den Laodicenerbrief. Eine biblisch-kritische Untersuchung*, 1843. — Magnam, ut nemo nescit, difficultatem genuit ab antiquo inde tempore quaestio, quomodo *epistola*, in qua haud diserte intima ratio PAULI cum lectoribus respicitur, *ad Ephesios* scripta esse possit, inter quos tamdiu versatus est *Apostolus*. Accedit huc BASILII *Magni* testimonium, qui ἐν τοῖς παλαιοῖς τῶν ἀντιγράφων se 1: 1 non legisse ἐν Ἐφέσῳ perhibet (opp. ed. GARNIERI, 1750, I, p. 254; conf. MEY., in c. l., p. 2). TERTULLIANI, — qui MARCIONI, hanc epistolam ad *Laodicenos* esse scriptam censenti, *tituli interpolationem* exprobrat (*adv. Marc.*, V, 11 opp. ed. RIGALTII, 1675, p. 475), — IGNATII atque HIERONYMI testimonia, quid valeant, nunc dirimere non possumus (conf. MEY., in c. l., p. 2 sqq.). Versionum autem atque codicum auctoritas satis tutam praestare videtur lectionem receptam: ἐν Ἐφ., quamquam ea, prouti nuperrime probavit TISCHENDORFIUS (in op. per.: *Studien und Kritiken*, 1847, I, *Nachricht vom vaticanischen Bibelcodex*, p. 138 sq. cll. p. 149), in *Codice Vaticano* a *seriore* manu *margini* est addita, non a priore, quod ANGERUS (in comm. l., p. 85 sq.) et MEYERUS (in c. l., p. 2) censent, HUGIUM sequentes (in op.: *De antiquitate Codicis Vaticani*, p. 26); ex alio Codice (67) eadem illa lectio dein est remota. Ut vero ex difficultate, supra expressa, de primis lectoribus sese expedirent viri

eandem PAULO vindicandam conscripserunt. — *Epistolam ad Colossenses* tutam praestari posse a MAY-

---

docti, varias excogitarunt conjecturas, quas omnes hic recensere longum est. — HARLESSIUS *epistolam* vel maxime destinatam esse autumat Christianis, qui per *Ephesios* ad euangelii notitiam pervenerint, et de quorum fide PAULUS per *hosce* certior factus sit, adeo ut *Apostolus hisce*, utpote ipsi notis, epistolam *illis* „*praecipue*" destinatam inscripserit (in c. l., p. XXXVI). — LÜNEMANNUS, refutata sententia, scriptum, de quo disputamus, *ad Ephesios* ipsos fuisse missum, statuit: „*epistolam datam fuisse ad ecclesiam quandam, quae paullo ante non modo in proxima Ephesi urbis vicinitate constituta fuerit, sed etiam tanta necessitate cum Ephesiis, quos ipse* PAULUS *docuerat, fuerit constricta, ut pars quodammodo ecclesiae Ephesinae haberi atque Ephesina ipsa nuncupari potuerit*" (in comm. l., p. 47). — ANGERI sententia huc redit: „*Die ἐπιστολὴ ἐκ Λαοδικείας Col.* IV: 16, *d. h. der Brief, den die Colosser aus Laodicea holen sollten, ist die unter dem Namen des Epheserbr. im Kanon befindliche Epistel, welche zunächst für die Gemeinde von* Ephesus, *aber zugleich für* deren Tochtergemeinden *in und bei Asia proconsularis, und unter diesen* auch *für* die von Laodicea, *und zwar vorzugsweise für die mit* P. *persönlich nicht bekannten heidenchristlichen Glieder dieser Kirchen, bestimmt war.* TYCHICUS, *der Ueberbringer sowohl dieses Briefes, als auch der Briefe an die* Col. *und an* PHILEM., *reiste, nach Ephesus gelangt, von da aus mit dem Circularschreiben durch das proconsularische Asien über Laodicea, wo er dasselbe zurückliess, nach Colossae, worauf es nach des Ap. Anordnung von den Boten der Colosser, die den an ihre Gemeinde geschriebenen Brief den Laodicenern überbrachten, nach Colossae abgeholt werden sollte*" (in comm. l., p. 141 cll. p. 21 sqq., 36 sqq., 116 sqq., 125 sqq.). — MEYERUS cum aliis viris doctis judicat, *epistolam*, servata recepta lectione, simpliciter esse datam *ad Ephesios*, causamque, cur nulla in ea occurrant peculiaria, *non liquere*, sed forsan exinde explicari posse, quod TYCHICUS, et cum scriptore, et cum lectoribus arcte conjunctus, scriptum transtulerit, igiturque omnia peculiaria ipse annuntiare potuerit (in c. l., p. 14 sqq.). — Denique monendum est, per longum tempus invaluisse

ERHOFFII dubiis ostendit HUTHERUS (1). Duo ultima capita *epistolae ad Romanos* non spuria esse, probare tentavit KLINGIUS (2). — Accuratus in nostra patria criticus, vir doctissimus DOEDES, nuperrime ad *epistolas*, quae *Ephesiis, Philippensibus, Colossensibus* et *Thessalonicensibus* dicatae sunt, *Apostolo* vindicandas, symbolam haud spernendam attulit, argumento petito

---

sententiam, *epistolas ad Ephesios, Colossenses* et PHILEMONEM *Romae* scriptas esse, sed recentiore memoria exstitisse viros doctos, praeeunte SCHULTZIO (in op. per.: *St. und Kr.* 1829, II, p. 612 sqq.), contendentes, easdem a PAULO, *Caesareae* captivo, compositas esse; inter quos etiam est MEYERUS (in c. l., p. 16 sqq.). Haud amplectuntur hanc sententiam tam alii, quam OLSHAUSENUS (in c. l., p. 131 sqq.) et DE WETTIUS (in op.: *Einl.*, p. 250 sq. et definitius in op.: *Kurzg. ex. Hb.*, II, 4, 1843, p. 3 sq.). Eos omnes, qui epistolae, de qua egimus, authentiam defenderunt, enumeraverunt LÜNEMANNUS (in comm. l., p. 7) et MEYERUS (in c. l., p. 25).

(1) In op: *Commentar über den Brief* PAULI *an die Colosser*, 1841, p. 420 sqq.

(2) In op. per.: *St. und Kr.* 1837, II: *Ueber den historischen Charakter der Apostelgeschichte und die Aechtheit der beiden letzten Kapitel des Römerbriefs mit Beziehung auf Hrn. Dr.* BAUR, etc., p. 308 sqq. — Sententiam eorum, qui caput XV vel XVI vel utrumque ab epistola ad Romanos separandum esse censuerunt, commemorant et rejiciunt simul cum alii multi hujusce temporis interpretes, tum THOLUCK, *Kommentar zum Briefe* PAULI *an die Römer, Neue Ausarbeitung*, 1842, p. 1 sq., BAUMGARTEN-CRUSIUS, *Commentar über den Brief* PAULI *an die Römer, herausgegeben von* KIMMEL, p. 395 sqq.; conf. etiam DE WETT., *Einl.*, p. 248 sq. — Doxologiae (XVI: 25 sqq.) authentiam, quam impugnarunt REICHE, *Versuch einer ausführlichen Erklärung des Briefes* PAULI *an die Römer*, 1834, I, p. 1 sqq. cll. II, p. 527, et KREHL, *Der Brief an die Römer*, 1845, p. 537 sqq. aliique, egregie PAULO vindicavit FRITZSCHE, PAULI *ad Romanos epistola*, 1836—1843, I, p. XXXVIII sqq.

ex illarum *in ipsis iis scriptis* personarum commemoratione, quae ea transtulisse dicuntur, et ex ratione inscriptionum, quae in iisdem occurrunt (1). Quomodo salutatio atque fausti apprecatio in clausula epistolarum PAULI, et modus, quo idem sibi eas vindicare solet in earum initio, Apostolum summum spirent, et ipsarum epistolarum indoli eorumque, ad quos eaedem scriptae sunt, conditioni conveniant, in lucem protrahere studuit nostras DA COSTA (2). Sed prae-

(1) In op. per.: *Jaarboeken voor wetenschappelijke Theologie*, 1845, 2: *De opschriften der algemeene zendbrieven van* PAULUS *en de personen, die als overbrengers dier brieven daarin genoemd worden, als getuigen hunner echtheid beschouwd*, p. 335 sqq.

(2) In op.: PAULUS, *eene Schriftbeschouwing*, 1846, I, p. 216 sqq. cll. p. 207 sqq. Idem vir ingeniosus etiam authentiae criterium inesse censet usui vocabuli χάρις, in PAULI epistolis semper in initio atque fine inveniundi. Quia id vocabulum pariter in fine *epistolae ad Hebraeos* legitur (XIII: 25), hanc quoque eundem Apostolum conscripsisse unum ex indiciis esse, censet DA COSTA; sed de hujus epistolae indole *Paulina* se in posteriore operis l. parte fusius acturum esse pollicetur; in qua simul, ut spem nobis fecit, reliquas PAULI epistolas, a BAURO impugnatas, examinabit, et, refutatis hujus critici argumentis, eas Apostolo dignas esse probabit (conf. op. l., p. XII sq.). — Non vero credimus, facile defendi posse *epistolam ad Hebraeos* a PAULO profectam esse; etenim ipse, ut supra jam diximus, eam sibi haud vindicat, nec in initio neque in fine; quod etiam observat DA COSTA, sed putat, hoc factum esse, quia Apostolus cum Hebraeis agere vellet, ut frater cum fratribus, eumque hanc ob causam tam nomen ipsum, quam apostolatus commemorationem omisisse (in op. l., p. 222 sq.); sed, ut nobis videtur, tum scribere potuisset noster *Παῦλος ἀδελφός*, vel simile quid. Praeterea dictum XIII: 7 occurrens PAULUM nobis non redolere videtur; ne dicam de multis aliis argumentis, quae BLEEKIUS aliique attulerunt, et quae rite refutare, semper difficillimum erit, conf. p. 4.

cipue vir hicce elegans atque ingeniosus egregias magna ex parte egit vindicias *epistolarum ad Thessalonicenses;* eas nimirum illustrans ex ratione, qua in *Actis Apostolorum* ecclesia Thessalonicensis condita esse perhibetur, ex ejus sociorum fato mox sequenti, ex ipsius denique Apostoli eas scribentis animo (1).

Ex iis igitur, quae deinceps attulimus, apparet, quatuor esse epistolas, quae sine dubio *hisce diebus* (2), tamquam genuinae, agnoscuntur; hae ipsae vero etiam primariae sunt dicendae, et ad argumentum, quod elegimus, exponendum atque pertractandum gravissimae. Ex hisce igitur constanter progredietur disputatio nostra; ubi ad sententiam, in reliquis epistolis obviam, primum attendemus, quod tamen rarissime fiet, eandem etiam in primariis illis luculentissime inveniri, probabimus; utemur igitur reliquis hisce, tamquam secundariis, non acsi ipsi de earum authentia dubitemus, quod procul etiamnunc abest, sed quia eae ad anthropologiam PAULI cognoscendam *secundarium* obtinent locum; eandem ob causam raro uti poterimus *epistolis pastoralibus*, quamquam, eas spurias esse, nondum nobis persuadere potuere criticorum argumenta (3).

---

(1) In op. l., p. 223 sqq. Scriptas osse ceuset DA COSTA cum DE WETTIO aliisqno hasce epistolas Corinthi (*Act.* XVIII: 1 sqq.); de aliorum sententiis conf. DE WETT., *Einl.*, p. 226 sq., 228, *Kurzg. ex. Hb.*, II, 3, p. 90 sq., 123.

(2) Nullam consulto fecimus mentionem de judicio inani, qnod antea EVANSONUS contra *epistolas ad Romanos* (conff. THOL. in c. l., p. 1, FRITZSCH., in c. l., p. XXVI sqq.) et *Ephesios* (conf. LÜN. in comm. l., p. 6) protnlit.

(3) Longum fuissot omnia argumonta, ad opistolarum authentiam vel impugnandam vol defondendam prolata, afferre; primaria nonnulla dubia, si sontentias, ad quas provocamus, spectant, nbi hoc

B. *De* PAULI *orationibus dictisque, in Actis Apostolorum inveniundis.*

Fontem nobis etiam praebent nonnullae orationes dictaque nonnulla PAULI, quae in libro, *Acta Apostolorum* inscripto, occurrunt. Prouti de multis Apostoli epistolis dubitatum est, prouti euangeliorum authentia atque ἀξιοπιστία gravissime impugnatae sunt, ita etiam, quod mirum nemini videri potest, ille liber criticorum exercuit ingenia. Nimirum in dubium vocatum est, num LUCAS illius fuerit scriptor, vel saltem, num ipse eorum, quae in posteriore libri parte (conff. XVI: 10—17, XX: 5—15, XXI: 1—18, XXVII: 1— XXVIII: 16, ubi nempe pronomen ἡμεῖς invenitur) enarrantur, fuerit αὐτόπτης; inde conjectura prolata est a MAYERHOFFIO, illum librum a TIMOTHEO confectum esse (1), quam hypothesin satis refutasse nobis videtur BLEEKIUS (2). Ipse autem hic vir doctus (3), ULRICHIUS (4) et

necessarium est, in ipsa commentatione commemorabimus et, quantum est situm in nobis, refutabimus.

(1) In op.: *Historisch-kritische Einleitung in die petrinischen Schriften. Nebst einer Abhandlung über den Verfasser der Apostelgeschichte*, 1835, p. 23 sqq. Quia magna est inter *euangelium* LUCAE nomen prae se ferens atque *Acta Apostolorum*, si dicendi rationem spectes, convenientia, quam ipse MAYERHOFFIUS multis exemplis probat, *illud* etiam a TIMOTHEO scriptum esse defendit.

(2) In op. per.: *St. und Kr.*, 1836, 4; ubi MAYERHOFFII operis censuram agit BLEEKIUS, p. 1021 sqq. cll. p. 1048 sqq.

(3) In cens. l., p. 1026 sqq. cll. p. 1050 sq.

(4) In op. per.: *St. und Kr.*, 1837, 2: *Kommt* LUKAS *wirklich in der Apostelgeschichte vor?* p. 369 sqq.; et 1840, 4 contra KRAUSSIUM (vid. infr.): LUKAS *kommt nicht in der Apostelgeschichte vor*, p. 1003 sqq.

DE WETTIUS (1) conjecerunt, LUCAM quidem esse scriptorem, attamen eum ipsum in libro inter PAULI comites haud occurrere, sed in posteriore hujus parte TIMOTHEI relationibus usum esse, atque prae negligentia ubique ἡμεῖς in tertiam personam commutare neglexisse. Refutarunt eam conjecturam KRAUSSIUS (2), SCHNECKENBURGERUS (3), EBRARDUS (4), RINCKIUS (5) et in patria nostra vir doctissimus VAN OOSTERZEE (6). Prolata denique ab HENNELLIO est opinio, de SILA, tamquam libri scriptore, cogitandum esse, qui idem esset atque LUCAS (7).

---

(1) In op.: *Einl.*, p. 204 sqq., *Kurzg. ex. Hb.*, I, 4, p. 4 sq.

(2) In op. per.: *Studiën der evangelischen Geistlichkeit Würtembergs*, X, 2, 1838. Nos legimus commentatiunculam XIII, 2, 1841: *Ob* LUCAS *der Verfasser der Apostelgeschichte seyn könne? (Antwort auf die Replik des Hrn. Prof.* ULRICH), p. 106 sqq.

(3) In op.: *Ueber den Zweck der Apostelgeschichte*, 1841, p. 26 sqq.

(4) In op.: *Wissenschaftliche Kritik der evangelischen Geschichte*, 1842, p. 902 sqq.

(5) In op. per.: *St. und Kr.*, 1844, 1: LUKAS *deutet sich in der Apostelgeschichte als im Gefolge* PAULI *befindlich an*, p. 118 sq.

(6) In op.: *Verhandeling over de waarde van de Handelingen der Apostelen; uitgegeven door het Haagsche Genootschap tot verdediging van de Christelijke Godsdienst*, 1846, p. 44 sqq.

(7) In scripto, ex lingua Anglica in Germanicam a STRAUSSIO verso: *Untersuchung über den Ursprung des Christenthums*, 1840, p. 104; ducitur ad hanc conjecturam tam alias ob causas ille scriptor, quam quia *Silva* idem indicat atque *Lucus* (SILVANUS, SILAS = LUCAS), conf. SCHNECKENB., in op. l., p. 38. Alios, qui tálem opinionem protulerunt, citat et refutat AB UTRECHT DRESSELHUIS, *Verhandeling over* LUKAS *Evangelie; uitg. d. h. H. Gen.* etc., 1839, p. 17 sqq.

Hae conjecturae, prouti minus probabiles sunt, ut nobis quidem videtur, ita minime impediunt, quominus ipsum scriptum, quod spectant, vere historicum sit, genuinasque contineat relationes. At vero, ut supra jam significavimus, haud defuere atque desunt, qui hoc magis minusve diserte vel negandum, vel saltem in dubium vocandum esse censent. Ita SCHRADERUS librum, de quo disputamus, antignosticis, hierarchicis aliusque generis figmentis, saeculo secundo collectis, constare defendit (1). BAURUS in eodem talia inveniri, qualia veritati haud consentanea esse possint, pronuntiavit (2); dein hypothesin commendavit, ad quam etiam alludit SCHRADERUS (3), scriptorem consilium habuisse depingendi PAULUM PETRO similem, ut ita duas partes, in ecclesia primaeva a se invicem discedentes, *Petrinas*, id est, *Judaeo-christianas* alteras, alteras *Paulinas*, inter se conciliaret (4). Orationis Mileti habitae alibi in dubium vocavit indolem historicam (5). Hypothesin istam de scriptoris consilio parallelismi inter PETRUM et PAULUM instituendi docte atque acute in lucem protrahere atque probare studuit SCHNECKENBURGERUS (6); ita tamen, ut LUCAM libri, de quo agimus, scriptorem esse defendat (7), atque eum, si rei

(1) In op. l. V. conff. SCHNECKENB. in op. l., p. 44 sq., 220 sq., v. d. v. OOSTERZ. in op. l., p. 37 sqq., 96 sqq.

(2) Conf. SCHNECKENB. in. op. l., p. 223 sq.

(3) In op. per.: *Tüb. Zeitschr.* 1836, 3, in comm. l.: *Ueb. Zw. und Veranl. des Rb.*, p. 98 sqq.; ea ,quae h. l. dicuntur repetita sunt in op.: PAULUS etc., p. 363 sqq.

(4) In comm. l.: *Ueb. d. Urspr. d. Ep.*, p. 142 sqq.

(5) In opusc.: *Die Pastoralbr.*, p. 92 sqq. vid. infr.

(6) In op. l.

(7) In op. l., p. 26 sqq., coll., p. 17 sqq.

summam spectes, vera referre haud neget (1); orationes PAULI, quatenus harum accuratius rationem habet vir doctus, ab hoc Apostolo, si non eodem, tamen simili modo habitas esse asseveret (2). Confitendum tamen est, illius scripti authentiam atque *ἀξιοπιστίαν* admodum vacillantes reddi, quod summo jure observavit BAURUS (3), si, prouti SCHNECKENBURGERUS statuit, scriptor alia, quae PAULUM spectant, de industria omiserit (4), alia nimis in lucem protraxerit (5), factum adeo alia causa, quam revera obtinuerit, effectum proposuerit (6), unice ut consilium, quo scripserit, eo melius assequi posset.

Denique in opere nuperrime prodito BAURUS hypothesin, ab ipso antea prolatam, ulterius explicuit atque persecutus est, antecessoris auxilio adhibito (7), pariterque satis significavit, librum, qui *Acta Apostolorum* dicitur, magna ex parte scripti vere historici nomine haud dignum esse, mythos multos vel adeo liberas fictiones continere (8), orationes, in eo PAULO tributas, huic abjudicandas esse (9), eundem denique saeculo secundo a *Paulino* quodam viro esse conscriptum (10). Quae BAURUS protulit, SCHWEGLERUS confirmavit, nonnulla

(1) Conf. e. g. op. l., p. 3 sqq.

(2) Vid. infr.

(3) In op.: PAULUS etc., p. 9 sqq.

(4) In op. l., p. 58 sqq., p. 92 sqq.

(5) In op. l., p. 61 sqq.; de PAULI doctrina, quatenus ex orationibus cognoscitur, agit vir doctus, p. 127 sqq. (Vid. infr.).

(6) In op. l., p. 113 sqq.

(7) In op.: PAULUS etc., p. 5 sqq.

(8) Conf. e. g. op. l., p. 27 sqq. cll. p. 15 sqq., 60 sqq., 145 sqq.

(9) Vid. infr.

(10) In op. l., p. 12.

etiam de suis addidit (1), et praecipue tempus, quo conscriptus sit liber, saeculi secundi esse initium, accurate probare studuit (2).

Nostrum non est de toto illo libro ulteriorem disquisitionem instituere ejusque pretium, *ἀξιοπιστίαν*, authentiam aliaque finitima argumenta investigare (3); unice unius alteriusque orationis dictique memorabilis PAULI accuratius rationem habere poterimus. Censemus autem, quo magis cum de illius, tum de aliorum orationibus probari possit, eas dicentium cogitandi sentiendique rationem, indolem denique totam referre, eo magis scriptum, de quo disseruimus, firmissimum accepturum esse praesidium.

§ 4.

Quaenam sit PAULI *anthropologiae universa indoles ex Apostoli dictorum orationumque, quae in Actis Apostolorum inveniuntur, cum sententiis primariis, in epistolis obviis, comparatione efficitur.*

Nemo sane, si unum JESUM CHRISTUM excipias, de praestanti atque divina natura, qua homo gaudet deque excelsis finibus, quos, Deo auctore atque moderatore, et jam aliquatenus assecutus est, et magis magisque plene assequi debet, sublimiores disertioresque protulit sententias, quam PAULUS Apostolus. Eas ut

---

(1) In op. l., II, p. 73 sqq.

(2) In op. l., II, p. 115 sqq.

(3) Qui de hisce plura scire cupiat, adeat op. l. v. d. v. OOSTERZ. Conf. etiam DE WETT., *Kurzg. ex. Hb.*, I, 4, p. 3, *Einl.*, p. 203 sq., de BAURI, SCHNECKENBURGERI aliorumque hypothesi.

ab initio inde jam aliquatenus cognoscamus, et ita ad singulas, quas instituemus, disquisitiones melius pertractandas praeparati simus, pariterque videamus, quaenam totius hujusce commentationis peculiaris esse debeat ratio et singularum ejusdem partium recta successio, non abs re esse ducimus ad PAULI orationes, in *Actis Apostolorum* obvias, attendere; et ita quidem, ut nonnullarum argumentum summum breviter recenseamus, aliarum effata memorabiliora in lucem protrahamus, et insuper ad dicta, quae obiter a LUCA commemorantur, oculos convertamus. Etenim inter orationes dictaque PAULI, quae historicus ille memoriae prodidit et epistolas, quae nobis servatae sunt, haec, nostro judicio, intercedit ratio mutua, ut in *illis* unice referat atque obiter attingat PAULUS anthropologiae suae prima veluti lineamenta, in *his* vero suas de hominis natura, conditione, liberatione sententias, data opera, explicet; ut in *illis* simpliciter et historice causam suam agat, quia semper fere coram iis loquitur hominibus, qui CHRISTUM fide nondum amplexi sunt, in *his* accuratius procedere soleat acutaque ratiocinandi ratione atque argumentis subtiliter expositis et ab omni parte explicitis in Christianorum commodum sublimia quaeque enucleet; quamvis procul abest, ut in his historiae atque experientiae fundamentum deserat. Ab *illis* igitur breviter contemplandis incipientibus, optime nobis aditus patebit, ad epistolarum partes illas, quarum interpretatio nobis prae caeteris incumbit, penitius perscrutandas et clarius perspiciendas.

Praeterea vero orationum illarum argumenta vel effata, ad nostrum argumentum pertinentia, dictaque

peculiaria PAULI, hic illic a LUCA commemorata, cum sententiis luculentissimis atque identidem redeuntibus, quae in epistolis expressae sunt, obiter conferentes, re factoque videbimus, fidem omnino habendam esse *historico* PAULUM loquentem inducenti (1); sed, quod vel praecipuum est, et obiter jam a nobis est indicatum, ita sponte sua in oculos incurret, qualis *Apostoli* nostri anthropologiae indoles sit universa.

Incipimus ab oratione, in Pisidiae urbe Antiochia coram Judaeis proselytisque in synagoga habita.

Primum in illa enarrat PAULUS summa Dei beneficia, ab incunabulis inde continuo in gentem Israeliticam cumulata, videque *tenerrimam* adumbrat curam, qua eam semper prosecutus est Supremus ille (2);

---

(1) Si ad universum dicendi modum orationum, PAULO tributarum, attenditur, negari nequit, hunc quidem plus semel LUCAM redolere, sed tamen saepissime cum eo, qui in epistolis deprehenditur, convenire. Non satis observarunt hoc cum alii antea (vid. v. doct. PROES, *Disputatio theologica de oratione Antiochiae habita*, PAULLO *Apostolo auctori tribuenda*, 1833, p. 3 sq.), tum MAYERHOFFIUS (in op.: *Einl. in d. petr. Schr.* etc., p. 225 sqq.; conf. etiam opusc.: *Der Br. a. d. Col.* etc., p. 160 sqq., ubi de oratione Mileti habita agit vir doctus) et DE WETTIUS (in op.: *Einl.*, p. 205 sq., *Kurzg. ex. Hb.*, p. 4.) contendentes, LUCAE stilum tam in aliis, quam in PAULI orationibus ubique prodire. Talem sententiam feliciter saepe refutavit EBRARDUS (in op. l., p. 890 sqq.), ostendens, eas non solum quod ad sententias theologicas, sed etiam quod ad singula verba, singulas dictiones atque sententiarum struendarum rationem attinet, cum PAULI epistolis convenire, et ea, quae in iis LUCAM redolent, plus semel esse talia, qualia ab omnibus eadem lingua utentibus, frequentari possint. Idem de singulis nonnullis orationibus jam dudum observarunt viri docti (vid. infr.).

(2) *Act.* XIII: 16 sqq. Omnino egregie huic orationis indoli convenit verbum ἐτροφοφόρησεν (vs. 18; ita enim legendum est,

hac ratione ostendit, eandem gentem diu et sensim magis usque ad JOHANNEM *Baptistam* et per hunc praeparatam esse, ut JESUM CHRISTUM, divinae benignitatis summum donum et antea diserte divinitus promissum, feliciter accipere posset (1). Dein ob oculos ponit orator in JESU, hisce in terris versantis, fatis idem illud Dei moderamen cerni; hoc enim factum esse, ut ista, quae homines prave moliti atque exsecuti erant, Supremi Numinis consilia non impediverint, sed promoverint et prophetarum praesagia, antea divinitus edita, impleverint (2). Praecipue auditorum oculos convertit Apostolus ad unici illius hominis resurrectionem, expressam imaginem Dei amoris, omnipotentiae atque veracitatis, promissum, jam dudum datum, ratum facientis, exhibentem (3). Denique exponit PAULUS, quid inter vim, quam CHRISTUS in homines, fide ipsum amplectentes, exercet, et eam, quam lex *Mosaica* efficit, intercedat discriminis, observando, hanc ardenti hominum desiderio, *peccatorum remissionem* atque *justitiam* (rectam relationem) coram Deo spectanti, non satisfacere posse, illum et ea *remissione*, et ita etiam *justitia*, vere hoc nomine digna, homines beare (4). Tandem dictis finem imponens, serio auditores

---

non *ἐτροποφόρησεν mores tulit* eorum, conff. v. d. PROES in disp. l., p. 12, DE WETT., *Kurzg. ex. Hb.*, I, 4, ad h. l.) *nutricis ad instar* eos *tulit.*

(1) Ib. vs. 23 sqq.; ad vs. 24 sq. conf. XIX: 4, ubi simili ratione de JOHANNE *Baptista* disserit PAULUS.

(2) Ib. vs. 27 sqq.

(3) Ib. vs. 30 sqq.

(4) Ib. vs. 38 sq. *Ἄφεσις ἁμαρτιῶν*, quae vs. 38 a PAULO laudatur cum *τῷ δικαιωθῆναι* (vs. 39) cohaeret, ut causa cum effectu

suos commonefacit, ne, tali tamque unica salutis oblatione spreta, in poenas aliquando incidant divinas (1), quarum minas, in prophetarum vaticiniis inveniundas, totidem verbis affert orator (2).

---

inseparabili (vid. infr.). — Verba *καὶ ἀπὸ πάντων, ὧν οὐκ ἠδυνήθητε δικ. κτλ.* non indicant, legem Mosaicam nonnulla, CHRISTUM omnia peccata demere, et ita *justitiam* coram Deo efficere posse; sed Apostolus adjectivo *πάντων* utitur, ut ostendat, *plenam liberationem*, *justitiam* gignentem, per CHRISTUM vel potius in conjunctiono cum hoc (*ἐν τούτῳ*) esse addnctam; etenim pronomen relativum *ὧν* per attractionem, ut ajunt, ad illnd adjectivum refertur, ita tamen, ut sensn prorsns ad verbum *δικαιωθῆναι* pertineat (conf. NEAND. in op. l., I, p. 150 sq.). MEYERUS (*Krit. ex Komm. üb. d. N. T.*, III, ad h. l.) hanc interpretationem arbitrariam dicit et ipse explicat: „*Die Vorstellung* PAULI *ist: Nicht für alle Sünden ist in den Mosaischen Statuten durch Opfer und andere Sühnungen Genugthuung stipulirt, mithin auch eine Freiwerdung von der contrahirten Schuld im Gesetzverbande nicht ermöglicht: von dem Allen aber ist die Schuldentledigung in der Verbindung mit* CHRISTO *mittelst des Glaubens gegeben.*" Sed ratio, qna supra cxplicuimns, defendi potest dicto Rom. XV; 18 obvio: *οὐ γὰρ τολμήσω λαλεῖν τι ὧν οὐ κατειργάσατο Χριστος δι' ἐμοῦ κτλ.* Formula *τι ὧν* h. l. pro *τι τούτων ἃ* posita non indicat, PAULUM *haud audere de iis loqui, quae non* CHRISTUS *per illum effecerit, sed illum haud audere loqui de iis, quae non perfecerit*, CHRISTO *adjutore.* Conff. SCHNECKENB. in op. l., p. 131, DE WETT., *Kurzg. ex. Hb.*, II, 1, ad h. l.

(1) Ib. vs. 40 sq,

(2) Nonnulli viri docti, qui nuper de hac oratione egerunt, ejus convenientiam cum PETRI sermonibus, in praecedente parto ejusdem libri obviis, et cum STEPHANI oratione in lucem protraxere, neglecto nimis discrimine. Ita DE WETTIUS (*Kurzg. ex. Hb.*, I, 4) ad vs. 23, 26 etc.; praecipue ad vs. 35, ubi observat, convenientiam PAULUM inter atque PETRUM, idem dictum ex eodem Psalmo (Ps. XVI: 10) de JESU resurrectione, non qnidem arbitrarie, sed tamen libere interpretantes, exinde explicari posse, si nempe ntriusque orationes ge-

Egregie multa ex iis, quae in hac oratione exponuntur, conspirant cum iis, quae alibi de PAULI praedicatione in Judaeorum synagogis a LUCA referuntur iisque, quae in orationibus, quibus semet ipsum contra Judaeorum accusationes defendit Apostolus, dixisse perhibetur.

---

nuinae sint, quod Apostoli eo dicto tali sensu uti sôlerent, et hic usus PAULO (forsan per BARNABAM) innotuerit; „*jedoch*", addit, „*ist besonders das Zusammentreffen in der Art, wie der Beweis behandelt ist, auffallend, und führt eher auf die Abfassung der Reden durch* LUKAS." Nihil vero nobis magis consentaneum esse videtur, quam ut PAULUS, qui saepius etiam in epistolis ad V. F. vaticinia provocat, per CHRISTUM impleta (vid. infr.), eandem illam, atque PETRUS, sententiam adhibuerit, quippe quae in ipsius consilium, cum alterius Apostoli consilio prorsus conveniens, egregie quadraret. — SCHNECKENBURGERUS (in op. l., p. 129 sqq.) dicit: „*Sie (diese Rede) ist nur ein Widerhall der Vorträge des* PETRUS *und* STEPHANUS"; quod SCHWEGLERUS de omnibus PAULI orationibus contendit (in op. l., II, p. 95). Ille vir doctus, ut suam sententiam firmet, singulas orationis Antiochenae partes cum orationibus, in praecedente parte obviis, comparat (XIII: 17—22 cll. VII: 2 sqq.; XIII: 23—26 cll. III: 13 sqq.; XIII: 27 sqq. cll. III: 14 sqq.; XIII: 26 cll. III: 26; XIII: 31 sqq. cll. I: 22; XIII: 34—38 cll. II: 25—32; XIII: 40 cll. II: 19 sqq.); praeterea mirum est ex ejus mente, PAULUM omnem vim tribuere JESU resurrectioni, non, pro more suo, morti, et ἄφεσιν ἁμαρτιῶν ex illa non quidem derivare, sed tamen cum illa arctissime conjungere; denique contendit, Apostolum nimis leniter loqui, atque oppositionem inter legem fidemque nimis levem esse, si attenditur ad ea, quae de eodem argumento in *epistolis ad Romanos* et *Galatas* leguntur. Putat tamen, hanc orationem revera a PAULO esse profectam. — Ulterius procedit BAURUS (in op.: PAULUS etc., p. 101 sqq.), hanc orationem, prouti etiam SCHWEGLERUS, haud *Paulinam* esse censens. Instituit ille etiam talem, qualem SCHNECKENBURGERUS, comparationem (XIII: 16—23 cll. VII: 2 sqq. praecipue XIII: 17 cll. VII: 17;

Ita synagogam Judaeorum Thessalonicensium ingressus, *per tria sabbata cum iis disseruisse* dicitur,

---

XIII: 23—31 cll. X: 37—41 et III: 13—17, praec. XIII: 24 sq. cll. X: 37, XIII: 27 cll. III: 17, XIII: 31 cll. III: 15; XIII: 32—37 cll. II: 27 sqq.). Ut difficultatem removeat, quae ex sententia vs. 38 sq. obvia, oritur, profitetur, libri scriptorem perspexisse, se jam satis diu Apostolum *Petrina* ratione loquentem induxisse, illamque igitur sententiam addidisse, ut in lectorum memoriam revocaret, PAULUM concionari; praeterea observat, illam haud recte cum praecedentibus dictis cohaerere, et contrariam menti Apostoli esse, quippe qui a *morte* sub conditione resurrectionis veniam peccatorum repetere soleat, non, prouti in orationibus *Petrinis* fit, mortem commemoret, ut eo majorem vim resurrectioni tribuat. — Eandem difficultatem de vi, quam PETRUS atque PAULUS resurrectioni tribuunt, et hic praecipue hoc loco, etiam in lucem protrahit OLSHAUSENUS (*Bibl. C. üb. Sämmtl. Schrift. d. N. T.*, II, ad vs. 37 sqq.); qui tamen eam removet, observando, PAULUM coram iis disputantem, qui nondum Christiani erant, mortem, quia offendiculo esse posset auditoribus, obiter modo commemorare debuisse, resurrectionem autem diserte adumbrare; in epistolis vero eundem Christianos alloquentem, hanc ipsam ob causam etiam aliter versari. — Ea, quae vs. 40 sq. leguntur, addita esse, censet BAURUS, propter sequentia. — Attamen haud recte nobis SCHNECKENBURGERUS et BAURUS versari videntur. Etenim, si prior pars orationis PAULI cum ea, quae STEPHANO tribuitur, confertur, statim discrepantia in oculos incurrit. Nimirum de iisdem agit hic atque ille, quia coram ejusdem gentis sociis sermo fit; sed hic de iis, quae ille modo attingit, disertissime atque fuse disputat. Quanta discrepantia inter rationem adsit, qua hic de gentis origine atque commoratione in deserto agit, et ille de iisdem disserit, neminem fugere potest; causa autem hujus discrepantiae facile patet; hic enim gentis *pertinaciam*, erga Deum *beneficum* semper manifestatam, vivide adumbrare vult; ille unice Dei beneficia immensa ob oculos ponere; ita etiam prorsus alia ratione de DAVIDE mentionem facit PAULUS, alia STEPHANUS (XIII: 17—22 cll. VII: 1—45). De SALOMONIS regno aliisque verba facit hic *Act.* VII:

procedens *ex V. F. scriptis*, *cum explanaret* nimirum *et docendo commendaret*, *decuisse*, secundum Dei con-

---

47), silet ille. — Quod ad posteriorem orationis Antiochenae partem attinet, eadem quidem in ea enarrantur, quae in PETRI orationibus, quia hic idem atque alter Apostolus habebat consilium Judaeos nimirum ad CHRISTUM perducendi; — inde etiam satis explicatur, cur tam leniter loquatur PAULUS; in *epistolis* autem *ad Romanos* et *Galatas* duriorem hic illic instituit sermonem, quia aliud consilium spectat (vid. infr.); — sed tamen ratio, qua uterque orator versatur, satis differt; fusius in JOHANNIS *Baptistae* opere describendo versatur PAULUS; PETRUS de hoc chronologice modo mentionem facit (XIII: 24, 25 cll. X: 37); rationis, qua uterque de CHRISTO ejusque fatis agit, similitudo non major est, quam quae argumenti similitudine efficitur; eodem dicto ex Psalmo XVI utuntur oratores, sed, ut rite observat EBRARDUS (in op. l., p. 893): „*Die Anwendung ist aber keineswegs gleich, sondern gerade recht individuell verschieden.* PAULUS *drängt seiner körnigen Weise gemäss in 40 Worte zusammen, was* PETRUS *in 142 Worte auseinanderlegt.*" Porro immerito contendunt SCHNECKENBURGERUS atque BAURUS, PAULI menti vel minus, vel plane non convenire liberationem a peccato justitiamque eum resurrectione arcte conjungere (XIII: 38, 39 cll. 1 Cor. XV: 17). Denique, si PETRI sermones cum PAULI oratione comparantur, patet, illum verborum flumine velut erumpere eaque, quae dicit, non ab omni parte absoluta esse; hunc didactice atque considerate ab initio usque ad finem procedere, omniaque, quae affert, arcte cohaerere. Tandem observatione dignissimum est, nec PETRUM neque STEPHANUM de SAULO mentionem facere, cum gentis fata recensent; de eo vero loqui PAULUM, quippe cui, historice procedenti, sponte quasi in mentem veniret ille rex, qui idem, atque ipse aliquando, nomen gesserat, et ex eadem tribu originem ceperat. — Caeterum de tota hac oratione egregie egit v. d. PROES in *disp.* l., qui eam accurate cum PETRI sermonibus comparat (p. 50 sqq.); quid STEPHANI orationi soli proprium sit, investigat (p. 64 sqq.); orationem Antiochenam cum aliis *Paulinis* orationibus comparat (p. 78 sqq.); denique eam cum PAULI epistolis confert (p. 94 sqq.).

silium, *pati et resurgere e mortuis* CHRISTUM, *et hunc esse* vere CHRISTUM, JESUM nempe illum, *quem iis annuntiabat* PAULUS (1). De Judaeis Beroeensibus legimus, eos ejusdem Apostoli, qui cum SILA eos adierat, praedicationem (*sermonem*) *omni cum animi alacritate accepisse*, *dum quotidie scripta V. F. disquirebant*, ut scirent,. *num ea*, quae iis praedicata erant, si ad illa attenderetur scripta, *sese ita haberent* (2). Ex hac relatione sponte sequitur, PAULUM Beroeae etiam probasse, omnia, quae JESU evenerant, Supremi Moderatoris consiliorum, quorum sensus atque exspectatio jam in scriptis expressa erant, esse exsecutionem, illumque Servatorem ex divino promisso apparuisse, mortuum esse atque resurrexisse.

Ad FESTI tribunal vocatus contendit noster, *se secundum* rationem (*viam*), *quam haeresin* sectamve *dicunt* adversarii, *ita Deum colere patrium*, ut *omnibus iis*, *quae secundum legem*, *iisque*, *quae in prophetis sunt scripta*, *fidem habeat*, quippe qui *in Deum reponat spem*, *quam et ipsi isti* adversarii *exspectant*, *fore ut*, *resurrectio futura sit tam justorum*, *quam injustorum* (3); paullo inferius asseverat Apostolus, quod jam antea coram synedrio Hierosolymitano pronuntiaverat, *se propter mortuorum resurrectionem hodie* a Judaeis *in judicium vocari* (4); eum autem resurrectionis illius cer-

(1) *Act.* XVII: 1—3.

(2) Ib. vs. 10, 11.

(3) *Act.* XXIV: 14, 15 cll. vs. 1 sqq.

(4) Ib. vs. 21 cll. XXIII: 6; ubi legimus, PAULUM, *cum cognovisset*, *alteram partem* synedrii Hierosolymitani *esse* ex partibus *Sadducaeorum*, *alteram* ex partibus *Pharisaeorum in* illo *synedrio exclamasse: Viri fratres, ego Pharisaeus sum, filius Pharisaei; περὶ*

titudinem ex CHRISTI resuscitatione, a Deo ipso palam effecta, repetere, mox clarius patebit.

ἐλπίδος καὶ ἀναστάσεως νεκρῶν ἐγὼ κρίνομαι, id est: *de spe et* quidem *de resurrectionis* spe *ego judicor.* Jure hoc contendere potuit Apostolus, quia JESUM annuntiaverat, tamquam eum, per quem resurrectionis mortuorum spes certa eveniret (conf. omnino NEAND., in op. l., I, p. 421 sq.). BAURUS vero putat (in op. PAULUS etc., p. 203 sqq.): Apostolum vere atque sincere hoc profiteri non potuisse, etenim inter eum ejusque adversarios non de mortuorum resurrectione in universum, sed de JESU resuscitatione litigari; PAULUM per hanc demum illam firmam evadere arbitrari, Pharisaeos e contrario illam agnoscentes concedere non coactos fuisse, hanc *revera* obtinuisse, sed unice hanc obtinere *potuisse:* — litem inter PAULUM ejusque adversarios illius de *lege* non de *resurrectione* sententiam spectasse: — intelligi non posse, quomodo Pharisaei atque Sadducaei, magnopere quidem dissentientes, sed tamen tam crebro secum invicem res habentes unoque synedrio conjuncti, adeo ut dissensus iste jam dudum detritus esse debuisset, uno captivi dicto ad talem turbam pervenerint, et quomodo alterae ex hisce partibus (Pharisaei) sese prorsus captivo adjunxerint (vs. 7, 9). Statuit hasce ob causas BAURUS, *pseudo*-LUCAM, consilii sui tenacem (vid. p. 22 sq.), arctissimam PAULI cogitandi sentiendique rationis cum Judaismo conjunctionem ab oculos ponere voluisse, ut ita Judaeo-christianorum inimicitiam contra Apostolum, tamquam legis violatorem susceptam, tolleret, pariterque ostenderet, eundem immerito a Judaeis vexatum esse. Quod ut ulterius confirmet criticus, provocat ad vs. 8; ea, quae h. l. inveniuntur, admonere supervacaneum fuisse arbitratur, nisi peculiare fuisset scriptoris consilium, quia dissensus istarum partium jam satis notus esset (*Act.* V: 34 sqq.), et praeterea ita vulgatus, ut in evangeliis silentio praetermitti soleat; dein monet, Pharisaeos, si ea, quae vs. 9 leguntur, dixissent, PAULI dicta *Act.* XXII: 6 sqq., 18 sqq. obvia respicientes, prorsus sese adjuncturos fuisse rei Christianae, quamvis etiam cum NEANDRO (in op. l., I, p. 422) aliisque verba *μὴ θεομαχῶμεν* glossam esse

Coram AGRIPPA semel iterumque profitetur PAULUS, *se propter spem promissi erga patres a Deo facti judicio subjectum stare* (1), *ad quam* spem, prouti addit, *duodecim* Israëlitarum *tribus, summo cum studio* (*ἐν ἐκτενείᾳ*) Deum *noctem diemque colentes, fore, ut perveniant sperant* (2). Significat orator hisce verbis Judaeorum exspectationem regni *Messiani* sive Divi-

---

statuas; denique improbabile esse opinatur, Pharisaeos istos, accusationum contra PAULUM prolatarum (*Act.* XXI: 28) ignaros, vanam arripuisse convenientiae speciem. — Hisce BAURI dictis respondemus: ex PAULI mente tam arctissime atque indivulso cohaerere JESU resuscitationem et mortuorum resurrectionem, ut ille verissime dicto vs. 6 obvio uti potuerit (1 *Cor.* XV: 13, 20 sqq.): — summo jure in synedrio tali dicto usum esse eundem, quippe qui ferre non posset, se a Sadducaeis, gravissima religionis Judaeorum capita negantibus, dijudicari: — rumorem istum in synedrio optime explicari, si tenemus, homines partesve gravissime dissentientes offensa quidem satis diu saepius celare, sed haec, *data opportunitate*, vehementer etiam manifestare solere, praecipue si homo, cum alteris partibus consentiens, ab alteris, iisque oppositis, dijudicetur: — LUCAM ea, quae vs. 9 leguntur, simpliciter addere propter vs. 8, conf. Matth. XXII: 23: — accusationes istas contra PAULUM prolatas de legis contemtu templique violatione, recte demum tractari potuisse, quum reo cum solis Pharisaeis res fuisset. — Veritatem hujus relationis defendit SCHNECKENBURGERUS (in op. l., p. 143 sqq.), quamquam putat: LUCAM eam consulto commemorasse, ut parallelismum inter PAULUM et PETRUM reliquosque Apostolos (*Act.* V: 34 sqq.) institueret: — illum historicum hyperbolice de omnibus *γραμματεῦσι τοῦ μέρους τῶν Φαρισαίων* asseverasse (vs. 9), quod de nonnullis, qui tale quid prae petulantia dixerint, valuerit (prouti etiam in paucis codicibus l. l. *τινὲς τ. Φαρ.* vel *τιν. τ. μέρ. τ. Φαρ.* legitur).

(1) *Act.* XXVI: 6, cll. vs. 7.

(2) Ib. vs. 7.

ni (1); qua significata, ex auditoribus quaerit: *Quid? apud vos ἄπιστον judicatur, si Deus resuscitat mortuos* (2)? atque ita ostendit, se accusari, quia illud regnum firmum evadere censet JESU resuscitatione, mortuorum resurrectionis invictam gignente persuasionem. In eadem oratione affirmat, *se testificari majori atque minori*, id est, omni hominum generi, simul ita *nihil extra ea loquentem*, *quae* MOSES *atque prophetae dixerunt eventura esse* (3): *Εἰ παθητὸς ὁ Χριστός, εἰ πρῶτος ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν φῶς μέλλει καταγγέλλειν τῷ λαῷ καὶ τοῖς ἔθνεσι* (4). Cum Judaeis Romanis disputans autumat Apostolus, *se*, *cum nihil adversus gentem Judaicam moresve, a patribus traditos, egisset, captivum ex Hierosolymorum* urbe *in Romanorum ma-*

(1) Prouti MEYERUS (in c. l., ad h. l.) et DE WETTIUS (in c. l., ad h. l.) interpretantur, recte statuentes, nimis arcto sensu h. l., prouti etiam *Act.* XXVIII: 20, a GROTIO de sola resurrectionis spe cogitari, si attendas ad vs. 7.

(2) Ib. vs. 8.

(3) Ib. vs. 22. PAULUS arctissimum vinculum suam praedicationem inter atque MOSIS prophetarumque, id est, V. F., effata adeo urgens, de V. F. cogitat, quatenus hoc per CHRISTUM ad summam ducitur perfectionem. Idem valet de effato XXIV: 14 sq. obvio, quod jam citavimus. Immerito igitur BAURUS contendit (in op. PAULUS etc., p. 211), Apostolum, si sincere loqui voluisset, dicto *Act.* XXVI: 22 uti non potuisse, quippe qui e. g. ei, quod *Gen.* XVII: 14 legitur, non fidem habuerit. Rite observandum, Apostolum censuisse, praeceptis statutisve nonnullis V. F., — prouti e. g. praecepto circumcisionis, quod l. l. V. F. occurrit, — suum constitisse honorem tempore ante CHRISTUM, quamquam simul ista post CHRISTI adventum non amplius necessaria igiturque obsoleta esse putavit. Conff. *Rom.* IV: 9 sqq., *Gal.* III: 24 sqq., IV: 1 sqq., cll. V: 2 sqq., VI: 12 sqq., *Col.* II: 17.

(4) Ib. vs. 23.

nus traditum esse (1). Paullo inferius contendit, *se propter spem Israëlis*, regnum *Messianum* sive Divinum spectantem, *catena ea*, quam fert, *circumdatum esse* (2). Eundem Judaeis istis exposuisse *διαμαρτυρόμενον regnum Divinum, et persuadentem iisdem de iis, quae Jesum spectant, ex Mosis lege prophetarumque vaticiniis* progressum, *a tempore matutino usque ad vesperam* (3), addit LUCAS.

Videmus igitur, Apostolum in hisce etiam, quae citavimus, effatis gentis suae summa commoda, divinitus concessa, ubi par est, in lucem protrahere, pariterque regimen illius Dei summis prosequi laudibus, qui CHRISTUM, antea promissum, hominibus reluctantibus, salutis Effectorem constituit, eumque de morte resuscitatum talem *in perpetuum*, omnibus, qui percipere velint, clare exhibet.

Eadem prorsus ratione plus semel in epistolis patriarchas commemorat PAULUS (4), gentis Judaicae praerogativa enumerat (5), ad ejus fata per saeculorum decursum attendit, ut, pro opportunitate data, vel ejus peculiarem institutionem enucleet (6), vel magis ejusdem pertinaciam, perversitatem atque Dei neglectum adumbret (7). JESUM pessima Judae-

(1) *Act.* XXVIII: 17.

(2) Ib. vs. 20.

(3) Ib. vs. 23.

(4) *Rom.* IV: 1 sqq., IX: 7 sqq., *Gal.* III: 6 sqq. cll. IV: 22 sqq. etc.

(5) *Rom.* III: 1 sq., IX: 4 sq., XI: 1 sq., *Eph.* II: 12 etc.

(6) *Rom.* V: 20, XI: 2 sqq., *Gal.* III: 19 sqq.

(7) *Rom.* X: 19 sqq., 1 *Cor.* X: 1 sqq., 2 *Cor.* III: 7 sqq., 1 *Thess.* II: 15 sq. etc.

orum principum ignorantia cruci affixum esse eodem prorsus modo, atque in Antiochena oratione, semel iterumque contendit (1); simul vero, prouti etiam in hac, excelsi illius hominis mortem, sepulturam, resuscitationem secundum praesagia antea edita obtinuisse (2) addit; hanc resuscitationem arctissime cum mortuorum resurrectione cohaerere profitetur (3); quam saepissime, si quid probare vult, ad V. F. provocat (4); de euangelio, quod Deus *προεπηγγείλατο διὰ τῶν προφητῶν αὐτοῦ ἐν γραφαῖς ἁγίαις* loquitur (5), et quot sunt Dei promissa, tot in Christo esse *τὸ ναί* et in Christo *τὸ ἀμήν* (6), id est, objective et subjective, ut ajunt, vera sive eventu comprobata pronuntiat.

Prae caeteris quidem PAULUS insignem Dei curam in gentis suae fatis expressam cernit, sed eandem etiam in genere humano reliquo observat gentilium ille Apostolus (7). Hoc facit cum plus semel in epistolis,

(1) 1 *Cor.* II: 8 cll. 1 *Thess.* II: 15.

(2) 1 *Cor.* XV: 3 sq.

(3) 1 *Cor.* XV: 13, 20 sqq., 2 *Cor.* IV: 14; conf. p. 34.

(4) *Rom.* III: 10 sqq., 1 *Cor.* I: 19, 2 *Cor.* VI: 16 sqq. etc.

(5) *Rom.* I: 2.

(6) 2 *Cor.* I: 20. Conf. MEY., *Krit. ex. Komm. üb. d. N. T.*, VI, ad h. l.

(7) Judicat BAURUS (in op. per.: *Tüb. Zeitschr.*, 1836, 3, in comm. l.: *Ueb. Zw. und Veranl. des Rb.*, p. 98 sqq., et in op.: PAULUS etc., p. 363 sqq.; conf. etiam SCHWEGL. in op. l., II, p. 88 sqq.), *pseudo*-LUCAM, ubivis enarrantem, PAULUM primum semper Judaeis, et, his renitentibus, gentilibus euangelium annuntiasse, et tale cogitandi agendique principium ipsi Apostolo tribuentem (*Act.* XIII: 46), consulto a veritate historica deflexisse. Primum *obiter* impugnat criticus ille veritatem relationis, Apostolum statim post conversionem coram Judaeis Damascenis praedi-

tum in orationibus Lystris atque Athenis eo consilio habitis, ut gentiles ad CHRISTUM duceret. In iis ora-

---

casse (*Act.* IX: 20 sqq.), et horum vexationem sibi contraxisse (*Act.* IX: 23 sq.), argumentis petitis ex PAULI silentio de ea praedicatione in *epistola ad Galatas* et ejusdem diserto testimonio, se propter ARETAE persecutionem Damascum effugisse (2 *Cor.* XI: 32 sq.). Praeterea fide indignum esse, ducit BAURUS, Apostolum, primum post conversionem Hierosolyma visitantem (*Act.* IX: 26), fuisse *παῤῥησιαζόμενον ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου Ἰησοῦ* (*Act.* IX: 28 sq.), et propter Judaeorum (Hellenistarum) insidias in urbem Tarsum fugisse (*Act.* IX: 29 sq.); quae ut probet, citat verba PAULI, in *epistola ad Galatas* (I: 18) obvia, aliam causam, cur is Hierosolyma petiverit, afferentia, et de evangelii annuntiatione, ibidem facta, nihil continentia, quin adeo contrarium testantia. — Eadem haec dubia de industria et ulterius explicuit criticus in praecedente operis parte (p. 104 sqq.), in qua nempe ostendere studuit, magnam esse pugnam inter ea, quae in *Actis Apostolorum* de primis PAULI post conversionem fatis referuntur (IX: 19 sqq. cll. XXII: 16 sq., XXVI: 20), prouti etiam de itinere Hierosolymitano, dein suscepto (XV: 2 sqq.), et ea, quae in *epistola ad Galatas* occurrunt de illis (I: 11 sqq.) atque de hocce (II: 1 sqq., si nempe statuas, *Act.* XV l. l., non XI: 30, idem iter describi, atque in illo capite). Hisce expositis, ipsas de PAULI praedicatione relationes deinceps impugnat criticus, nimirum observat: Apostolum cum BARNABA Antiochiae versantem coram gentilibus concionatum esse perhiberi, *Judaeorum* pertinacia, ut videatur, *sola* effectrice, adeo ut, si haecce sese non manifestasset, unam gentem istam continuo spectasset munus PAULI (*Act.* XIII: 42 sqq., 46 sqq.), quippe qui non *τῶν ἐθνῶν Ἀπόστολος* evasisset propter proselytos synagogam adeuntes, ipso *pseudo-*LUCA judice, a gentilibus distinctos (ib. vs. 46 sq., cll. vs. 43): — coram *gentilibus* Lystrensibus Apostolum praedicasse ferri Iconiensium *Judaeorum* odio atque instigatione repulsum (*Act.* XIV: 1 sqq.): — similiter eundem Corinthi, amicitia cum AQUILA, origine Judaeo, hujusque uxore PRISCILLA inita, quoque sabbato in syna-

tionibus, de quibus nobis paullo accuratius agendum est, non provocat ad illustria patriarcharum aliorum-

---

goga disseruisse diei (*Act.* XVIII, 1 sqq.), et demum post SILAE et TIMOTHEI adventum συνέχεσθαι τῷ λόγῳ enarrari (ib. vs. 5), ut ita, Judaeorum ira provocata, legitima videri posset illius coram gentilibus praedicatio, ab hoc inde tempore non amplius in synagoga instituta (ib. vs. 6 sqq.). Improbabiles videntur BAURO tales relationes, quia, si Apostolus ita egisset propter *pertinaces* Judaeos, prorsus supervacanea atque vana talis fuisset agendi ratio; quodsi autem ita egisset propter Judaeos *euangelio auscultantes*, sed ferre nolentes, gentiles eo beari, metus fuisset, ne illi a fide desciscerent, quamvis etiam ad istos gentiles tum demum laetus ferretur nuntius, cum Apostolus a *pertinacibus* Judaeis repulsum tulisset. Porro arbitratur criticus, in hisce relationibus prodire cogitandi rationem de ἀποστολῇ εἰς τὰ ἔθνη PAULO indignam, etenim alterutrum statuatur necesse esse, *vel* eum certe scivisse, se *gentilium* esse Apostolum, sed tum nullius ducendum fuisse pretii, num resisterent Judaei, quippe a quorum plurimis, jam antequam eos adiret, pertinaciam exspectare posset euangelii ille praeco, *vel* eum non certam habuisse de muneris sui ratione persuasionem, sed tum eum hanc re fortuita non accepturum fuisse; denique tam vacillantem agendi rationem non quadrare autumat in virum semper certum, quid agendum esset. — Hisce prolatis, eadem ratione de iis, quae Ephesi obtinuisse referuntur (*Act.* XIX: 8 sq., τινες enim vs. 9 de Judaeis accipit), judicat criticus, et de iis, quae *Act.* XXVIII: 17 sqq. enarrantur. De ultimis hisce speciatim argutatur: Judaeorum Romanorum agendi rationem non dicendam esse pertinaciam, sed potius exinde repetendam esse, quod isti, praedicatione PAULI audita, hujus argumentis non statim ad persuasionem de rei Christianae veritate pervenerint: — dictum vs. 22 obvium, non recte intelligi posse, quippe quo iidem isti finguntur ecclesiam Christianam, Romae vigentem, Apostolo jam dudum notam (*Rom.* I: 12 XV: 22) et ubivis celebratam (ib. I: 8, XVI: 19) ignorare. Hisce convenienter profitetur BAURUS, — summo jure rejecta sententia OLSHAUSENI (*Bibl. C. üb. sämmtl.*

que exempla, ad legem *Mosaicam*, ad prophetarum vaticinia, quae omnia, utpote auditoribus haud cog-

---

Schrift. d. N. T., III, p. 25 sqq.), eam difficultatem tollere studentis, — *pseudo*-LUCAM hanc narrationem finxisse, nt ostenderet, PAULUM euangelium non annnntiasse gentilibus, nisi postquam Judaei pertinacia sna sese illo indignos praestitisssent. Tali ex cansa etiam reliquas relationes repetit, utpote qnae prorsns non conveniant illi Apostolo, qui probe noverit, ad se *τὸ εὐαγγέλιον εἰς τὰ ἔθνη*, non *εἰς τὴν περιτομὴν* pertinere (*Gal.* II: 9). Ubique igitur in hisce etiam detegit consilium istud *pseudo*-LUCAE (eonf. p. 22 sq.), qno Jndaeorum opinionibns, nsibus, moribus, ritibus mordicus adhaerere fingatur PAULUS. — Nobis vero omnia ea, quae criticus ille profert, non recte observata esse videntur. Etenim, ut ab initio inde rem quam brevissime perseqnamur, censemus: omnino probabile esse, Apostolum illum fervidnm atqne iu agendnm pronnm *statim* Damasci coram gente sua euangelium annuntiasse; causam, cur hac de re nihil occurrat in *epistola ad Galatas*, mox breviter indieabimns: — pugnam, quae esse videri possit inter testimonium LUCAE, PAULUM Jndaeorum Damascenorum, et *illius ipsius*, se ethnarchae regis ARETAE persecutionem effugisse, tolli, si respicimns, Jndaeos in anxilium vocare potuisse illum ethnarcham: pronti nbivis gentis istins socii viros principes contra Apostolum irritare solebant (*Act.* XVIII: 12 sqq., XXIV: 1 sqq., XXV: 2 sqq.): — testimonium hujnsce, se ad cognoscendum PETRUM Hierosolyma primum adiisse, (*Gal.* I: 18) non pugnare cnm verbis LUCAE (IX: 26), simpliciter, nulla addita causa, narrantis, PAULUM Palaestinae capnt petivisse: — eundem tnne per brevissimnm illnd tempus in illa nrbe praedicasse propter causam jam indicatam verisimile dneimns; neqne hujus relationis veritas nobis infringi videtur verbis: *Ἤμην δὲ ἀγνοούμενος τῷ προςώπῳ ταῖς ἐκκλησίαις τῆς Ἰουδαίας κτλ.* (*Gal.* I: 22); etenim optime plnrimis Christianis eeclesiis Judaeae ignotus manere poterat PAULUS *Hierosolymis* concionans; quae insuper vs. 23 addnntur verba, satis eonfirmant LUCAE relationem; dletum denique *εἰς πᾶσάν τε τὴν χώραν τῆς Ἰουδαίας — ἀπήγγελλον κτλ.* (*Act.* XXVI: 20)

nita, exponere inutile fuisset, sed ad Supremum illud Numen oculos convertere jubet, quod et operibus,

---

nihil valet; ex eo enim non sequitur, Apostolum (qui quam brevissime l. l. praedicationis suae rationem enarrat), *primum* post conversionem Judaeam visitantem, per totam hanc regionem euangelium annuntiasse, sed etiam aliud temporis spatium, quo Judaeam peragraverit, significari potest. Reliquas difficultates, quas affert criticus, examinare, et ita LUCAE relationes de primis PAULI fatis atque de itinere Hierosolymitano, dein suscepto, cum testimoniis, in *epistola ad Galatas* inveniundis, in concordiam revocare, longum est; conferri possunt hanc in rem ea, quae HEMSENUS (*Der Apostel* PAULUS. *Sein Leben, Wirken und seine Schriften*, 1830, p. 23 sqq., 85 sqq) et DA COSTA (in op. l., I, p. 90 sqq., 140 sqq.) attulerunt. Obiter monemus, LUCAM esse *historicum*, rerum capita sola saepius (conf. e. g. XX: 1 sqq.) afferentem, et eclectice versantem, PAULUM data opera in illa epistola sua fata post conversionem enteuns enarrare, quatenus ex iis probare vult, se non esse ἀνθρωποδίδακτον; inde autem tuto effici potest, *historicum* reticuisse, quae *Apostolus* accurate exponere debuerit; et vicissim illum talia attulisse, qualia hic commemorare supervacaneum esse duxerit. Quod ad relationes de PAULI praedicatione attinet, defendimus: eum aliter versari nequiisse, si attendimus ad ea, quae ipse testatur *Rom.* I: 16, II: 10, III: 2, IX-XI, et si observamus, synagogas in variis urbibus eo tempore aptissimas fuisse ad praedicationem in illis *incipiendam:* — falsum esse figmentum ex *Act.* XIII: 42 sqq. ductum, PAULUM non ab initio inde sibi gentilium conversionem proposuisse; evertunt enim hoc figmentum quam luculentissime verba disertissima ib. vs. 47 cll. vs. 46 (πρῶτον) obvia: — narrationem de PAULI cum Judaeis Romanis agendi ratione optime intelligi, si ob oculos habemus, LUCAM rerum summam memoriae prodere: — dictum porro vs. 22 inveniundum minime indicare, istos Judaeos ecclesiam Christianam Romae vigentem, de qua vs. 15 mentio fit, ignorasse, sed de omnibus Christianis in universum istos contendere, quod speciatim de Romanis valeat, eosdemque exspectare a PAULO, ut hic accuratius, quam hactenus factum esset,

quae condidit, et continua Providentiae significatione hominibus quibuscunque, dummodo hi perci-

---

ipsos de re Christiana certiores redditurus sit: — verba denique, quae *Gal.* II: 9 occurrunt, unice denotare, PAULO eas regiones adeundas esse, in quibus gentiles majorem efficerent numerum (prouti JACOBUS, PETRUS et JOHANNES in Palaestina prae caeteris praedicandi negotium in se suscepisse ibidem dicuntur), minime autem significare illa, Judaeos, extra Palaestinam habitantes, ab Apostoli illius munere exclusos fuisse; ut recte observavit KLINGIUS (in comm. l., p. 305 sqq.), qui egregia multa contra BAURUM (in comm. l., p. 301 sqq.) admonuit, et attulit quoque symbolam, ad relationem XXVIII: 17 sqq. obviam eo melius explicandam, ratione tamen, quae nobis non necessaria videtur. — SCHNECKENBURGERUS veritatem relationum LUCAE etiam defendit (in op. l., p. 70 sqq.); quamquam statuit: historicum *Act.* XIII l. l. ostendere voluisse, PAULUM cum reliquis Apostolis amicitia junctum munus suum exsecutum esse: — eundem consilio suo convenienter adeo in lucem protraxisse, PAULUM, ex Hierosolymorum urbe progressum, primum semper Judaeos adiisse, et *Act.* XXVIII l. l. tamquam aptam clausulam libri attulisse, quia ibi, quod alibi de nonnullarum urbium incolis pronuntiatum sit, in universum de omnibus Judaeis atque gentilibus affirmetur, illos nempe ad euangelium accipiendum ineptos fuisse, igiturque Apostolum sese ad hosce convertere debuisse (conf. op. l., p. 84 sqq.): — de ecclesia Romana quam brevissime ib. vs. 15 agere LUCAM, quia, ut probare studet vir doctus, illam inter atque PAULUM non optima intercesserit ratio, et historici consilio consentaneum sit, Apostoli mala miseriamque non commemorare (in op. l., p. 120 sqq.). Verbulo monemus, hypothesin istam de consilio, quo BAURUS atque SCHNECKENBURGERUS *Acta Apostolorum* conscripta esse perhibent, optime refutari, si id, quod p. 25 significavimus, tenemus, PAULUM nempe in illo libro describi, tamquam euangelii praeconem coram Judaeis atque gentilibus; quomodo vero coram Christianis versatus sit, vel non, vel quam brevissime in eodem indicari. Id ipsum de omni Apostoli cogitandi, sentiendi

pere velint, sese cognoscendum praebet; et ita egregie aperuit viam, qua majorem iidem sensim sensimque acquirere possent explicationem, et magis magisque apti evadere valerent ad patefactionem in CHRISTO datam, absolutam illam, feliciter accipiendam.

Lystrorum incolae, qui prouti omnes gentiles *ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα* (1), cum PAULUM miraculum perpetrantem vidissent (2), eum ejusque comitem BARNABAM Deos esse opinati, divinos in utrumque conferre voluerunt honores (3); quod cum uterque observasset, non potuit non a tali superstitione ineptos admiratores avertere (4). Simul vero PAULUS (5) ipsam opportunitatem, ultro oblatam, arripit, ut omnem superstitionem, nuperrime tam luculenter manifestatam, impugnet, et studium in humana natura repositum, cujus perversa explicatio istam provocare solet, in melius dirigat. Hanc in rem primum poly-

---

agendique ratione, in *Actis Apostolorum* expressa, valet; hocce autem si rite ob oculos habemus egregie patebit, quam recte LUCAS in historia sua describenda versatus sit. Conf. 1 *Cor.* IX: 19 sqq.

(1) *Rom.* I: 25.

(2) *Act.* XIV: 8 sqq.

(3) Ib. vs. 11 sqq.

(4) Ib. vs. 14.

(5) PAULO orationem eam (vs. 15 sqq.) tribuendam esse, admonere fere supervacaneum est, si attendimus ad vs. 12 cll. vs. 9 et ad orationem Athenis habitam (vid. infr.). Quia vero unanimo consensu sese Lystrensium superstitioni opponebant Apostolus ille atque BARNABAS, et hic cum illo, Lystrenses alloquente, prorsus consentiebat, admonere negligit LUCAS, prouti etiam alibi facit, de aliis agens (IV: 19 sq., V: 29 sqq.), PAULUM solum loqui.

theismi atque idololatriae vanitatem increpat, verbis utens, *"Ανδρες, τί ταῦτα ποιεῖτε; καὶ ἡμεῖς ὁμοιοπαθεῖς ἐσμὲν ὑμῖν ἄνθρωποι, εὐαγγελιζόμενοι ὑμᾶς ἀπὸ τούτων τῶν ματαίων ἐπιστρέφειν ἐπὶ θεὸν ζῶντα* (1). Haec sane verba ad profliganda futilia gentilium figmenta erant efficacissima. Primum enim Apostolus significat, se suumque comitem ejusdem esse naturae, earundem indigentiarum affectionumque, atque istos anthropolatras. Dein consilium pronuntiat, quo ipse atque BARNABAS venissent, ut laetum nempe nuntium istis afferrent, a vanis de religione opinionibus sensibusque (2) istos avocarent, et eosdem converterent ad *Deum* vere perfecteque *viventem* (3); de quo latius in subsequentibus disserit orator profitendo, Illum omnium omnino rerum esse Creatorem, *Illumque praeterlapsis quidem temporibus omnes gentiles suis incedere tramitibus sivisse*, nulla peculiari sanctitatis suae patefactione data (4), sed tamen *benignitatem* suam continuo *contestatum esse* variis beneficiis, quibus vivere et vigere possent homines, coelitus largiendis, iisque donis, quibus, dum corpus sustentatur, *cor laete afficitur*, concedendis (5).

---

(1) Ib. vs. 15.

(2) Recte MEYERUS (in c. l., ad h. l.): „*τούτ. τ. ματ. bezieht sich auf die in der Vorstellung der Zuhörer gegenwärtigen Götter.*"

(3) Conf. *Rom.* IX: 26, 2 *Cor.* III: 3, VI, 16, 1 *Thess.* I: 9 etc.

(4) *Act.* XIV: 16.

(5) Ib. vs. 17.—BAURUS (in op.: PAULUS etc., p. 95 sqq.) veritatem narrationis impugnat et orationis ipsius authentiam haud obscure negat. Urget nimirum magnam convenientiam, deprehendendam inter relationem de miraculo a PAULO facto, quod fide majus esse

Athenis versans non dissimili ratione locutus est PAULUS; attamen explicatius et fusius ibi disseruit,

---

credit, — simul NEANDRUM, id explicare tentantem, acriter perstringens, — et de eo, quod PETRUS perpetrasse Hierosolymis narratur (*Act.* III: 1 sqq. Conff. SCHNECKENB., in op. l., p. 52 sq.; SCHWEGL., in op. l., II, p. 76); eam ob causam studium detegi posse putat criticus probandi, *illum* Apostolum in factis stupendis edendis *hoc* non fuisse inferiorem. Satis insuper mirum esse opinatur: *hoc* demum *miraculum* talem habuisse effectum: — Lystris ejusmodi apotheosin obtinuisse: — illius denique urbis incolas paullo post modo prorsus contrario in PAULUM ejusque comitem animatos fuisse (*Act.* XIV: 19). Mythum illum de JOVE et MERCURIO, aliquando in hisce tractibus a PHILEMONE et BAUCIDE in hospitium receptis (OVID., *Metamorph.*, VIII, 611 sqq.), *pseudo*-LUCAE narrationem probabilem reddere negat, deinceps significans: temerarie sumi, Graecorum atque Romanorum poëtas *non suo jure* istum mythum in *hasce regiones* transtulisse: — non satis probari posse, incolas ipsos eundem *hisce* vindicasse, et hoc etiamnum tempore theophaniis, prouti ante HOMERUM et hujus poëtae tempore, fidem habuisse. — Multo verosimilius e contrario esse putat, Lystrenses, si tale miraculum obtinuisset, PAULUM atque BARNABAM veneraturos fuisse, tamquam magos theurgosve, aeque atque in horum numero esse creditus sit APOLLONIUS ille *Tyanensis* (ex tractibus igitur Asiae Minoris, *Lystris* affinibus, ortus), qui non, quod falso contendat PHILOSTRATUS, Dei filius habitus sit. Autumat eas ob causas BAURUS, *pseudo*-LUCAM narrationem *secundum tales eventus mythicos* effinxisse, ut ob oculos poneret, tam PAULUM, quam reliquos Apostolos (*Act.* V: 11 sqq., X: 25 cll. XIV: 11) divinos accepisse honores (conff. SCHNECKENB., in op. l., p. 55, SCHWEGL., in op. l., II, p. 77). — Censemus de hisce BAURI ratiociniis: optime fieri potuisse, ut tam Lystris, quam Hierosolymis fuerit χωλὸς ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ: — quodsi autem quis miraculum fieri posse haud neget, tum facile intelligi posse, cur convenientia quaedam, salvo discrimine, quod ipse criticus agnoscit, in duobus ejusdem generis miraculis referendis adsit: — causam, cur Lystris hoc miraculum

eaque addidit, quae quominus Lystris pronuntiaret, importunitate temporis forsan est impeditus (1).

Exorditur orator, in Areopago verba faciens, ab observatione indolis religiosae, qua eminebant prae reliquis gentilibus Athenienses, magnum Deorum numerum honore prosequentes (2). Sed etiam opportunitate, antea oblata, sagacissime utitur, ut auditores a falsis proque arbitrio effictis Diis avocet, ad unum et

---

talem habuerit effectum, ex ipso illo mytho egregie illustrari, si tenemus, *horum tractuum* incolas superstitione fuisse infames; quare etiam poëtae, ut concedit BAURUS, ad *hosce* miranda facta summo jure referre potuerunt: — illos poëtas *suo Marte* narrationem de PHILEMONE atque BAUCIDE in *iisdem* obtinuisse contendisse, et LUCAM, simplicem narratorem, talem mythum arripuisse, ut fingendi genio indulgeret, perquam improbabile esse: — homines denique, et quidem rudes tales (conf. *Act.* XXVIII: 6), eo tempore non amplius theophaniis fidem habuisse, cum aliis argumentis refutari, tum iis, quae e. g. TACITUS (*Ann.* XI, 21, *Hist.* I, 86) narrat. — Quod BAURUS observat de scriptoris *consilio*, oritur ex illius hypothesi, de consilio, quo *Acta Apostolorum* conscripta sint; qui vero ex tali progreditur hypothesi, idem etiam solus tantam deprehendere potest convenientiam inter rationem, qua in PAULUM et reliquos Apostolos atque PETRUM (ll. ll.) divini honores collati esse dicuntur.

(1) *Act.* XVII: 22. Apostolum coram *judicum consessu* hanc orationem pronuntiasse, male nobis negare videtur DE WETTIUS (in c. l., ad vs. 19), contendens, illum ductum esse „*nicht vor den Gerichtshof — (von einer richterlichen Verhandlung ist im ganzen Hergange keine Spur), sondern damit er von dem erhabenen Platze besser gehört würde.*" Ita etiam NEANDER (in op. l., I, p. 239 sq.). Conff. ea, quae contra hanc opinionem observavit DA COSTA, in op. l, I, p. 189 sqq.

(2) *Κατὰ πάντα ὡς δεισιδαιμονεστέρους ὑμᾶς* (scilicet *ἄλλων*) *θεωρῶ.* Consulto Apostolus voce media *δεισιδαίμων* uti videtur,

unicum Deum, Atheniensibus vero *ignotum* (1), adducat. Illum *mundum omniaque, quae in eo* adsunt, *condidisse* affirmat, et adeo illimitatum sibique sufficientem esse, ut *non in templis manu conditis habitet*, neve *ullo* hominum cultu *indigeat*, cum *Ipse largiatur cunctis vitam*, *halitum atque* omnino *omnia* (2). Hisce adumbratis, ad singulare Dei moderamen erga genus humanum explicandum progreditur noster. Illum *hoc genus ex uno sanguine* produxisse (*fecisse*) testatur, adeo ut in omnibus eadem sit natura, eaedem vigeant facultates, una omnibus sit destinatio; Illum homines *supra totam terrae superficiem habitare* voluisse addit, gentiumque fata moderatum esse, *constitutis* in consilio suo *periodis definitis* gentium habitationis in singulis regionibus hujusque *habitationis* ipsius certis *termi-*

---

quippe quae, *observantiam erga Numina* et etiam *superstitionem* indicans, tam laudem, quam culpam involvere possit (conf. *Act.* XXV: 19). De uno Deo agens verbo honorifico *ἐυσεβεῖν* utitur orator (XVII: 23). De Atheniensium *δεισιδαιμονίᾳ* conf. omnino GROTIUS ad h. l. Vidd. etiam ea, quae NEANDER (in op. l., I, p. 257, 260 sqq.) annotavit.

(1) Ib. vs. 23. Quid de hoc *ἀγνώστῳ θεῷ* cogitandum sit, exposuere HEMSENUS (in op. l., p. 145 sqq.), NEANDER (in op. l., I, p. 262 sq.), MEYERUS (in c. l., ad. h. l.). Praecipue memorabilis est narratio, quam DIOGENES LAËRTIUS (I, 10, 3) memoriae prodidit, EPIMENIDEM, peste Athenis grassante, suasisse, ut oves nigrae albaeque immolarentur *τῷ προςήκοντι θεῷ* eo loco, in quem istae, ex Areopago emissae, pervenirent: *ὅθεν ἔτι καὶ νῦν ἐστιν ἑυρεῖν κατὰ τοὺς δήμους τῶν Ἀθηναίων βωμοὺς ἀνωνύμους*, id est, *sine nominibus* vel *sine definitis nominibus* inscriptis. — Caeterum lectio *ὃν οὖν — — τοῦτον κτλ.* praeferenda videtur prae ea, quam recepit LACHMANNUS *ὃ οὖν — — τοῦτο κτλ.*

(2) Ib. vs. 24 sq.

nis, adeo ut in generis humani historia ubique venerandum Illius moderamen prodeat (1). Consilium, quo Ille cuncta disposuerit atque continuo moderetur, hoc esse pronuntiat Apostolus, ut Illum, tamquam Dominum Supremum, *quaerant homines*, *si forsan Illum*, *ubique praesentem*, *manibus* veluti *contrectare* valeant, et summo cum studio *inveniant;* quamquam haec ipsa perscrutatio non difficilis est ex concionatoris mente, quia Ille *a singulis hominibus haud procul abest* (2), etenim tantum inter hos Illumque vinculum adesse, affirmat PAULUS, *ut hi in Illo vivant*, *sese moveant atque sint* (3), id est, ut sine Illo nec vita, qua hi gaudent, nec minimus motus, ne exsistentia quidem nuda cogitari et adesse queat. Ipsum hoc tam arctum vinculum intimamque rationem hominis excelsam naturam arguere, judicat orator, etenim statim ad ARATI aliorumque poëtarum dictum provocat, idque suum facit: *Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν* (4), quo effato utens ob oculos ponit noster, conditionem, sub qua Creatoris sibi conscii fieri possint creaturae excelsae, in ipsa harum natura repositam, esse generis similitudinem, has inter atque Illum intercedentem.

---

(1) Ib. vs. 26. Respicit Apostolus sententiam, saepius in V. F. obviam (*Deut.* XXXII: 8, *Ps.* CXV: 16, *Ps.* LXXIV: 17); conf. STIER, *Die Reden der Apostel*, 1830, II, p. 146 sqq.

(2) Ib. vs. 27.

(3) Ib. vs. 28. Sententia *τ. γ. κ. γέν. ἐσμ.* explicationem continet verborum *ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν κτλ.*; haec igitur non adeo de dependentia omnium creaturarum a Deo, sed potius de praestantia hominis, arctissime cum Deo cohaerentis, ut rite observat NEANDER (in op. l., I, p. 265), accipienda sunt.

(4) Ib.

Postquam exinde argumentum petivit ad idololatriae cujuscunque vanitatem perstringendam, significantius etiam quam in exordio (1), ulterius progreditur, et ipsum euangelium annuntiat, egregie ita facto ostendens, summam esse conjunctionem inter *laetum* illum *nuntium*, cujus argumentum summum jam antea Atheniensibus significaverat (2), et Supremi Numinis manifestationem, a generis humani incunabulis inde ad hunc usque diem in rerum natura praestitam. Primum commemorat noster, Deum prae infinita benignitate, *tempora* ista praeterlapsa, *ignorantiâ* de Ipso Ipsiusque cultu infamia, *haud respicere* velle, et tamquam conditionem, sub qua *hujus* participes fieri possint *veniae* homines, *nunc omnibus ubique praedicare*, ut ab indole perversa sese in melius convertant (*poenitentiam agant*) (3); incitat dein auditores suos orator, ad huic praedicationi obtemperandum cogitatione *judicii*, aliquando divinitus de *mundo* habendi; Ipsum denique Supremum Numen *omnibus praebuisse* dicit *fidem Viro*, tamquam mundi judici ab Ipso *destinato*, tribuendam, *resuscitatione illius ex mortuis* (4).

---

(1) Ib. vs. 29.

(2) Ib. vs. 17.

(3) Ib. vs. 30.

(4) Ib. vs. 31. — Censemus cum NEANDRO (in op. l., I, p. 267), tam ex tota dicendi ratione, quam ex commemoratione mortuorum resurrectionis (vs. 32) sequi, versum 31 brevem modo exhibere conspectum eorum, quae orator dixit. — BAURUS (in op.: PAULUS etc., p. 167 sqq.) pro more suo *et* narrationem de PAULO Athenis versante (vs. 16 sqq.) figmentum esse, *et* orationem numquam habitam esse defendit. Perhibet

Supra observavimus, orationes PAULI, in *Actis Apostolorum* obvias, hoc nomine ab epistolis differre, ut

---

nimirum: nimium studium atque consilium *illam* redolere, quippe in qua omnes notae characteristicae Atheniensium expressae sint a scriptore, ut ostenderet discrimen, quod *tam* inter polytheismum, in Atheniensium urbe, cultus Graeci inclyta sede, vigentem, atque religionem Christianam, *quam* inter Atheniensium indolem atque Christianorum animum intercederet: — eam ob causam a *pseudo*-LUCA conturbatum spiritum propter *istorum* superstitionem Apostolo tribui (vs. 16): — hunc contra morem suum, non primum synagogam, sed gentiles adiisse fingi: — Epicureos atque Stoicos philosophos, *dein* Christiano nomini infensissimos, contra PAULUM disputantes proponi: — eundem alterius SOCRATIS ad instar novos Deos introducere accusari (XENOPH., *Memor.*, 1, 1, 1 cll. *Act.* XVII: 18), et, eadem ratione atque eum philosophum in ARISTOPHANIS *Nubibus*, PAULUM quoque, tamquam *σπερμολόγον*, ludibrio haberi: — ironiam denique Atheniensium, JESUM atque *τὴν ἀνάστασιν* Deum Deamque esse opinantium (vs. 18), eorundem levitatem in tota erga PAULUM agendi ratione conspicuam et rerum novarum cupidinem (vs. 21) *consultò* tam egregie depingi. Ansam talis narrationis fingendae scriptori fuisse, opinatur BAURUS, traditionem in ecclesia vigentem de DIONYSIO, primo Atheniensium episcopo (EUSEB., *Hist. Eccl.*, IV. 23, p. 185 sq.), qui aliquando ab Apostolo, coram judicum consessu in Areopago concionante, conversus fuisset; hanc traditionem a *pseudo*-LUCA arreptam esse statuit, ut is ob oculos poneret, quomodo tempore, quo vixerit, culti gentiles, quorum typi Athenienses dicendi sint, et philosophi de re Christiana, praecipue de resurrectione, *posteriore tempore* maxime ludibrio habita, cogitaverint. — Ipsam orationem PAULO abjudicat BAURUS, dicens: mirum esse, quam cito illa ad consilium summum atque primarium progressa, ut auditores nempe ad religionem Christianam amplectendam moveantur, convertatur ad doctrinam de resurrectione tractandam, quamvis Apostolus scire posset, quam facile ejus expositione laederentur Athenienses (vs 18): — hoc ubi teneas,

in illis coram iis, qui nondum Christiani sunt, verba fieri soleant. Ex illarum tamen numero excipienda

---

orationem laudes, vulgo in eam cumulatas, non mereri, praesertim si spectes, auditores, antequam argumentum primarium rite enucleatum sit, abire: — PAULUM igitur, summa sapientia in docendo insignem, tali ratione numquam loqui potuisse, sed necessario statuendum esse, *pseudo*-LUCAM ob oculos ponere voluisse, quantopere doctrina de resurrectione tempore, quo *ipse* vixerit, cultis gentilibus fuerit offendiculo, eundemque, ut eo efficacius hoc in lucem protrahere posset, priorem orationis partem, iis, quae istis nota essent, egregie accommodatam, composuisse. Tandem de difficultate, quae oriatur ex *ignoti Dei* commemoratione, agit BAURUS atque MEYERUM et NEANDRUM prae caeteris perstringit, talem Deum Athenis cultum esse defendentes. Contrarium hoc esse perhibet antiquorum testimoniis; quin adeo, quamvis statuas, in ea urbe aram tali consecratam Deo adfuisse, hunc tamen unice nomine, non notione a reliquis Diis discessisse putat, et non convenisse consilio oratoris, ad unum et unicum Deum auditores perducere volentis, verbo tale figmentum unice repeti posse a scriptore, posteriore tempore vivente atque Athenis haud versante, cui igitur falsi quid contendenti non metuendum esset, ut in reprehensionem incideret. — Obstant, quominus BAURI argumenta accipiamus, imprimis haecce: tam audacem fingendi rationem a simplicitate cum hujus narrationis, tum integri libri abhorrere: — PAULUM eadem ratione, atque alibi, Athenis quoque versatum esse, effici posse ex vs. 17: — Atheniensium descriptionem, veritati egregie consentaneam, narrationis authentiam, nostro judicio, confirmare: — maximopere probabile esse, doctrinam de resurrectione, si *postea* tantopere gentilibus fuerit offendiculo, jam Apostoli, eam praedicantis, aetate talem excitasse effectum: — multo magis verisimile esse, traditionem de DIONYSIO *Areopagita* ex LUCAE relatione, quam hanc ex illa ortam esse, quamdiu non probatum est a BAURO, quomodo talis traditio exstiterit: — ipsam orationem egregiam esse apologiam, si tenemus, in ea de duplice argumento diserte agi, quod antea injuste atque confuse dijudicaverant Athe-

est oratio, quam Apostolus Mileti coram Ephesiacae ecclesiae presbyteris pronuntiavit (1). Ejus argumentum summum, utpote ad rem nostram non perti-

---

nienses, de *Deo ignoto* et de JESU ejusque *resurrectione* (conf. vs. 18); quantopere autem ultima oratoris dicta cum praecedentibus conspirent effatis, supra exponere tentavimus: — falsum esse, ab Apostolo unicam vim tribui et tribui debere Dei *unitati*, si reputamus, prolatam fuisse contra eum accusationem ξένα δαιμόνια inducendi, eumque jam, ut poenam, contra hoc crimen statutam, effugeret, omnem cardinem orationis in eo vertere, quod Deus *Summus*, quem ille praedicabat, *ignotus* esset, ut ita Illum *unum* esse sponte pateret: — non fuisse aram ἀγνώστῳ θεῷ consecratam, haud satis probare criticum, cum tamen facilius sit, NEANDRUM atque MEYERUM perstringere, quam antiquorum dictis, quae citant, de industria melius explicandis et contra ea aliis afferendis rite refutare. — Injustum est judicium a SCHNECKENBURGERO prolatum (in op. l., p. 128 sq.), statuente, neque in hac oratione, neque in ea, quae Lystris est pronuntiata, peculiarem PAULI cogitandi rationem expressam esse, quin adeo ad Judaicae religionis sectatorem, si ea, quae XVII: 30 sq. occurrunt, excipias, utramque referri potuisse. Quisque videt, PAULO *primum* incubuisse Athenis, prouti etiam Lystris, polytheismum prudenter profligare; hocce autem si tenemus, non potest non in oculos incurrere, quam egregie in illa urbe id argumentum cum sua de JESU praedicatione conjunxerit orator. — SCHNECKENBURGERI judicium etiam suum facit SCHWEGLERUS (in op. l. II, p. 95 sq.), insuper contendens, orationem Athenis habitam non esse, nisi explicationem polemicam monarchiae divinae, prorsus *pseudo-Clementinarum homiliarum* indoli convenientem; doctrinam de *judicio futuro* dicit vir doctus: „*ein Glaubensartikel altjüdischer Rechtgläubigkeit*," quod ut probet, provocat ad HEGESIPPI de JACOBO *Judaeo-christiano* testimonium (EUSEB., *Hist. Eccl.*, II, 23, p. 78 sq.). Unice vero observamus, PAULUM ipsum saepius de hoc judicio agere, *Rom.* II: 16, 1 *Cor.* IV: 5, 2 *Cor.* V: 10.

(1) *Act.* XX: 17 sqq.

nens, sine damno hoc loco mittere possumus; observatu tamen digna sunt nonnulla dicta in ea obvia. Huc referimus illud effatum, quo Apostolus, exposita ratione, qua *ipse* Ephesi versatus est (1), de praedicatione sua, ibidem instituta, solemniter profitetur, *se nihil celasse eorum, quae utilia essent, adeo ut haec non annuntiasset, atque publice privatimque edocuisset,* quippe qui *tam Judaeis, quam Graecis praedicaverit τὴν εἰς τὸν Θεὸν μετάνοιαν, καὶ πίστιν τὴν εἰς τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν* (2). Significat hocce dicto, se collaudasse immutationem illam internam, quae continetur tam dolore de vita praecedente, a Deo sancto aliena, quam eo actu, quo a tali indole desistit peccator, et ad Deum sese convertit; quae porro necessario cohaeret cum fide, in JESU CHRISTO, sancto Dei filio, reposita. Paullo inferius declarat orator, *se ministerii* a JESU *accepti* rationi convenienter *praedicasse euangelium gratiae Dei*, id est, *laetum nuntium* de JESU CHRISTO, peccatorum Servatore, in quo amorem suum gratuitum efficacissime ob oculos ponit Supremus Moderator (3). In sequentibus loquitur noster de iis *omnibus, inter quos peragravit praedicans τὴν βασιλείαν (τοῦ Θεοῦ)* (4), hoc est, regnum Divinum, cujus initium JESUS e mortuis resuscitatus hisce in terris stabilivit, hoc effectu, ut terrigenae, euangelio auscultantes, omnem cogitandi, sentiendi agendique rationem Deo CHRISTO-

---

(1) Ib. vs. 18, 19.

(2) Ib. vs. 20, 21.

(3) Ib. vs. 24.

(4) Ib. vs. 25. Dictionem τοῦ Θεοῦ, utpote suspectae fidei, uncis inclusimus.

que consecrare enixe studeant, et sublimiori conditioni, post mortem futurae, in dies aptiores reddantur; idem indicat PAULUS, brevi post de *ecclesia* **τοῦ κυρίου**, quam hic sibi acquisivit suo ipsius sanguine, loquens (1). Dein orator affirmat, *se non subterfugisse, quominus praedicaret iis*, ad quos verba facit, **πᾶσαν τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ** (2), *omne totumve Dei consilium*, quod in euangelio illo expressum est, quodque in societate vere Divina, hisce in terris effecta, sese jam palam manifestat. In orationis denique clausula verba occurrunt gravissima: *At vero Fratres vos commendo Deo et verbo gratiae Illius, qui vos* **ἐποικοδομῆσαι** *potest, vobisque haereditatem largiri* valet *in omnibus sanctis* (3). Hoc effato vel disertissime declarat PAULUS, omnem hominum euangelio illustratorum perfectionem a Deo eoque sermone, quo Ille gratiam suam exhibet, id est, euangelio, quatenus praedicatur hominibus, pendere, omnem denique salutem consummatam, aliquando futuram, ab Eodem dimanare (4).

---

(1) Ib. vs. 28. De varietate lectionis, quae hoc loco adest conff. v. d. METELERKAMP, *Dissertatio theologica de* PAULLI, *ad presbyteros Ephesiacos, oratione valedictoria*, p. 13 sqq. MEY., in c. l., p. 259 sq. Si lectio *ἐκκλ. τοῦ Θεοῦ*, (quae etiam in *Cod. Vat.* invenitur, teste TISCHENDORFIO, in comm. l., p. 146) praeferenda sit, verba *διὰ τοῦ αἵματος τοῦ ἰδίου* (ita enim legendum videtur non *δ. τ. ἰδ αἵμ.*) optime explicantur: *per sanguinem sui ipsius* sc. filii, (vid. v. d. METELERK. in *diss.* l., p. 87 sqq.); etenim JESU *sanguinem, Dei sanguinem* dicere, in N. F. prorsus inauditum; idem v. d. et MEYERUS (ll. ll.) etiam reliquas lectiones dijudicant.

(2) Ib. vs. 27.

(3) Ib. vs. 32. Verba *τῷ δυν. κτλ.* nobis ad dictionem *τῷ θεῷ*, non *τῷ λόγῳ* referenda esse videntur.

(4) Conff. omnino ea, quae v. d. METELERK. (in diss. l.,

In orationibus coram Judaeis Hierosolymitanis, coram synedrio, coram FELICE et coram AGRIPPA pro-

---

p. 117 sqq.) et THOLUCKIUS (in op. per.: *St. und Kr.* 1839, II: *Die Reden des Apostels* PAULUS *in der Apostelgeschichte, mit seinen Briefen verglichen*, p. 312 sqq.), attulerunt, ut ostenderent, Apostolo hanc orationem esse tribuendam. Hic vir egregius etiam refutare tentavit argumenta, quae contra orationis authentiam attulit BAURUS (in opusc.; *Die Pastoralbr.*, p. 92 sqq.). Nuperrime disertius etiam, quam antea, hic criticus illam PAULO denegavit (in op.: PAULUS etc., p. 177 sqq.), contendens: non intelligi posse causam, cur illa habita sit: — Apostolum nimis certo sortem suam futuram vaticinari, adeo ut suspicio moveatur, orationem *post eventum* scriptam esse (quod etiam defendunt MAYERHOFFIUS, vid. p. 26, SCHNECKENBURGERUS, in op. l., p. 134 et DE WETTIUS, in c. l., ad vs. 25, quamquam *talem* orationem a PAULO habitam esse non negant): — ea vaticinia non congruere cum eo, quod *pseudo*-LUCAS ipse commemorat (*Act.* XXIII: 11), iisque, quae *in epistola ad Romanos*, paullo *ante scripta* (XV: 22 sqq.), leguntur; in *hac* enim metum quidem non reticeri (ib. vs. 30 sq.), sed pariter tamen bonam spem expressam esse (ib. vs. 23, sqq. 29, 32): — ab ecclesiae temporis illius ratione, quatenus haec ex ipsis Apostoli epistolis genuinis cognoscatur, abhorrere talem auctoritatem *presbyteris* (*episcopis*) tributam, ut reliquorum Christianorum partes agant: — falsos doctores, ab oratore descriptos, prorsus referre haereticos saeculo primo exeunte vel secundo ineunte vigentes. Ex hisce argumentis ducit BAURUS: scriptorem hanc orationem eo consilio finxisse, ut diserte atque vivide PAULUM depingeret, ultima vice libere praedicantem atque tristissimis fatis ab hoc inde tempore obviam euntem: — tenerrimos sensus in illa expressos scriptoris artem prodere, prouti etiam ea, quae vs. 36 sqq. leguntur. — Objiciendum est, nostro judicio, hisce argumentis: facile explicari posse causam, cur Apostolus ex hisce tractibus, in quibus tamdiu versatus erat, variis perlatis fatis, discedens, animum conturbatum sollicitum atque tenerrimo amore erga Christianos, inter quos praedicaverat, plenum effuderit: —

nuntiatis observatione dignum est studium Apostoli *accurate* depingendi vitam suam praecedentem, an-

non tam certo fatum suum vaticinari oratorem, ctenim ipse contestatur: τὰ ἐν αὐτῇ (Ἱερουσαλὴμ) συναντήσοντά μοι μὴ εἰδώς: — LUCAE testimonium *Act.* XXIII l. 1, obvium orationis authentiam confirmare; quodsi enim quis fingendi genio indulget, singula melius inter se congruere curat: — in *epistola ad Romanos* (XV: 31) etiam Judaeos Hierosolymitanos metuere nostrum, ut BAURUS ipse diffiteri nequit: — ea, quae in hac oratione vs. 23 occurrunt, rite ab iis, quae vs. 24 sq. inveniuntur, distinguenda esse; etenim PAULUS haec, non prouti illa ad spiritus sancti refert illustrationem; causa autem, cur in *epistola ad Romanos* (XV ll. ll.) spei plenus sit, hoc loco metu angatur, facile explicatur, si ob oculos habemus, illum hanc orationem pronuntiantem tristitia commotum fuisse propter discessum a carissimis hominibus, quos num iterum visurus esset, nesciebat, quin adeo, hoc non fore, *certissimum* esse *credebat* (conf. omnino THOL., in comm. l., p. 325 sq.): — BAURO non licere, ne κατ' ἄνθρωπον quidem, ut putat, hoc loco caput *epistolae ad Romanos* (XV), tamquam genuinum, agnoscere, quod alibi (conf. p. 12) spurium esse probare studet: — Apostolum coram *presbyteris (episcopis)* solis locutum esse, quia, temporis angustiis pressus, Ephesum redire non poterat (*Act.* XX: 16); nihilque igitur magis consentaneum fuisse, quam ut eos arcesseret, penes quos ecclesiae Ephesiacae erat moderamen, ut hi reliquis annuntiare possent, quae ultima vice dixisset PAULUS: — haereticorum descriptionem l. l. obvium prorsus convenire cum iis, quae de talibus hominibus e. g. 2 *Cor.* XI: 13 sqq., *Gal.* II: 4, III: 1, IV: 17 referuntur: — PAULUM insuper tamdiu Ephesi versatum, igiturque conditionis ecclesiae ibidem vigentis bene gnarum, talium hominum conamina praevidere potuisse, non fide majus esse: — consilium quoddam certum vel minime spirare totam orationem, quippe quae animi sensuum effusionem exhibeat talem, qualis illius authentiam omni dubio majorem reddit (conf. THOL., in comm. l., p. 312 sq.). — Consilium, quo ipsa *Acta Apostolorum* conscripta sint, minus in hac oratione, prouti etiam in ea, quae Athenis est habita, prodire censet BAURUS, (in op.: PAULUS

tequam CHRISTI patefactione beatus erat (1), hujus ipsius patefactionis indolem (2), omnem suam agendi rationem, euangelii praedicandi modum, atque fata, in eo annuntiando perlata (3). Prae caeteris classicum

---

etc., p. 182 sqq.); eas tamen apolegeticas esse, quippe quae laborem PAULI quoquo versus sese exteudentem atque efficacem Apostolique constantiam, omnibus numeris absolutam, in munere exseqnendo ob oculos ponant, addit, pariterque putat XX: 20 cll. vs. 27 PETRI exemplum ob oculos habitum esse, quippe qui a partibus *Judaeo-christianis*, prouti PAULUS in hisce dictis, *α τῷ ὑποστ.* (Gal. II: 12) immunis praestaretur. Discrte illud consilium detegit criticus in relationibus *Act.* XIX: 1 sqq., vs. 9 sqq. et 23 sqq. obviis, quae mythos vel liberas fictiones redoleant. Quomodo vero ea, quae vs. 9 sqq. et vs. 23 sqq. occurrunt, veritatis characterem prae se ferant, egregie osteudit THOLUCKIUS (in comm. l., p. 308 sqq.; conf. etiam DA COSTA, in op. l, I, p. 273 sqq.) — Idem, quod paullo superius de oratione Mileti habita prouuntiavimus, etiam valet contra ratiocinia SCHNECKENBURGERI (in op. l., p. 133 sqq.), probare conantis, in tota hac oratione *consilium* non *paraeneticum*, ut censent interpretes, sed *apologeticum* domiuari, quo Judaizautium offensa contra PAULUM, qualia e. g. NEANDRO judice (in op. l., I, p. 301 sqq.), in *epistola ad Galatas* occurrant, clam refutata siut. Nimirum multa quidem dicit Apostolus, quibus semetipsum ab omni sui studio (vs. 18 sqq., 33 sqq.) *defendit*, sed hisce adjicit satis multa, quibus curam ecclesiae et vitae Christianae perfectionem enixe *commendat* (vs. 28 sqq., 32), denique etiam talia pronuntiat, qualia neque *apologiam* neque *paraenesin* redoleut (vs. 22 sqq.).

(1) *Act.* XXII: 3 sqq., XXVI: 4 sqq. cll. XXIII: 6.

(2) *Act.* XXII: 6 sqq., XXVI: 12 sqq.

(3) *Act.* XXIII: 1, XXIV: 10 sqq., XXVI: 20 sqq. — Omnia, quae *Act.* XXI: 17 sqq. — XXVI, leguntur, consilio *pseudo-*LUCAE conveuienter relata esse, adeo ut vera a falsis discerni nequeant, enucleare tentat BAURUS, igiturque etiam autumat, PAULUM oratiónes dictaque, quae in hac parte occurrunt, vel non vel pror-

occurrit effatum in oratione coram AGRIPPA habita. Testatur nimirum PAULUS, sibi a JESU impositum esse, ut euangelii ope tam Judaeorum, quam gentilium *oculos aperiat*, *eosque convertat a tenebris ad lu-*

---

sus alia oratione pronuntiasse (in op.: PAULUS etc., p. 193 sqq.). De oratione *Act.* XXII: 3 sqq. obvia dicit, non probabile esse, praefectum captivo, ipsi nondum satis noto, daturum fuisse libertatem (*Act* XXI: 37 sqq. cll. XXII: 24 sqq.) coram plebe excitata loquendi, et hanc ipsam virum adeo exosum tamdiu patienter audituram fuisse. Sed, ut nobis videtur, ille praefectus sivisse potuit, Apostolum concionari, ut ita turbata tranquillaretur plebs; causa autem, cur haec illum audierit, indicatur XXII: 2. Quod insuper observat BAURUS, de hac oratione valere, quod etiam in eas, quae *Act.* VII: 1 sqq. cll. vs. 53, XVII: 22 cll. vs. 31 leguntur, quadret, Apostolum interpellari, postquam omnia dixerit, quae posset, falsum est, etenim unicuique ad XXII: 21 attendenti perspicuum est, oratorem plura addere voluisse de ipsa praedicatione inter gentiles. Porro observat criticus, commemorationem patefactionis illius, (*Act.* XXII: 6 sqq. et XXVI: 12 sqq.) quadrare quidem in PAULI consilium, ut ita ostenderet, se divina vi abreptum euangelium gentilibus praedicasse, sed etiam in id, quod *pseudo*-LUCAS persequatur; verisimilius autem esse utramque orationem ab historico profectam esse, quia Apostolus ipse illam patefactionem in epistolis non *ea ratione* in lucem protrahere soleat. Proferri possunt contra hoc argumentum dicta I *Cor.* IX: 1, XV: 8, *Gal.* I: 16 obvia. — Prouti jam vidimus (p. 33 sq., 35) opinatur criticus, relationem *Act.* XXIII: 6 sqq. inveniundam falsam, esse, et PAULUM tale quid, quale *Act.* XXIV: 14 sq. occurrit, dicere nequiisse. — Denique autumat ille, in omnibus iis, quae *Act.* XXI: 17 sqq. — XXVI enarrantur, prouti etiam in his orationibus, consilium prodire ostendendi, Apostolum innocentem esse, eundem Judaismi tenacem depingendi, accusationes contra eum prolatas reticendi; tale detegi consilium: *Act.* XXII: 3 sqq., quamvis PAULUS populo de sua innocentia persuadere non potuerit: — *Act.* XXII: 24, 30, ubi praefectus fingatur nescius, quid Apostolus deliquerit: —

cem, et a potestate Satanae ad Deum, ut per fidem, in CHRISTO repositam, *accipiant peccatorum veniam et haereditatem inter sanctos* (1).

Eadem ratione, qua in hisce orationibus, in epistolis etiam ad manifestationem continuam Dei in natu-

---

atque etiam *Act.* XXIII: 9, XXIV: 22 sq., XXV: 18, XXVI: 31, 32. Tandem improbabile putat BAURUS, PAULUM tantum tribuisse pretium judicio regis AGRIPPAE, viri non magnopere probi (*Act.* XXVI: 27 cll. vs. 2 sqq.). Sed hoc judicium tanti ab illo fit, propterea quod iste rex, melius de illo judicare posset, quam procurator gentilis; praeterea ea, quae ll. ll. leguntur, nullam AGRIPPAE continent laudem, sed unice, quae revera de eo valent, exhibent. — LUCAM consilio suo convenienter toties orationes tales taliaque dicta, qualia in hac parte hujus libri occurrunt, retulisse, silentio missis aliis, jam ante BAURUM observavit SCHNECKENBURGERUS (in op. l., p. 140 sqq.), qui tamen eo modo locutum esse Apostolum non negat. — Rite vero nobis animadvertendum esse videtur, LUCAM praecipue describere voluisse PAULUM, tamquam euangelii praeconem (vid. p. 42), et huic consilio prorsus convenire eas orationes eaque dicta; hisce enim illius praeconii rationes reddit, ejusdemque modum exponit *ipse reus.*

(1) *Act.* XXVI: 18 cll. vs. 17. Censemus cum HEMSENO (in op. l., p. 564) aliisque, PAULUM brevissime fata sua enarrantem, ad CHRISTUM ipsum immediate retulisse, quae secundum *Act.* IX: 15 sqq., XXII: 15 sq. per ANANIAM a CHRISTO perceperat. Caeterum quomodo ea, quae differunt inter relationes de PAULI conversione (*Act.* IX: 3 sqq., XXII: 6 sqq., XXVI: 12 sqq.), inter se conciliari possint, ostendere tentavit DA COSTA (in op. l., I, p. 58 sqq.). Attamen optime etiam statui posse defendimus, LUCAM in orationibus Apostoli referendis, vel in hujus conversione ipsum enarranda in rebus minimi momenti interdum minus accurate versari; hoc saltem nostro judicio multo probabilius est, quam quod BAURUS defendit (in op.: PAULUS etc., p. 60 sqq.), *eundem* scriptorem in *eodem* libro *ter eandem* rem enarrantem, *ter* etiam, data opera, *varie* eam descripsisse.

ra generisque humani fatis (1), ad polytheismi atque idololatriae vanitatem (2), ad hominis excelsam naturam (3), ad peccatum, tamquam tristem a Deo discessum, conditione historica gentilium, antequam hi CHRISTI patefactione beati sunt, contestante (4), identidem oculos convertit Apostolus; et etiam saepissime ea, quae ipse *expertus est*, vitam suam, *et* antequam CHRISTUM cognoverat, *et* postquam ad hujus pervenerat notitiam, in lucem protrahit (5). Quod autem in orationibus dictisque a LUCA memoriae proditis, propter causam supra expressam (6), minus indicatur, id continuo in scriptis Apostoli invenitur; quales nempe homines, quotidiana observatione docente, per CHRISTUM evadant (7).

Prouti vero in omnibus omnino orationibus, ita etiam in scriptis a Deo cuncta repetit, ad Illum cuncta refert PAULUS; ab Illius commemoratione incipit omnes suas epistolas, ad Illum continuo redit de variis argumentis disserens, in Illo desinit (8). Ab Illo repetit omnem hominis praestantiam, vim omnem, omnem salutem; sine Illo hunc nihil efficere atque prae-

(1) *Rom.* I: 19 sqq., 1 *Cor.* I: 21.

(2) *Rom.* I: 23, 25, 1 *Cor.* XII: 2, *Gal.* IV: 8, *Eph.* II: 12, 1 *Thess.* I: 9, IV: 5.

(3) *Rom.* I: 20, 1 *Cor.* XI: 7 (vid. infr.).

(4) *Rom.* I: 24, 26 sqq., 1 *Cor.* VI: 9 sqq., *Eph.* IV: 17 sqq. etc.

(5) 1 *Cor.* XV: 8 sqq., 2 *Cor.* XI: 22 sqq., XII: 1 sqq., *Gal.* I: 10 sqq., *Eph.* III: 8, 1 *Tim.* I: 15 sq.

(6) Vid. p. 25 cll. p. 42 sq.

(7) *Rom.* VI: 1 sqq., 2 *Cor.* V: 17, VI: 14 sqq., *Gal.* V: 24 sq. etc.

(8) Conff. e. g. *Rom.* I: 25, 1 *Cor.* XV: 57, 2 *Cor.* I: 3 sqq., IX: 15.

stare posse, diserte saepe pronuntiat (1). Illum omnes homines summa cum cura semper instituisse exponit; ita *in epistola ad Galatas* eandem rationem inter Deum hominesque adesse dicit, quae inter Patrem et liberos, qui primum *ἐν νηπιότητι* versati et *νηπίων* ad instar tractati, dein, ubi ad adultam pervenerunt aetatem, sui fiunt juris, et plenam bonorum paternorum acquirunt possessionem; cujus rei signum est ipsius Dei Filii excelsi in mundum missio *ἐν πληρώματι τοῦ χρόνου* (2). Alibi idem Deus, *qui* aliquando in mundo physico *lucem e tenebris splendere jussit*, effecisse perhibetur, ut lux *splenderet in* hominum *cordibus πρὸς φωτισμὸν τῆς γνώσεως τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ ἐν προςώπῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ* (3). Christianis tamquam supremam actionum normam proponit noster, ut omnia, minima etiam, *in Dei faciant honorem* (4). Deus ille, qui Filium suum, tamquam supremum donum hominibus dedit, hisce etiam spiritum suum largitus esse a PAULO dicitur, per quem omnes, in quibus adest, certissimum habent intus testimonium, se *τέκνα* esse *Θεοῦ. Εἰ δὲ τέκνα, καὶ κληρονόμοι· κληρονόμοι μὲν Θεοῦ, συγκληρονόμοι δε Χριστοῦ κτλ.* (5). In *epistola ad Romanos*, postquam accuratissime exposuit scriptor Dei actionem, quae genus humanum

---

(1) *Rom.* IV: 1 sqq., IX: 6 sqq., vs. 14 sqq., vs. 19 sqq., XI: 1 sqq., 1 *Cor.* I: 4 cll. vs. 8 sq., II: 7 sqq., *Eph.* IV: 6, *Phil.* I: 6, II: 13.

(2) *Gal.* IV: 1 sqq. Ea, quae h. l. exponuntur, omnes spectare homines infra videbimus.

(3) 2 *Cor.* IV: 6.

(4) 1 *Cor.* X: 31.

(5) *Rom.* VIII: 16, 17.

peccato deditum spectat, Illiusque consilium, quo primum pauciores, sensim plures, tandem omnes supremae salutis participes redduntur, cum alia admirabundus pronuntiat, tum haec *ἐξ αὐτοῦ καὶ δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα* (1). Consilium denique ultimum, quod Deus in homine atque genere humano sibi assequendum proponit, hoc esse dicit, ut Ipse sit *τὰ πάντα ἐν πᾶσιν* (2).

Ex iis, quae hactenus disputavimus, luculentissime effici potest, quaenam totius nostrae disquisitionis esse debeat ratio singularumque ejusdem partium successio. Quia enim a Deo cuncta repetit, ad Illum cuncta refert, arctissimumque vinculum, inter Illum et hominem stabilitum, ubivis ob oculos habet PAULUS, nostrum est hoc continuo observare, etenim tum demum singula rite intelligi poterunt, iisque clarissima lux affundetur, sive, ut aliis verbis idem enuntiemus, *anthropologia* PAULI prorsus est *religiosa*, igiturque huicce indoli consentanea ejus expositio sit necesse est. Procedemus idcirco in nostra disquisitione hac ratione, in:

Iª. parte *de hominis natura agemus;* ut ita pateat, quaenam qualisque hominem inter atque Deum sit *cognatio*, et quomodo haec *cognatio* veri nominis *conjunctio* evadere possit: in

IIª. —— nobis perscrutandum est de causa, cur haec conjunctio non felicius progressa sit,

(1) *Rom.* XI: 36 cll. IX: 23 sqq., X: 12 sqq., XI: 1 sqq., vs. 11 sqq., 25 sqq. (vid. infr.).

(2) 1 *Cor.* XV: 28 (vid. infr.).

et ita nobis erit opportunitas disquirendi de *homine peccante:* in

IIIa. parte videbimus, quid Deo moderatore obtinuerit ad peccatum removendum, et ita intimam Illum inter atque hominem rationem et ex hac orientem summam ejus perfectionem efficiendam; in hac igitur parte agemus *de homine cum* CHRISTO et per-hunc *cum Deo perfecte conjungendo.*

Judicamus, ex iis, quae attulimus, satis perspici, PAULUM non adeo de singulis hominibus, sed de homine cum genere humano conjuncto agere solere; hocce vero rite observare in gravissimis argumentis explicandis maximi erit momenti.

Denique vidimus, fontes, ex quibus placita sua haurire solet Apostolus, esse: 1°. *Vetus Foedus*, peculiarem Dei patefactionem continens: — 2°. *observationem naturae humanae*, *manifestatione* Dei, in rerum natura data, illustrandae: — 3°. *observationem historicam* conditionis generis humani tam Judaeorum, docente V. F., quam gentilium, docentibus cum fatis praeterlapsi temporis in universum, tum quotidiana experientia: — 4°. *patefactionem in* CHRISTO *datam*: — 5°. *experientiam ipsius Apostoli.*

Num etiam alii fuerint fontes Apostoli, petiti illi ex institutione sua, antequam Christianus factus erat, suo loco quam brevissime in ipsa commentatione indicabimus. Nunc unice monemus, illum, nostro judicio, ex ea institutione magis petivisse ratiocinandi atque disserendi methodum, quam ipsam disputandi materiam. Inter fontes illos denique, quos laudavimus haec intercedit ratio mutua, ut V. F. absolutum

atque impletum sit in *patefactione*, quam Deus in CHRISTO dedit; ut *manifestatio* in rerum natura concessa, qua hominis *natura excelsa* evigilat, sit *initium*, *patefactio*, quae per CHRISTUM adducta est, *culmen;* ut *historica observatio* doceat, neque *patefactionem peculiarem*, qua Israelitae gaudebant, neque *manifestationem* in natura, qua gentiles beati erant, sufficere potuisse propter peccati ortum atque progressum, sed etiam propterea quod neque illa, neque haec tot tantaque ad hominem perficiendum afferre potuissent, quot quantaque attulit JESUS, perfectissima Dei imago; ut ex *sua* denique *experientia* progressus, ubique Deum sese manifestantem cernere, et accuratissime ad hominem genusque humanum attendere edoctus sit PAULUS.

PARS I.

DE HOMINIS NATURA.

CAPUT I.

DE HOMINIS NATURA UNIVERSE.

§ 1.

Indicatur, qua ratione PAULUS *suas de hominis natura sententias communicet.*

Philosophi omnes, hoc nomine digni, accuratissime atque omni aliena auctoritate spreta de humana disquirentes natura perscrutari solent, qualis haec sit per se spectata, quibusnam sese exserat viribus facultatibusve, quaenam singularum harum virium facultatumve indoles sit peculiaris, quaenam tandem earundem mutua ratio atque conjunctio; ut ita vel prorsus novas proferant sententias, vel si, accurato instituto examine, eas veras esse perspiciant, quae

antea jam prolatae sint, has, novis allatis argumentis, muniant atque probent (1). Ea ratione versantur, quia probe sciunt, sibi cum ejusmodi hominibus rem esse, qui satis exculti sunt ad tam abstrusas disquisitiones, sermone, a communi usu remoto, haud raro prolatas, intelligendas atque dijudicandas.

Qui vero in vulgarium hominum commodum scribunt, ut hos instituant, et philosophorum nomen non profitentur, alio procedunt modo. Quodsi enim ipsis vel de natura humana agendum est, vel de aliis quibuscunque rebus, ad philosophiam pertinentibus, opportunitate ultro data, ex iis semper progrediuntur opinionibus iisdemque innituntur, quae aliunde jam notae sunt, et quando invaluerunt, tamquam verae atque indubitatae agnosci solent. Attamen, si philosophico non prorsus destituti sunt acumine atque ingenii vigore, easdem hasce sua ratione accipiunt atque ita aliis proponunt. Ad ultimos hosce etiam referendus est PAULUS. Etenim numquam ille in epistolis suis, data opera, de humana disputat natura, ut de hac nova multa atque abstrusa cum aliis communicet, sed, ubi res ita fert, talibus utitur dictionibus sententiasque profert tales, quales lectorum neminem latere possent, sed unicuique satis jam vel ex quotidiano usu, vel ex V. F. scriptis innotuissent; idem vero illas pro ingenio, quo pollebat, acri, pro multa, qua exercitatus erat, expe-

---

(1) Conf. id, quod p. 2 sq. in universum de philosophorum disquirendi ratione observavimus.

rientia, pro tota denique cogitandi sentiendique ratione, CHRISTI spiritu illustrata, profert atque exponit. Haec, quae diximus, vera esse, ex ipsis iis, quae tam in hoc capite, quam in tota hac commentatione deinceps enucleabimus, satis superque apparebit.

§ 2.

De naturae humanae trichotomia, in PAULI *scriptis inveniunda.*

In *epistola ad Thessalonicenses priore* (1), Apostolus lectoribus suis imprecatur, ut *Deus pacis* salutisque omnis auctor *eos integros reddat sanctos*, et in subsequentibus addit: *καὶ ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ πνεῦμα καὶ ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα ἀμέμπτως ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τηρηθείη.* Ejusdem naturae humanae divisionis in *spiritum*, *animam* atque *corpus*, quae *trichotomiae* nomine nuncupari solet, vestigia etiam saepissime in epistolis variis deprehenduntur, quatenus nempe vel una ab altera hominis parte in uno quodam dicto distinguitur (2), vel de *una* sola ita sermo fit, ut, si ea, quae de *alia* in aliis dictis referuntur, conferas, accuratus atque distinctus observari possit usus. Obiter nunc monemus, quod infra fusius exponemus, vocem *πνεῦμα* a voce *ψυχή* non, ut nonnullis placuit viris

---

(1) V: 23.

(2) Conff. e. g. 1 *Cor.* II: 11, 14, 15; *Rom.* VIII: 10 etc. (vid. infr.).

doctis, vel parum vel nihil differre (1), sed ita discedere, ut illi sublimior, quam huic notio ab Apostolo tribuatur.

Trichotomia ea, quae apud PAULUM invenitur, si prima ejus vestigia eruere velis, jam occurrere videtur in V. F., quatenus in eo praeter *corpus*, quo homo instructus est, רוּחַ, tamquam *sublimius principium*, quo gaudet idem, et נֶפֶשׁ, tamquam *inferior vis*, commemorantur (2). In *versione Alexandrina* dictum, in *Jobi libro* inveniundum (3), secundum eam

---

(1) Conf. OLSH., *Opuscula theologica*, 1834, in quibus (p. 145 sqq.) commentatiuncula invenitur: *De naturae humanae trichotomia N. T. scriptoribus recepta*, p. 146.

(2) Judicat BAUMGARTEN-CRUSIUS (in op.: *Biblische Theologie*, p. 322), cui adsentiuntur FROMMANNUS (in op.: *Der Johanneische Lehrbegriff*, 1839, p. 316) et STIRMIUS (in op. per.: *Tüb. Zeitschr.*, 1834, III: *Anthropologisch-exegetische Untersuchungen*, p. 26 sq.): „*Einen Unterschied zwischen* נֶפֶשׁ *und* רוּחַ *möchten wir, wenigstens im hebräischen Alterthume, nicht annehmen: Seele bedeutete wohl mehr die Substanz, Geist, die Würksamkeit.*" Haec non satis accurate esse dicta infra videbimus.

(3) Dictum *Job.* VII: 15 obvium: *et eliget vel eligat anima mea strangulationem (suffocationem)* in ea versione ita redditum est: *ἀπαλλάξεις ἀπὸ πνεύματός μου τὴν ψυχήν μου.* Statuit OLSHAUSENUS (in comm. l.: *De trich.*, p. 150) *conjectura* vel DOEDERLEINII *ἀποπνευματισμοῦ*, vel BAHRDTII *ἀπὸ πνίγματος* legentis, *vix opus esse*, ut hoc dictum cum eo, quod in textu Hebraico legitur, in concordiam revocetur, sed LXX interpretes, *ut saepius, sensum potius, quam singula verba transtulisse*, et *ipsis ἀπαλλάττειν ψυχὴν ἀπὸ πνεύματος fuisse: occidere;* quod nobis, ad sequentia verba attendentibus, non improbabile videtur. Minus tamen recte vir ille doctus, ut interpretationem suam fulciat, provocat ad

acceptum est trichotomiam; luculenter haec in toto N. F. adest (1); quin adeo cum ad alios provocant viri docti (2), tum ad JOSEPHUM, — diserte testantem, *Deum hominem confecisse terram de terra sumendo, eique immisisse spiritum et animam* (3), — ad PHILONEM, — PLATONIS vestigiis insistentem, et vel

---

verba *Hebr.* IV, 12 obvia: μερισμὸς ψυχῆς (τε) καὶ πνεύματος, horum enim alia est vis (vid. infr.).

(1) Trichotomiam in N. F. luculenter inveniri, negat ULLMANNUS (in op. per.: *St. und Kr.*, 1828, II, p. 435, — in censura, quam agit, p. 425 sqq., commentatiunculae OLSHAUSENI: *Antiquissimorum eccl. Graec. Patrum de immortalitate animae sententiae recensentur*); putat nimirum vir doctus, unum modo in illo adesse dictum, divisionem talem exhibens 1 *Thess.* V: 23, — *Hebr.* IV: 12 haud in sensum venire arbitratur (vid. infr.), — ex uno autem dicto prorsus *practico* duci non posse, *distinctam* ejusmodi atque *theoreticam* divisionem in toto N. F. adesse. — Quod de PAULO (p. 66 sq.) diximus, idem etiam lubentissime de reliquis, qui in illo libro dicentes scribentesve occurrunt, agnoscimus, eos non *theoreticas* de industria instituisse disquisitiones, sive de homine, sive de aliis argumentis agentes; sed tamen probare conabimur, tam illum Apostolum, quam hos praeter corpus cum *animam*, tum *spiritum* agnovisse, ut pro ratione, qua hominem spectarent, de hoc illave mentionem facerent.

(2) Conff. OLSH., in comm. l.: *De trich.*, p. 149 sqq.; STIRM., in comm. l., p. 26 sqq.

(3) *Antiquitates Jud.*, I, 2, opp. ed. HAVERCAMPI, I, p. 3; alibi tamen, ut recte monet STIRMIUS (in comm. l., p. 26), haud tenax est hujus distinctionis JOSEPHUS, sed indefinite voce ψυχή de nobiliore hominis utitur parte, opposita *corpori*, tamquam ignobiliori parti. Conff.: *De bello Judaico* II, 8, 11, II, p. 164 sq. cll. ib. 14, p. 166, III, 8, 5, p. 247 sq. *Contra Apionem* II, 24, II, p. 487.

de duplice vel de triplice animi parte loquentem (1), —

(1) PHILO ignobiliorem animi partem distinguit a nobiliore, ita (*De specialibus legibus*, I, opp. ed. MANGEYI, 1742, II, p. 316) commemorat *τὸ τῆς ψυχῆς φαυλότερον εἶδος* (*μέρος*) sive *τὸ ἄλογον, οὗ καὶ τὰ θηρία μετέσχηκεν*, eique opponit *τὸν λογισμόν* (*τὸν νοῦν*), *κρεῖττον μέρος ψυχῆς* (conf.: *Quis rerum divinarum haeres*, I, p. 480 sq.). Alibi tres animi partes enumerat philosophus: „*Νοητέον οὖν*," inquit (*Legum Alleg.*, I, I, p. 57), „*ὅτι ἐστὶν ἡμῶν ἡ ψυχὴ τριμερής, καὶ ἔχει μέρος, τὸ μὲν λογικὸν, τὸ δὲ θυμικὸν, τὸ δὲ ἐπιθυμητικόν. Καὶ συμβέβηκε τοῦ μὲν λογικοῦ χωρίον εἶναι καὶ ἐνδιαίτημα, κεφαλήν· τοῦ δὲ θυμικοῦ, τὰ στέρνα, τοῦ δὲ ἐπιθυμητικοῦ, τὸ ἦτρον*" (coll. *Leg. All.*, III, I, p. 110). Interdum etiam simpliciter praestantiorem hominis partem, a corpore distinctam, voce *ψυχή* nuncupat (*De decem oraculis*, II, p. 202). — Secutus est PHILO in ea divisione animi in tres partes PLATONEM, qui, similitudine ab homine desumta, ipsum hunc mundum dicit *ζῷον ἔμψυχον ἔννουν τε* (*Timaeus*, 30 B), et de ejusdem constitutione, a Deo facta, observat (ib. paullo superius): — *νοῦν μὲν ἐν ψυχῇ, ψυχὴν δὲ ἐν σώματι ξυνιστὰς τὸ πᾶν ξυνετεκταίνετο κτλ.*; ubi vero definite de homine loquitur pro *τῇ ψυχῇ* commemorare solet *τὸν θυμόν* et *τὴν ἐπιθυμίαν*, adeo ut hae sint tres animi partes: *ὁ νοῦς, ὁ θυμός* et *ἡ ἐπιθυμία* sive *τὸ λογικόν, τὸ θυμικόν* (*τὸ θυμοειδές*) et *τὸ ἐπιθυμητικόν*; ita *Respublica*, IV, 436—441 C, ib. 441 E—442 C, VIII, 553 B—E (conff. RITTER et PRELLER, *Historia philosophiae Graeco-Romanae ex fontium locis contexta*, 1838, p. 211, 215 sq., 220 sqq.). Jam ante PLATONEM, *Pythagoraei*, STOBAEO teste (*Eclog. phys.* I, 52, p. 878, ed. HEERENII), talem, qualem ille, divisionem instituerunt *εἰς λογισμὸν, καὶ θυμὸν, καὶ ἐπιθυμίαν κτλ.* Secundum DIOGENEM LAËRTIUM (VIII, 1, 30) aliter PYTHAGORAS animum divisit *εἴς τε νοῦν, καὶ φρένας, καὶ θυμόν. Νοῦν μὲν οὖν εἶναι καὶ θυμὸν, καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ζώοις· φρένας δὲ, μόνον ἐν ἀνθρώπῳ.* OLSHAUSENUS vero (in comm. l.: *De trich.*, p. 158) non improbabile ducit, STOBAEUM pro more suo *Pythagoraeorum placita cum Platonicorum sententiis confudisse;* ad DIOGENIS LAËRTII sententiam attendens *vix sibi persuadere potest*, PYTHAGORAM *animantibus omnibus tribuisse*

ad *Cabbalistas* (1), ad *Patres ecclesiasticos* usque ad finem saeculi quarti talem divisionem diserte atque saepius laudantes (2). Nostro vero judicio in

---

νοῦν. Idem vir ille doctus, ut philosophorum, quos attulimus, placitum de triplice animi parte conciliet cum sententia, apud *Scriptores sacros* obvia, de duplice ejusdem parte, statuit (in comm. l.: *De trich.*, p. 160 sq.) ex *horum* mente, ad corpus, tamquam materiam, pertinere τὴν σάρκα, sedem τῶν ἐπιθυμιῶν et παθημάτων, *jam philosophos illos ad extremas rerum causas haud descendentes tertiam naturae humanae partem vocare ἐπιθυμίαν* sive ἐπιθυμητικόν, *singulas actiones vel operationes pro causa ponentes.* Sed quamvis hoc OLSHAUSENO concedas, tamen ne ita quidem ratio, qua illi philosophi distinxerunt, cum distinctione, quae a *Scriptoribus sacris* instituitur, satis convenit; etenim, quod nunc tantum monere, nondum probare possumus, aliud quid apud hos vox πνεῦμα indicat, quam apud illos voces νοῦς, λόγος, λογισμός, τὸ λογιστικόν.

(1) Conf. STIRM, in comm. l., p. 28 sqq., qui provocat ad EISENMENGERI opus: *Entdecktes Judenthum*, Vol. I, p. 887 sqq.; vid. etiam PELT, *Commentarius in epistolas* PAULI *ad Thessalonicenses*, 1830, p. 119.

(2) Probare studet OLSHAUSENUS (in comm. l.: *Ant. eccl. Graec. Patr.* etc., *op. th.*, p. 166 coll. ULLMANNI cens. supr. cit.), secundum eam trichotomiam, qua *anima* non solum a *corpore*, sed a *spiritu* quoque segregatur, explicandum esse JUSTINI MARTYRIS, TATIANI, THEOPHILI, de immortalitate placitum, caeterum vix ac ne vix quidem intelligendum. — CLEMENS *Alexandrinus* (*Stromat.*, III, 10, opp. ed. POTTERI, 1715, I, p. 542) PLATONIS divisionem commemorat, simul 1 *Thess.* V: 23 respiciens. (Conf. *Strom.*, VII, 12, II, pag. 880; vid. HAGENBACH, *Lehrbuch der Dogmengeschichte*, II, 1847, I, p. 128 sq., qui alia etiam de CLEMENTIS anthropologia affert). ORIGENES „Σαφῶς δὲ," inquit (*Commentarii in Matth.*, XIII, 2, opp. ed. DE LA RUEI, 1733-40, III, p. 570), „οἶδεν ἡ γραφὴ διαφορὰν πνεύματος πρὸς ψυχήν, ὡς τό· ὁ δὲ θεὸς ἁγιάσαι ὑμᾶς ὁλοτελεῖς κτλ. (1 *Thess.* V: 23), καὶ τό·

ejusmodi comparationibus instituendis prudenter versandum est, etenim quamvis, si *rei summam* spectes, convenientia quaedam sententiarum, de hominis natura prolatarum, inter illos viros atque *Scriptores sacros* cum reliquos, tum PAULUM inveniatur, discrepantia deprehenditur satis magna, si ad *singula* attendas, orta illa ex horum et illorum diversa cogitandi ratione de Deo atque homine, deque vinculo hunc inter et Illum intercedente.

εὐλογεῖτε πνεύματα καὶ δικαίων ψυχαὶ, ἐν τῷ κατὰ τοὺς ἑβδομήκοντα Δανιὴλ φερόμενον (*Preces trium puerorum* vs. 63) *παρίστησι τὴν διαφορὰν πνεύματος καὶ ψυχῆς.*" Quid porro docuerit ORIGENES de *spiritu humano* deque ratioue eum inter et *spiritum sanctum* intercedente egregie exposuit NEANDER, *Allgemeine Geschichte der christlichen Religion und Kirche*, ed. II, 1843, I, 2, p. 1081 sqq. — Iuter *Patres occidentalis ecclesiae* divisionem talem etiam instituere videtur IRENAEUS (*Contra Haereses*, V, 9, 1, cll. ib. 6, 1 et 8, 3, opp. ed. MASSUETI, 1710, p. 302, 299 et 302); sed ille de *spiritu* cogitat *sancto.* — LACTANTIUS distinguit *mentem* ab *anima* (*Div. institut.*, VII, 12, opp. ed. DUFRESNOYI, 1748, 1, p. 548 sq.); alibi de discrimine iuter *animum* et *animam* disserit (*De opif. Dei*, 18, II, p. 119 sqq. — TERTULLIANUS praecipue is fuit, qui pro trichotomia dichotomiam, id est, divisionem in *animam* atque *corpus* strenne defendit. (Couf.: *De anima*, X-XV, p. 312-316). Non vero ille *distinctionem* sed potius crassam *distributionem* impugnavit (ib. XIV, p. 315). — Divisio talis, de quali egimus, tamquam haeresis spectari coepit, et dichotomiae locnm cessit, postquam APOLLINARIS defenderat, JESUM corpus et animam, *οὐ τὴν λογικὴν, ἀλλὰ τὴν ἄλογον* (*φυτικὴν, φυσικὴν, ζωτικὴν*) assumsisse, et *suffecisse τὴν θείαν φύσιν εἰς τὸ πληρῶσαι τοῦ νοῦ* (*τῆς ψυχῆς λογικῆς*) *τὴν χρείαν* (Conff. THEODORETUS, *Haeretic. fabul. comp.*, IV, 8 cll. V, 11, ed. SCHULTZII, 1772, IV, p. 363 et 420, GIESELER, *Lehrbuch der Kirchengeschichte*, ed. IV, 1845, II, 2, p. 71 sqq.).

Operae pretium nobis facere videmur, propter causam paullo superius expressam, si in hocce capite disquirimus, quid de *spiritu, anima* atque *corpore* tam per se spectatis, quam inter se conjunctis doceat PAULUS, ut ita jam ab initio inde, quoad ejus fieri potest, illius de homine cogitandi ratio nobis innotescat, quam, ubi par est, cum sententiis, alibi obviis, obiter conferemus. Rite autem animadvertendum est, nec PAULUM, neque reliquos *Scriptores sacros* cogitatione sua *in tres divisisse partes* hominis naturam, sed potius hanc *a tribus spectasse partibus*, igiturque *trichotomiae* nomen forsan minus aptum esse.

§ 3.

De vi vocis πνεῦμα.

Vox **πνεῦμα**, de qua nobis primum nonnulla sunt monenda, non eadem semper apud Apostolum occurrit ratione; etenim, ut alias mittamus notiones, illa non solum *humanum*, sed etiam *sanctum*, quem dicunt, designat *spiritum*, de quo hoc loco nondum agere possumus. Sed praeterea, ubi, illa voce utens, de *spiritu* cogitat PAULUS homini *naturâ* proprio, non ubique sibi constare solet. Plus semel nimirum in epistolis *illa* adhibetur de toto interiore homine, qui oculo sensuve externo cerni atque deprehendi nequit, et tum opponitur, voci *σῶμα* (1), interdum

---

(1) *Rom.* VIII: 10, 1 *Cor.* V: 3, 4, VII: 34; conff. insuper

etiam voci σάρξ (1), quamquam huic opposita vulgo aliam habet vim; alibi magis definite id indicat, quod hominis conjunctionem cum Deo vel Christo efficit (2); in uno alteroque dicto, ut supra jam observavimus, diserte τὸ πνεῦμα a τῇ ψυχῇ distinguitur (3).

Tribuuntur huic *spiritui* variae etiam facultates; ita facultas sentiendi (4), judicandi (5) et cognoscendi intimeque experiendi tam alia sublimia (6), quam suimet ipsius cogitata, consilia affectionesque (7).

Interdum tali, quali alibi de *spiritu*, modo de *interiore homine* (τῷ ἔσω sive ἔσωθεν ἀνθρώπῳ) loquitur Apostolus. Aeque atque illi, huic quoque excelsam assignat ditionem (8), eundemque continuo

---

sententiae 1 *Cor.* XII: 13, *Eph.* II: 15, 16, 18, IV: 4 obviae, in quibus Apostolus, vinculum, qnod *corpus* inter atque *spiritum* hominis intercedit, respiciens, Christianorum conjnnctionem intimam adnmbrat; vid. etiam 1 *Cor.* VI: 16, 17.

(1) 1 *Cor.* V: 5, 2 *Cor.* VII: 1, *Col.* II: 5.

(2) Vid. Cap. X.

(3) Ita praeter 1 *Thess.* V: 23 etiam *Phil.* I: 27, nt mox videbimns.

(4) 1 *Cor.* XVI: 18, 2 *Cor.* II: 12, VII: 13.

(5) 1 *Cor.* V: 3, 4.

(6) *Rom.* VIII: 16 (vid. Cap. X). — Dictio ἐν ἑνὶ πνεύματι *Phil.* I: 27 obvia de *humano spiritu* accipienda est, ut merito defendit DE WETTIUS (in c. p. 11 l. ad h. l.) contra v. cl. HENGELIUM (in c. l., ad h. l.) aliosqne, qui de *spiritu sancto* cogitant. Indicatur ea dictione talis unitas in cogitandi cognoscendique ratione, qualis cum mntuo amore, qui verbis μιᾷ ψυχῇ significatur, conjuncta esse solet.

(7) 1 *Cor.* II: 11.

(8) *Rom.* VII: 22, *Eph.* III: 16.

progredi ac perfici posse, et ita *corpore* hocce terreno, fragili atque caduco, superiorem esse profitetur (1). Porro etiam eadem ratione interdum mentionem facit noster de *mente* (*τῷ νοΐ*) (2); hoc vero, si ab eo fit, latiore sensu eo vocabulo, quam alibi facere solet, utitur de rationali nempe atque morali hominis natura.

Observandum tamen est, vocem *πνεῦμα*, si ad primitivam ac peculiarem ejus notionem attendas, tam a dictione *ὁ ἔσω ἄνθρωπος*, quam a voce *νοῦς* differre, quod ut mox clarius patebit, ita jam nunc exinde effici potest, quod *τὸ πνεῦμα* ipsius hominis opponitur *τῷ νοΐ* (3) (strictiore tamen tum occurrenti sensu de cognoscendi cogitandive facultate sola), quum nempe de peculiari *interioris hominis* conditione, in qua is versans summo fervore abripitur, sermo est.

Plus semel etiam vox *πνεῦμα* denotat *principium* quodcunque *movens*, hominis indolem effi-

---

(1) 2 *Cor.* IV: 16.

(2) *Rom.* VII: 23, 25. Consulto in hisce sententiis, ut in Cap. VI videbimus, ea vox adhibita est, et in effato vs. 22 obvio dictio *κατὰ τ. ἔσ. ἄνθρ.*

(3) 1 *Cor.* XIV: 14. Recte MEYERUS (*Krit. ex. Komm. üb. d. N. T.*, 1839, V, ad h. l.) et DE WETTIUS (*Kurzg. ex. Hb. z. N. T.*, 1845, II, 2, ed. II, ad h. l.), urgent, h. l. dictionem *τὸ πνεῦμά μου* non de *spiritu sancto* intelligendam esse; etenim obstat tali interpretationi pronomen personale pariterque sequens dictio *ὁ νοῦς μου*, in qua alia ratione, quam in praecedente, pronomen personale accipere arbitrarium est. Hic interpres minus recte, ut nobis videtur, voce *πνεῦμα* peculiarem indicari facultatem censet.

cieus, et hanc in omnibus iis, quae ille instituit prorsus dirigens; ita in dictionibus *πνεῦμα δουλείας* (1), *κατανύξεως* (2), *πραότητος* (3), *δειλίας* (4), *δυνάμεως* (5). Hic usus, qui in iis dictionibus prodit, in viam nos ducit, ut varias eas, quas deinceps hoc loco attulimus *τοῦ πνεύματος* notiones easque, quas infra recensebimus, rite conjugere possimus. Quodsi nempe ad *spiritualia*, quae dicuntur, transfertur ea vox, primaria illius atque, ut ita dicam, characteristica notio, — quae quomodo exsistat, mox enucleabimus, — haec est, ut designet *principium* efficax, idque excelsum divinumque, homini etiam naturâ proprium. Idem illud tali gaudet *ἐνεργείᾳ*, ut, quo magis excolitur, eo magis omnem hominis cogitandi, sentiendi volendique rationem excitare atque moderari valeat (6), illumque etiam in euthusiasmum abripere queat. Quia autem *τῷ πνεύματι* talis tribuitur *ἐνέργεια* atque vis procreatrix, simul perspicitur causa, cur, missa praestantiae significatione, vox illa etiam usurpetur de quocunque *principio*, quo quis totus occupatur, et ex quo in omnibus, quae agit, proficiscitur.

Caeterum, quae hoc loco nondum satis accurate atque perspicue explicare potuimus, tum clariora

(1) *Rom.* VIII: 15.

(2) Ib. XI: 8.

(3) 1 *Cor.* IV: 21 cll. *Gal.* VI: 1.

(4) 2 *Tim.* I: 7.

(5) Ib.

(6) Vid. *Rom.* VIII: 10. Merito observant FRITZSCHIUS (in c. l., II, p. 119 sq.) et THOLUCKIUS (in c. l., ad h. l.) solum *spiritum humanum* voce *πνεῦμα* in hoc dicto designari.

fient, cum in Capite X hujus commentationis PAULI placitum de *spiritu sancto* exponemus.

Ut eo melius Apostoli de *spiritu* sententiam intelligere possimus, attendendum est nobis ad V. F., hujus *libros Apocryphos* et N. F. reliquum.

In sermone Hebraico vox רוּחַ proprie est *aura*, *flatus*, *ventus*, tum indicat *halitum*, *ventum* veluti referentem (1). Eandem originem, ut satis notum est, vox *πνεῦμα*, a *τῷ πνεῖν* derivata, et vocabula *spiritus*, a *spirando*, *animus* (*anima*) ab *ἄνεμος* ducta, produnt.

Ubi רוּחַ in V. F. homini tribuitur, denotat, prouti jam diximus, vel *halitum*, vel etiam accuratius *spiritum vitalem*, a Deo hominibus concessum seu divinum *principium* vitae physicae sive naturalis, qua terrigena gaudet; inde etiam hic illic dictio רוּחַ חַיִּים invenitur, id est, *spiritus vitam gignens atque constituens* (2); porro de *animo* incitato atque varie com-

---

(1) Conff. CARUS, *Psychologie der Hebräer*, 1809, p. 37, WINER, *Lexicon manuale Hebraicum et Chaldaicum*, 1828, in v.

(2) *Ps.* CXXXV: 17, *Jes.* XIX: 3, XLII: 6; vidd. insuper *Jud.* XV: 19, *Job* X: 12, *Ps.* XXXI: 5, *Ez.* XXXVII: 3-10 cll. vs. 14, *Sach.* XII: 1. — Interdum etiam animantibus רוּחַ tribuitur (*Gen.* VI; 17, VII: 15, *Ps.* CIV: 29 sq.), quatenus vero in hominibus maxime praestans est, in his dicitur dominari Dei ipsius *spiritus* (*Gen.* VI: 3), qui, ut *Eccl.* XII: 7 legitur, homine mortuo, ad Deum redit. Alibi, ubi oppositio fit, רוּחַ diserte assignatur hominibus solis, נֶפֶשׁ animantibus (*Job* XII: 10). Quae *Eccl.* III: 19 leguntur, *unum eundemque esse spiritum hominibus animantibusque* dubitantis atque querentis sunt verba, igiturque stricto sensu accipi nequeunt (conff. ib. vs. 21, XII l. l.;

moto usurpatur eadem vox (1); tum etiam de eo *principio*, quod sapientia summaque intelligentia pollere potest atque divinae illustrationis capax est (2), quodque divinitus instigatum consilia capit et ad ea exsequenda hominem fert (3), tandem de *conditione indoleve religiosa* vel *spirituali* quacunque, vel etiam de *vi principiove* hanc illamve provocante (4).

Quodsi igitur ea, quae deinceps attulimus, in unum conjungimus, רוּחַ dici potest *ἐνέργεια* origine

---

vid. BECK, *Die christliche Lehrwissenschaft nach den biblischen Urkunden*, 1841, I, p. 205 sqq.). — Cum רוּחַ hic illic conjungitur vox נְשָׁמָה, quae tum *respirandi actum* designare videtur, prouti in formula: נִשְׁמַת־רוּחַ חַיִּים *respiratio spiritus vitae* (*Gen.* VII: 22); — eadem vox alibi denotat *Dei halitum*, hominibus speciatim proprium, cum creaturis illis maxime praestantibus ab ipso supremo Numine communicatum, et tum vel parum vel nihil a voce רוּחַ discedere videtur (*Gen.* II: 7, *Job.* XXXIII: 4, *Jes.* LVII: 16; — *Prov.* XX: 27 נְשָׁמָה esse dicitur *Dei lucerna*), vel simpliciter indicat illa *halitum* hominis, nulla originis ratione habita (*Deut.* XX: 16, *Jes.* II: 22). — *Cabbalistae* eadem voce usi sunt de summo *principio* in homine vigente, prae רוּחַ et נֶפֶשׁ eminente; conff. scripta p. 71 laudata.

(1) *Gen.* XLV: 27, *Jos.* II: 11, *Ps.* CVI: 33, *Prov.* XV: 4, *Eccl.* VII: 9, *Ez.* III: 14.

(2) *Num.* XXVII: 18 cll. *Deut.* XXXIV: 9, *Jes.* XXIX: 24, *Ez.* XI: 5 (*cogitationes in spiritum vestrum venientes*), *Dan.* V: 12 cll. vs. 11. — De Deo ipso hoc sensu ea vox invenitur *Jes.* XL: 13 (LXX *νοῦς* cll. 1 Cor. II: 16).

(3) 1 *Chron.* V: 26, 2 *Chron.* XXXVI: 22, *Esr.* I: 1, *Hagg.* I: 14.

(4) *Ps.* XXXIV: 19, LI: 12, 19, *Dan.* V: 20, *Hos.* IV: 12, V: 4, *Jes.* XXIX: 10.

divina, vitae humanae *genitrix*, sensuum, cogitatorum, studiorum indolisque totius *procreatrix*.

In *libris Apocryphis* vox *πνεῦμα* ea ratione, qua in V. F. רוּחַ, haud raro invenitur; saepissime prae caeteris *vitae principium spiritumve vitalem* in illis denotat (1).

In N. F. eadem vox et ea occurrit significatione (2) et, prouti etiam in *libris Apocryphis*, excelsius *principium*, a *τῇ ψυχῇ* distinctum, denotat (3), vel etiam *principium* quodcunque, quo quis

---

(1) *Jes. Sir.* XXXIV: 14, XXXVIII: 23, *Sap. Sal.* XV: 11 (*πνεῦμα ζωτικόν*), 16, XVI: 14, 2 *Macc.* VII: 22, 23, XIV: 46 etc.; eadem notione accipienda videtur haec vox *Jes. Sir.* IX: 9, nbi a *τῇ ψυχῇ*, affectionis sede, distinguitur cll. *Bar.* II: 17, 18. — De excelso principio in hominibus naturâ vigente, quod arctissimum eos inter et Deum stabilit vinculum, vox *πνεῦμα* invenitur *Sap. Sal.* XII: 1; — ib. VII: 22 de sapientia dicitur *ἔστι γὰρ ἐν αὐτῇ πνεῦμα νοερόν — — καὶ διὰ πάντων χωροῦν πνευμάτων νοερῶν καθαρῶν λεπτοτάτων*; — de eo, qnod anxietate premitur, eadem vox occurrit *Sap. Sal.* V: 3, *Bar.* III: 1, de eo, quod in enthusiasmum abripitur *Jes. Sir.* XLVIII: 24; alibi illâ simpliciter indicari videtur altera eaqne *praestantior* hominis *pars*, corpori opposita, ita tamen, ut *halitus* notio adjnncta sit *Sap. Sal.* II: 3.

(2) *Matth.* XXVII: 50, *Luc.* VIII: 55, *Jac.* II: 26 cll. *Apoc.* XI: 11, XIII: 15. In hisce effatis ita de *spiritu* mentio fit, ut de vitali principio *primario loco* cogitetur (vid. ACKERMANN, in op. per.: *St. u. Kr.*, 1839, IV: *Beitrag zur Theologischen Würdigung und Abwägung der Begriffe πνεῦμα, νοῦς und Geist*, p. 877 sqq.); aliter sese res habet *Luc.* XXIII: 46, *Joh.* XIX: 30, *Act.* VII: 59, in quibus sententiis sublimior notio *dominatur*.

(3) *Luc.* I: 46, 47. Concedendum est OLSHAUSENO (*Bibl. C. ü. sämmtl. Schrift. des N. T.*, ed. III, 1837) secus, qnam KÖSTLINUS putat (in op. l., p. 142), statuenti, in hocce dicto *τὴν*

totus ducitur (1); alibi, ut infra videbimus, accuratioris usus in illo vestigia occurrunt luculentissima; nunc monemus, in iis sententiis, in quibus homo consulto ab excelsiore spectatur parte (2), vel etiam, quod in

---

ψυχήν a *τῷ πνεύματι* distingui, prouti id, quod inferius est, ab eo, quod sublimius est; confirmatur talis sententia eo, quod in V. F., ex quo ea, quae l. l. leguntur desumta sunt (1 *Sam.* II: 1), et in *versione Alexandrina* omnino distinctio inter duas voces occurrit (לִבִּי et קַרְנִי — *ἡ καρδία μου* et *κέρας μου*), sed non eadem illa, quae hoc loco invenitur. — Dictum *Hebr.* IV: 12 obvium significat, ni fallimur, penes *sermonem Dei* hanc esse vim, ut *omnia omnino*, quae ad hominem pertinent, vel in eo vigent, a se invicem *separare*, *eadem dijudicare* atque in conspectum protrahere valeat. Hanc ob causam scriptor de iis etiam, quibus singula corporis membra inter se cohaerent, *juncturis* (*ἁρμοῖς*) deque *medulla* (*μυελοῖς*), quae internam istius efficit partem mentionem facit. Quodsi autem ita accipitur illud dictum, eandem continet trichotomiam, quae 1 Thess. V: 23 adest, neque valet sententia ULLMANNI (in cens. l., p. 435): „*Hebr. IV: 12 ist offenbar blos amplificirende Beschreibung des ganzen Menschen, und wenn wir hier jedes Wort urgiren wollten, so würden wir mehr als drey Theile der Menschennatur erhalten.*" Etenim, quamvis haec descriptio *talis* sit, tamen exinde non sequitur, scriptorem nullum, inter singulas, quas commemorat, partes, posuisse discrimen; quae autem praeter *spiritum animamque* commemorantur partes *ἁρμοί* et *μυελοί* ad *corpus* pertinent; *καρδία*, *ἐννοιῶν* atque *ἐνθυμήσεων* sedes, quae ultimo loco commemoratur, *facultas* est hominis, quae in N. F. vel arctius cum *spiritu*, vel cum *anima* conjungitur, vid. Cap. II.

(1) Luc. IX: 55.

(2) *Matth.* XXVI: 41 cll. *Marc.* XIV: 38, *Luc.* I: 80, 1 *Petr.* III: 4. — *Matth.* V: 3 *οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι* illi sunt, qui indigentias suas intime sentiunt atque penitus perspiciunt (conf. omnino MEY., *Krit. ex. Komm. üb. d. N. T.*, 1844, ed.

epistola ad Hebraeos et *in priore*, quam conscripsit PETRUS, fit, in quibus *spiritus* ille in *corpore* terreno non amplius degens proponitur (1), vocem *πνεῦμα* legi, sin minus, ut mox videbimus, vocem *ψυχή*.

II, I, 1 ad h. l.). — *Hebr.* XII: 9 Deus ὁ πατὴρ τῶν πνευμάτων sublimiore sensu, quam *Num.* XVI: 22, XXVII: 16 (cll. *vers. Al.*) nobis dici videtur, quia homines *spiritu* cum Illo cognati sunt, prouti οἱ τῆς σαρκὸς πατέρες, qui ibidem commemorantur, illi sunt, quibuscum homines naturalibus sanguinis *carnisve* vinculis cohaerent; haec saltem interpretatio praeferenda, nostro judicio, est prae ea, quam attulit BLEEKIUS (in c. l., II, 2, p. 886 sqq.), qui de *spiritu sancto*, in fidelibus vigente, cogitat, et formam pluralem exinde repetit, quod scriptor dicta, ex V. F. laudata, ob oculos habuerit.

(1) *Hebr.* XII: 23; — 1 *Petr.* III: 19 dictio τὰ ἐν φυλακῇ πνεύματα, si ad vs. 20 attendimus (ὀκτὼ ψυχαί), necessario intelligenda est de hominibus, qui non amplius hisce in terris, *corpore* terreno induti, versari *cogitantur*. Caeterum nostrum non est, varias hujus versus interpretationes recensere. Ut satis notum est, et antea fuerunt, et hodie sunt multi in Germania praecipue docti viri, qui defendunt tam in sententia laudata, quam IV: 6 a PETRO de JESU descensu ad inferos cogitari atque de illius praedicatione, in his coram *spiritibus* (τοῖς πνεύμασι) *mortuisve* (νεκροῖς) facta; ita inter nostrates v. d. TH. VAN VELZEN, *Het evangelie aan de dooden verkondigd*, 1845, p. 16 sqq. Aliam interpretationem commendat v. d. PRINS (in comm. inveniunda in *Annalibus Academiae Lugduno-Batavae*, 1834-1835: *Interpretatio loci difficilis* 1 *Petr.* III: 18-22, p. 37 cll. p. 38 sq., et in censura opusculi v. d. VAN VELZ., quae legitur in op. per.: *Godgeleerde bijdragen*, 1845, V, p. 652 sqq., 660 sqq.); attamen ille etiam 1 *Petr.* III: 19 *defunctorum animas* intelligi statuit. Dictio IV: 6 obvia ζῆν κατὰ θεὸν πνεύματι optime cum GRIMMIO (in op. per.: *St. und Kr.*, 1835, III: *Bemerkung über* 1 *Petr.* IV: 6, p. 624 sqq.) explicatur *vivere spiritu secundum Dei* rationem, id est, prouti Deus ipse vivit *spiritu;* conf. Cap. IV; — *Apoc.*

Ex vocis cum Hebraicae, tum Graecae, de qua disseruimus, apud *Scriptores sacros* usu luculentissime notionum anthropologicarum effici potest progressio. Hebraei primum rerum naturam observantes in ea deprehenderunt *ventum*, tamquam *vim* cuncta agitantem atque moventem; cum hac *vi halitum spiritumve vitalem* tam hominum, quam animantium convenire censuerunt (1); attamen, quia *spiritum* in illis praestantiore, quam in his, modo adesse facile perceperunt, eidem in *illis* vigenti sensim sensimque sublimiores vel energicas etiam quasque vires actionesque non potuerunt non tribuere. Ita *duae* potissimum exstitere vocis, de qua egimus, *notiones*, in *libris Apocryphis* etiamnum inveniundae, ad quas reliquae a nobis recensitae facile reduci possunt; *una* nempe haec est, ut *spiritus* designet *principium* (*vis procreatrix*) vitae naturalis sive physicae; *altera* haec, ut significet *principium* vitae excelsioris atque *spiritualis*. Auctores N. F. hujus usus quoque tenaces sunt, ita tamen, ut, qui in illo dicentes scribentesve occurrunt, saepius *data opera* de *τῷ πνεύματι*, praestantiae significatione adjuncta, loqui soleant. Apud PAULUM denique *haec* vel affinis *notio* dominatur, exclusa priore illa (2).

Quia denique a Deo omnia omnino repetere sole-

VI: 9, XX: 4 vox *ψυχή* de hominibus, *corpore* terreno destitutis, invenitur, forsan, quia de eorum (*ἐσφαγμένων*, *πεπελεκισμένων*) sorte, cum isto induti essent, cogitatur.

(1) Conf. ACKERM., in comm. l., p. 910 sq. cll. p. 876 sqq.

(2) In dicto 2 Thess. II: 8 obvio, quod ex V. F. desumtum est (Jes. XI: 4), vox *πνεῦμα* *halitum* indicat.

bant Hebraei, et non aberant a cogitatione, iis, in quibus religio prorsus dominatur, propria, Deum constanter in rerum naturam agere, mirum non est, eos tam *vim* illam, cuncta agitantem atque moventem, quam *spiritum humanum* e Deo procedere statuisse, et Hunc igitur tamquam *spiritus fontem* perennem celebrasse (1).

§ 4.

In notionem vocis ψυχή inquiritur.

Vox ψυχή, de qua nobis nunc pauca sunt observanda, ea est *vis*, qua *corpus*, quo *his in terris* instructus est homo, viget (σῶμα ψυχικόν) (2), et *vita inferior*, sive *terrena* efficitur (3). *Homo* ipse ψυχή nuncupatur, quatenus *vita terrena* ab ista *vi* pendet (4); τὰ ἄψυχα res sunt, quae tali *vita* carent (5). Ubi ADAMUS, primus homo, εἰς ψυχὴν ζῶσαν factus esse dicitur a PAULO, effatum, in *Geneseos libro* obvium, respiciente (6), quia *istius* et ipse particeps fuit, et *eandem* in posteros suos transtulit, minime ex hocce dicto ducendum est, in hominibus, ex ADAMO prognatis et a CHRISTO nondum illustratis,

---

(1) Conferri potest de vocis πνεῦμα in V. atque N. F. notione BECK, *Umr. der biblischen Seelenlehre*, 1843, p. 27 sqq.

(2) 1 *Cor.* XV: 44.

(3) *Rom.* XVI: 4, 2 *Cor.* I: 23, XII: 15, *Phil.* II: 30, 1 *Thess.* II: 8 cll. V: 23.

(4) *Rom.* XIII: 1, item II: 9; conf. DE WETT., in c. l., ad h. l.

(5) 1 *Cor.* XIV: 7.

(6) Ib. XV: 45 cll. *Gen.* II: 7.

atque in illo ipso, omnium proavo, τὴν ψυχὴν solam adfuisse et adesse; contrarium enim docent effata, supra a nobis allata (1), quae, quo magis attente leguntur, et tam inter se, quam cum aliis dictis comparantur, in quibus vox πνεῦμα vel alia notione, vel de *spiritu sancto* luculentissime occurrit, eo magis ostendunt, ex PAULI mente, *spiritum* terrigenis ab initio inde a Deo esse concessum. Solummodo docere vult noster, hanc esse, Providentia divina moderatrice, cultus humani progressionem, ut in hominibus, CHRISTI vim in se nondum expertis, *inferior vis* etiamnum *relative* magnas agat partes, vel, quod in sequentibus legimus, ut τὸ ψυχικόν *sit* πρῶτον, et dein locum cedat majori dominio τοῦ πνευματικοῦ atque hocce aliquando prorsus absorbeatur (2).

Quia talis est vocis, de qua disputamus, notio, causa perspicitur, cur de homine ψυχικῷ, contemtus significatione adjuncta, loqui possit PAULUS (3), istum nempe intelligens, qui ad res divinas excelsasque rite capiendas sua culpa ineptus est factus.

Interdum ita τῇ ψυχῇ assignantur varii sensus affectusque humani, ut *inferioris* et *sublimioris* vitae discrimen non observetur, sed universe vita hominis interna designetur. Ita formulâ: μιᾷ ψυχῇ

---

(1) P. 73 sqq.

(2) 1 *Cor.* XV: 46. Adjectiva τὸ πνευματικόν et τὸ ψυχικόν h. l. tamquam substantiva accipienda esse, ex hujus sectionis conjunctione cum praecedente nobis efficiendum videtur: „PAULUS *giebt*," ita MEYERUS (in c. l., ad h. l.), „*ganz im Allgemeinen das Entwickelungsgesetz an, dass das Pneumatische später als das Psychische eintrete.*" Caeterum conf. omnino Cap. X.

(3) 1 *Cor.* II: 14; conf. Cap. VI.

indicatur *uno animo* amoris nempe fraterni (1); dictione: *ἐκ ψυχῆς* significatur *toto animo* (2); *σύμψυχοι* illi dicuntur, *qui idem* inter se *sentiunt* (3); *ἰσόψυρος* ille est, qui *eodem modo*, atque alter, *animatus est* (4); *εὐψυχεῖν* notat *bono esse animo* (5); *ὀλιγόψυχοι* illi nuncupantur, *qui*, miseria pressi, *animum demittunt* (6). Attamen tales dictiones vocesque rariores sunt apud PAULUM; ubi enim data opera sublimiores sensus affectusque depingere vult de *τῷ πνεύματι* loquitur (7).

Ex hisce igitur videmus, voce, de qua egimus, proprie quidem indicari *vim vitalem*, sed eandem etiam interdum eo progredi, ut *animum* varie affectum commotumque designet. Si definitius quaeritur, quid inter *το πνεῦμα* et *τὴν ψυχήν* intercedat discriminis, respondendum est, nostro judicio, *illa* voce denotari hominem, quatenus cum *sublimiore* rerum ordine cohaeret, igiturque praestantiae divinae pollet semine, *hac* eam hominis *vim*, qua *in terris* vivere valet, et, quamquam *spiritu* reliquis creaturis, hîc viventibus, superior est, tamen *corpore terreno* instructus esse eoque rite uti potest; *illius* ergo notionem esse anthropologico-*religiosam*, *hujus* anthropologico-*physicam*. Denique facile ex iis, quae disputavimus,

---

(1) *Phil.* I: 27.
(2) *Eph.* VI: 6, *Col.* III: 23.
(3) *Phil.* II: 2.
(4) Ib. vs. 20.
(5) Ib. vs. 19.
(6) 1 *Thess.* V: 14.
(7) Conf. p. 74.

sequitur, *animam* praestantiore modo in hominibus, quam in animantibus, vigere atque prodire, quia illi insuper *principio* vere divino atque excelso pollent.

In V. F. vox נֶפֶשׁ, voci ψυχή respondens, a verbo נָפַשׁ *flavit, respiravit* ducta est (prouti ψυχή a τῷ ψυχεῖν *spirando, exhalando* originem repetit), et inde proprie denotat *flatum, halitum,* tum *animam* (1), porro ipsum *animans* (adjecto plus semel vocabulo חַיָּה, הַחַיָּה)(2), vel strictiore sensu *hominem* (3).

Hic illic in V. F. inter *animam* (נֶפֶשׁ) atque *spiritum* (רוּחַ) non multum intercedere videtur discriminis, si vero ad varia effata, in quibus de *hoc illave* mentio fit, rite attenditur, negari nequit, Hebraeos revera distinxisse ea ratione illam vim ab hocce principio, ut de *hoc* tali modo loquantur, quali de *illa* loqui haud solent, et vicissim, ut ad *animam* ea referant, quae de *spiritu* numquam contendunt. *Illa* enim vox denotat *vitam* ipsam, *vim vitalem, sedem vitae,* quae cum *corpore* indissolubili vinculo conjuncta est (4), et saepius id-

---

(1) *Job.* XLI: 13, *Jes.* III: 20, *Thren.* I: 19 etc. Conff. GESENIUS, *Thesaurus criticus linguae Hebraicae et Chaldaicae V. T.,* CAR., in op. l., p. 38 sqq.

(2) *Gen.* I: 24, IX: 10, *Ez.* XLVII: 9. — *Gen.* IX: 12, 15, 16 formula: *omnis anima vitae* tam homines, quam animantia complectitur.

(3) *Gen.* II: 7, XLVI: 15, *Ex.* I: 5, *Lev.* II: 1 etc.

(4) *Anima* cum sanguine indivulso cohaerere dicitur, vel *illius* sedes in *hoc* esse perhibetur, ita *Lev.* XVII: 11, 14 ell. *Gen.* IX: 4 sq., *Deut.* XII: 23; conf. de hac opinione BECK, *Umr. d. bibl. Seelenl.*, p. 5 sq. Insuper *anima* esurire censetur, arida esse, jejunare e. g. *Prov.* X: 3, *Num.* XI: 6, *Ps.* LXIX: 11, *Jes.* XXIX: 8 etc. Conf. GES., *in thes.*, in v.

circo exstingui, perdi, mori dicitur (1), non, prouti *haec*, *principium* etiam efficax, a *corporeis* vinculis magis solutum, a Deo progressum, ex quo, *vis vitalis*, tamquam ex fonte, profluit (2); *illa* quidem de variis sensibus, excelsioribus etiam, cupidinibus, affectibus adhibetur, igiturque hominibus excelsiore, quam animantibus, modo inesse censetur (3), atque plus semel eam significat *vim*, quae in hominis perniciem salutemve *passive* definitur atque dirigitur (4), non vero prouti *haec*, eam indicat *ἐνέργειαν*, qua tota hominis *indoles* constituitur, qua idem in *enthusiasmum* abripitur, et Deo moderatore

---

(1) *Ex.* XXXI: 14, *Num.* XXXV: 11, 1 *Reg.* XIX: 4, *Job.* XXXVI: 14; quin adeo ipsum *cadaver nuncupatur anima*, addita vel omissa voce מֵת, *Lev.* XXI: 11, XXII: 4, *Hagg.* II: 13. Perraro *anima* exspirari, emitti dicitur (*Gen.* XXXV: 18).

(2) Vid. p. 77.

(3) Ita de amore *Gen.* XXXIV: 3, 1 *Sam.* XVIII: 1; de laetitia *Jes.* LXI: 10; de anxietate atque tristitia *Gen.* XLII: 21, *Ps.* VI: 4. Cognoscendi facultas *animae* tribui videtur *Ps.* CXXXIX: 14, *Thren.* III: 20; reliqua exempla, a GENESIO allata (in *thes.*, in v.), minus valent, etenim *Prov.* XIX: 2 dictione: *anima sine intelligentia*, indicari videtur *cupido caeca;* 1 *Sam.* XX: 4 formulâ: *id, quod dicit anima tua*, simpliciter significatur: *id, quod cupis; Deut.* IV: 9 admonitio: *serva animam tuam* nil esse videtur, nisi: *serva temetipsum.* Quia igitur sententiarum, in quibus vox Hebraïca tali ratione occurrit, tanta est paucitas, melius forsan est statuere, in duabus illis, quas citavimus, cognoscendi facultatem mediate *ad animam* referri. Deo haec *vis* assignatur, cum humana ratione inducitur, conf. e. g. *Jes.* I: 14.

(4) *Prov.* VI: 32, XVIII: 7, XXII: 25, *Jes.* LV: 3.

illustratur atque immediate ad agendum fertur (1). Vel, ut totam rem paucis complectamur, voce רוּחַ *arctissima* conjunctio Dei cum homine ob oculos ponitur, qua hic ab Illius veluti *ore pendet*, voce נֶפֶשׁ homo adumbratur, *sibi* hisce in terris vivens.

In *libris Apocryphis* τῇ ψυχῇ saepius assignantur eae vires actionesve, quas Hebraei ad נֶפֶשׁ referunt (2). Attamen plus semel in nonnullis ex iisdem scriptis illius vocis sublimior notio luculen-

---

(1) Conf. p. 78.

(2) Ita de *vitali vi* vel *vita* ipsa legitur haec vox *Jes. Sir.* XXI: 3, LI: 3, 6, 1 *Macc.* IX: 44 cll. *Tob.* XIV: 11, *Judith* VII: 27 etc., vel de sensibus variis et de eo, quod varie affectum rite temperari atque dirigi debet *Bar.* II: 18, III: 1, *Jes. Sir.* IX: 9, LI: 19 cll. vs. 20, 24, 26, 29, *Tob.* VI: 18, XIII: 7, 15 et ib. vs. 6, ubi formula: *ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ — καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ κτλ.* legitur, quae etiam in V. F. saepius occurrit (*Deut.* IV: 29, X: 12 etc.) et designat, prouti in Cap. II indicabimus, *omnibus viribus.* In *libro Maccabaeorum* 4 vox *ψυχή* diserte de *inferiore* occurrit *vi*, quae cum *corpore* arctissime cohaeret, ita in sententia (conf. ed. l. JOSEPHI operum II, p. 499): *Τῶν δὲ ἐπιθυμιῶν, αἱ μέν εἰσι ψυχικαὶ, αἱ δε σωματικαί. Τούτων δὲ ἀμφοτέρων ἐπικρατεῖν ὁ λογισμὸς φαίνεται.* Eadem ratione in superioribus (ib. p. 498) legimus: *Παθῶν δὲ φύσεις εἰσὶν αἱ περιεκτικώταται δύο, ἡδονή τε καὶ πόνος. Τούτων δὲ ἑκάτερον καὶ περὶ τὸ σῶμα καὶ περὶ τὴν ψυχὴν πέφυκε.* Iidem appetitus affectusque, qui a scriptore in praecedentibus et in subsequentibus (p. 498 sqq.) latius discribuntur, alibi ad *corpus* solum (ib. p. 500) et etiam ad *carnem* solam (ib. 507) pertinere dicuntur, missa facta commemoratione *animae*, quippe quae tum cum *hac illove* in unum veluti conjuncta cogitatur; conf. v. d. GRIETHUYSEN, *Disputatio exegetico-theologica de notionibus vocabulorum σῶμα et σάρξ, in N. T. interpretatione distinguendis*, 1846, p. 18 sqq.

ter prodit; ita JESUS SIRACHIDES excellentem SALOMONIS *spiritum* illa nuncupat voce (1); alibi de conscientia loquens eadem utitur (2). In libro, qui *Sapientia* SALOMONIS inscribitur, ἡ ψυχή praestantior est hominis pars, quae a corpore prorsus distincta est (3), eoque tamquam gravi onere premitur (4), quae sapientiae est domicilium, atque vitae aeternae capax (5). Eatenus tamen in illis *libris* vox ψυχή a voce πνεῦμα distingui videtur, quatenus illa nec vitae *principium* denotat, neque ἐνέργειας summae notione adjuncta occurrere solet.

---

(1) XLVII: 15.

(2) XIV: 2.

(3) VIII: 19, 20. Horum verborum sensum infra indicabimus.

(4) IX: 15: *Φθαρτὸν γὰρ σῶμα βαρύνει ψυχὴν, καὶ βρίθει τὸ γεῶδες σκῆνος νοῦν πολυφροντίδα.* Procul abest libri scriptor, ut hic tale ponat discrimen inter *animam* et *mentem*, quale PHILO saepius ponit inter τὸ ἄλογον et τὸ λογικὸν τῆς ψυχῆς et auctor *libri Maccabaeorum* 4 inter τὴν ψυχὴν et τὸν λογισμόν. Voce enim ψυχή simpliciter intelligere videtur *pseudo*-SALOMON praestantiorem hominis partem, voce νοῦς eandem, quatenus pollet excelsa cogitandi cognoscendique vi. 2 *Macc.* VII: 37, XV: 30 *anima* opposita *corpori* esse videtur altera atque praestantior hominis pars.

(5) VII: 27, X: 16, III: 1. — Ib. XV: 11 Deus *inspirasse* dicitur homini *ψυχὴν ἐνεργοῦσαν animam efficacem* et *inflasse πνεῦμα ζωτικόν*; ad quae verba annotat GAABIUS (in op.: *Handbuch zum philologischen Verstehen der Apocr. Schriften des A. T.*, I, 1818): „*ψυχή ist bei dem Verf. das denkende Princip*, *πνεῦμα das Principium des Lebens.*" Haec annotatio recte sese habet, si vox *πνεῦμα* non de sola *physica*, sed de tota *spirituali vita* intelligitur (conf. XII: 1 et p. 79).

In N. F. eadem vox saepius indicat *interiorem hominem*, tum praesertim, cum *hic* non *consulto* ab excelsiore spectatur parte (1), quamdiu idem cum *corpore* terreno etiamnum conjunctus est, perfectioni studere debet, et ita vitae excelsae atque aeternae capax est (2). Arcte cum hoc illius vocis usu cohaeret alius, quo in nonnullis sententiis *duplex*, ut ita dicam, τῇ ψυχῇ tribuitur *vita*, *altera* excelsa atque absoluta, eaque post mortem futura, cujus *anima* est *capax*, *altera* terrena atque inferior, quam, si necesse est, in illius vitae commodum consecrare debet homo (3). Alibi vox, de qua agimus, solam *vitam*

---

(1) Conff. *Jac.* III: 15, *Jud.* vs. 19 (ψυχικός); — *Matth.* X: 28, *Luc.* XII: 19, 20, 2 *Petr.* II: 14. — Exceptio tamen est 2 *Petr.* II: 8.

(2) *Hebr.* VI: 19 cll. X: 39, XIII: 17, *Jac.* I: 21, V: 20, 1 *Petr.* I: 9, 22, II: 11, 25, IV: 19.

(3) *Matth.* X: 39, XVI: 25 cll. vs. 26, *Marc.* VIII: 35 sqq., *Luc.* IX: 24, XVII: 33, *Joh.* XII: 25 cll. X: 17. Alia ratione hasce sententias interpretatur OLSHAUSENUS (in c. l., I, p. 347 sqq., 520 sq., 702 sq., II, ed. III, 1838, p. 308), qui cogitat de ψυχῇ πνευματικῇ et σαρκικῇ, adeo nt illa vigere incipiat, dnm haec pereat (prouti etiam *Rom.* VIII: 10, 13, 1 *Cor.* V: 3, VI: 16, 17, 20*, VII: 34, *Eph.* IV: 4, 1 *Petr.* III: 18, IV: 6 vocem πνεῦμα indicare censet ψυχὴν πνευμ., in comm. l.: *De trich.*, p. 153, 156). „*Die innerste Persönlichkeit,*" inquit (in c. l., I, p. 348), „*das Ich, bleibt dasselbe, aber in ächter Selbstverleugnung stirbt es der Sünde ab*" etc. — Sed recte monet STIRMIUS contra hanc explicationem (in comm. l., p. 33): „*So* dogmatisch *wahr auch diese Erklärung ist, so bezieht sich doch der* historische *Sinn der Stelle offenbar auf die Bereitwilligkeit, das Leben um Jesu willen aufzuopfern.*"

terrenam vel *vim vitalem* denotat (1), item *hominem ipsum* hac illave gaudentem (2); denique ad sensuum affectuumque *sedem* designandam valet (3).

In V. F. igitur, ut vidimus, ita distinguitur *anima a spiritu*, ut hic longe prae illa excellere censeatur. In *libris Apocryphis* distinctio *talis* non luculenter occurrit; in iis saltem, quas attulimus, sententiis de *illa* etiam excelsa quaeque praedicantur. Qui in N. F. dicentes scribentesve occurrunt, distinctionem inter *illam* et *hunc* omnino instituunt, eatenus vero ab usu, qui ni V. F. invenitur, recedunt, quatenus *anima* iis saepius, quando distinctius loquuntur, est totus *interior homo*. Apud PAULUM denique non tam late patere solet *τῆς ψυχῆς* notio, vestigium hujusce unice invenitur in iis, quae ex *priore ad Corinthios epistola* citavimus, dictis (4); alibi de *τῷ πνεύματι*, interdum etiam de *τῷ ἔσω ἀνθρώπῳ* vel de *τῷ νοΐ* loqui ma-

---

(1) *Matth.* II: 20, VI: 25, XX: 28, *Marc.* III: 4, X: 45, *Luc.* VI: 9, XII: 22 sq., *Joh.* X: 11, 15, XIII: 37 sq., XV: 13, *Act.* XV: 26, XX: 24, XXVII: 10, 1 *Joh.* III: 16. Quia haec vox designat *vim vitalem*, facile perspicitur, cur interdum cum voce *πνεῦμα*, *vitae principium* denotante, permutari possit, *Act.* XX: 10 cll. *Luc.* VIII: 55; attamen hoc *perraro* fit. Animantibus tribuitur *anima Apoc.* VIII: 9, XVI: 3.

(2) *Act.* II: 41, 43, VII: 14, 1 *Petr.* III: 20.

(3) *Matth.* XI: 29, *Luc.* I: 46, II: 35, *Act.* IV: 32, XIV: 22, XV: 24, *Apoc.* XVIII: 14. — Semel iterumque Deo assignatur *ψυχή* in dictis ex V. F. desumptis (p. 87), ita in sententia *Hebr.* X: 38 obvia, secundum *vers. Al.* accepta. Quo sensu JESU *anima* tribuatur, in Cap. X videbimus.

(4) P. 83 sqq.

vult (1), ut ita *bonam* directionem *interioris hominis*, quae jam adest, significet (2).

§ 5.

De voce σῶμα deque discrimine eam inter et vocem σάρξ intercedente.

Vox *σῶμα*, de qua nobis ultimo loco nonnulla monenda sunt, *tam* alia interdum apud PAULUM occurrit ratione (3), *quam* de *corpore*, quo his in terris utitur homo (4); semel etiam eadem significatione dictio: *ὁ ἔξω ἄνθρωπος*, dictioni: *ὁ ἔσω* (*ἔσωθεν*) *ἄνθρωπος* opposita, occurrit (5). Alibi *corpus* humanum cum *indumento* comparatur (6), vel etiam cum *domicilio tentoriove*, in quo apte versari potest *spiritus*, tamquam incola (7).

---

(1) Prouti vidimus p. 73 sqq.

(2) De vinculo, quod *animam* inter et *spiritum* adest, deque ratione, qua illa ab hocce distinguitur secundum doctrinam V. atque N. F. multa observavit BECK, *Die christl. Lehrw.*, I, p. 201 sqq., *Umr. d. bibl. Seelenl.*, p. 3 sqq. cll. p. 30 sqq., 44 sqq.

(3) Vid. infra.

(4) 1 *Cor.* XIII: 3, 2 *Cor.* XII: 2 sq. etc.

(5) 2 *Cor.* IV: 16.

(6) Prodit haec imago 2 *Cor.* V: 4 in verbo *ἐκδύσασθαι*.

(7) 2 *Cor.* V: 1, 4, 6 cll. vs. 8 sq.; — ib. vs. 1 dictioni *ἡ ἐπίγειος — οἰκία* genitivus *τοῦ σκήνους* additur, ut eo efficacius appareat, *corpus* hocce dissolubile esse (*aardsche tenten-woning* cll. vs. 2). — 2 *Cor.* IV: 7 *corpora*, alia imagine adhibita, *cum vasibus testaceis*, id est, *fragibilibus* comparantur; eadem imago,

A voce *σῶμα* eatenus distincta est apud PAULUM *vox σάρξ*, quatenus haec *mollem materiam corporis* sive hominis, sive animantis indicat, quando ista etiamnum cum reliquis *corporis* partibus conjuncta cernitur, seu in organismo, ut ajunt, adest, sin minus vox *κρέας* legitur (1). Ut rite ordinateque videre possimus, quid inter *τὴν σάρκα* et *τὸ σῶμα* intercedat discriminis, primum de illa, tum de hocce paullo accuratius agemus (2).

In *epistola ad Corinthios priore corpora* coelestia corporibus *ἐπιγείοις* opponit PAULUS; prouti his diversam *carnem*, ita illis diversum *splendorem* tribuit; *carnem* autem tam hominibus assignat, quam variis animantium generibus (3). In eodem capite *primum hominem e terra fuisse terrenum* (*ἐκ γῆς χοϊκόν*) admonet, eosque, qui ex illo prognati sunt,

---

ut nobis videtur, recurrit 1 *Thess.* IV: 4 cll. 1 *Cor.* VI: 13, 15, 16 sqq.

(1) *Rom.* XIV: 21, 1 *Cor.* VIII: 13. — Vulgo inter voces *σάρξ* et *κρέας* hoc adesse discrimen in N. F. putant interpretes, ut illa materiam corporis *vitali vi* instructam, haec eandem ea *vi* destitutam designet; sed obstant huic opinioni dicta *Act.* II: 26, 31, *Apoc.* XIX: 21 obvia, ut recte observat MÜLLERUS (in op.: *Die christliche Lehre von der Sünde*, ed. II, 1844, I, p. 389).

(2) Conf. v. d. GRIETH., in disp. l., qui disquirit, quatenus hoc discrimen inveniatur: *in libris Graecorum*, *cum antiquiorum* tum *recentiorum* (p. 4 sqq.): — *in V. T. Interpretatione Alexandrina librisque ejus Apocryphis et Pseudepigraphis* (p. 14 sqq.): — *in libris N. T. Apocryphis scriptisque Patrum Apostolicorum* (p. 30 sqq.): — et denique praecipue *in* N. T. (p. 39 sqq.).

(3) 1 *Cor.* XV: 39 sqq.

terrenos (1), illius *imaginem ferentes* (2); quo dicto significat Apostolus, homines, ex ADAMO prognatos, per hunc naturae humilis inferioremque hunc rerum ordinem referentis participes factos esse, eique convenientem vitam manifestasse; eam autem fragilitatem atque humilitatem referendam esse ad hominem, quatenus hic *corpus*, *carne* atque *sanguine* instructum, circumfert, luculenter PAULUS in eodem capite nobis docere videtur (3).

Videmus igitur ex hisce jam dictis, *carne* effici, ut homo *in terra* versari possit; idem apparet ex formulis: *vivere ἐν σαρκί*, *commorari ἐν τῇ σαρκί*, *obambulare ἐν σαρκί* (4), quibus vita, quam homo *hisce in terris*, *carne* indutus, agit, adumbratur; huc etiam referri potest formula: *domini κατὰ σάρκα* (5), id est, ii, qui *hisce in terris* servis imperant, quique distincti sunt a *domino in coelis*, sine ulla *προςωποληψίᾳ* tam hos, quam illos regente (6); formula *ἐν σαρκί*, alibi saepius de *circumcisione* occurrens (7), semel etiam indicare videtur: *in rebus, quae ad vitam pertinent terrestrem* (8); *τὰ σαρκικά*

---

(1) Ib. vs. 47 sq.
(2) Ib. vs. 49.
(3) Ib. vs. 50 cll. vs. 53 sq.
(4) *Gal.* II: 20, *Phil.* I: 22, 24, 2 *Cor.* X: 3.
(5) *Eph.* VI: 5 cll. *Col.* III: 22.
(6) *Eph.* VI: 9 cll. *Col.* IV: 1.
(7) *Rom.* II: 28, *Gal.* VI: 13, *Eph.* II: 11 etc.
(8) *Philem.* vs. 16; conf. HAGENBACH, *Commentarius in* PAULI *epistolam* ad PHILEMONEM, 1829, ad h. l.

ea sunt bona, quorum subsidio vita haec *inferior*, eaque *sensualis*, sustentatur (1).

Porro voce *σάρξ* ntitur noster ad *originem* hominis indicandam; ita e. g. ex duobus ABRAHAMI filiis alter natus dicitur *κατὰ σάρκα*, alter *κατὰ πνεῦμα* (2); quae sententia indicat, alterum istum (ISMAËLEM) natum esse unice consueta ratione, nulla intercedente patefactione divina, qua ad magni quid eum destinatum esse portendebatur, alterum (ISAÄCUM) *promisso* divino praecedente (*διὰ τῆς ἐπαγγελίας*) (3). Alibi commemoratur *ὁ Ἰσραὴλ κατὰ σάρκα* (4), qua dictione ii intelliguntur, qui natalibus sunt Israëlitae, quique oppositi sunt *τῷ Ἰσραὴλ τοῦ Θεοῦ* (5), id est, iis, qui a *Deo* veri demum Israëlitae esse censentur. Cum hoc usu vocis *σάρξ* alius cohaeret, quo eâ indicatur *cognatio*, quae inter *populares*, ex eodem proavo *originem* repetentes, adest; ita Apostolus Israëlitas *cognatos κατὰ σάρκα* (6), vel etiam *μου τὴν σάρκα* nuncupat (7). Causa, cur in ejusmodi formulis vox *σάρξ*, non *σῶμα*, legatur, haec est, quod *illa* exprimitur natura inferior atque terrena, quae a parentibns in liberos certa lege transfertur, igi-

---

(1) *Rom.* XV: 27, 1 *Cor.* IX: 11.

(2) *Gal.* IV: 29. — *Rom.* IX: 8: „*Καλεῖ δὲ*," ita THEODORETUS Opp., III, p. 101, „*σαρκὸς μὲν τέκνα, τὰ κατὰ τὴν τῆς φύσεως ἀκολουθίαν γεγενημένα· ἐπαγγελίας δὲ, τὰ κατὰ χάριν παρεσχημένα.*

(3) *Gal.* IV: 22, 23, 28 cll. *Rom.* IX: 8 sqq.

(4) 1 *Cor.* X: 18.

(5) *Gal.* VI: 16.

(6) *Rom.* IX: 3.

(7) Ib. XI: 14.

turque prognatis cum genitoribus, et etiam posteris inter se *sponte sua* communis est, *hac* voce autem *unum corpus*, quod quisque habet sibi proprium atque peculiare (1). Causa denique, cur de *spiritu menteve* non mentio fiat, facile intelligitur; similitudo enim, quae, quod ad *hanc illumve* attinet, inter varios deprehenditur, *libere* oritur, non per *naturae legem* transfertur. Quia vox, de qua disputamus, inferiorem designat hominis naturam, eamque sensualem et terrenam, satis perspicuum est, cur homines, ubi horum *fragilitatis* ratio habetur, dicantur *σάρξ καὶ αἷμα* (2), vel etiam simpliciter *σάρξ*, at vero hoc nomine, mali notione adjuncta, uti solet PAULUS. Denique *carni*, arctissime cum *τῇ ψυχῇ* cohaerenti, sensus affectusque tribuuntur, iique *vel* innocentes atque naturales, *vel* pravi, sed de utrisque aptius infra agere poterimus.

Hisce de voce *σάρξ* observatis, jam videndum est, quatenus ab ea vox *σῶμα* discedat. Et primum quidem haec magis indefinite a nostro adhibetur de eo, quod *unum* quoddam *totum* constituit, et tamquam *tale* sese oculis offert; ita *plantam*, quae ex suo semine proditura est *corporis* nomine nuncupat PAULUS (3); ita, prouti jam vidimus, de *corporibus* coelestibus, sole nempe, luna, astris loquitur (4). Semel *corpus* opponit *umbrae* (5), ut

---

(1) Conf. v. d. GRIETH., in disp. l., p. 55.

(2) *Gal.* I: 16 cll. vs. 11 sqq., 15 sq. Vid. MEY., *Krit. ex. Komm. üb. d. N. T.*, VII, 1841, ad h. l. — *Eph.* VI: 12.

(3) 1 *Cor.* XV: 38 cll. vs. 37.

(4) 1 *Cor.* XV. l. l. cll. p. 93.

(5) *Col.* II: 17.

rem ipsam *imagini*, quam refert, infirmae. Caeterum formula: *τὸ σῶμα τῆς σαρκός*, qua JESU describitur *corpus*, ipsa utriusque vocis conjunctione demonstrat, Apostolum revera unam ab altera distinxisse (1).

Praesertim voce *σῶμα* utitur PAULUS de *homine*, vel etiam metaphorice de *ecclesia*, ut id indicet, quod variis *partibus* constans recte *conjunctum est*, et concinnum est *systema* variorum *membrorum* (2); horum nempe, ex illius mente, haec est mutua ratio, ut unum *membrum* ab altero pendeat, unum altero indigeat, unum alteri inserviat, adeo ut in summa singulorum *differentia*, omnium conjunctorum egregia sit *harmonia* (3). *Corpus* autem humanum, cum ita constitutum sit, inservit ad ea, quae intus sunt recondita, *manifestanda* (4); hinc intelligitur, cur noster de illo interdum mentionem injiciat, ubi de *vita* vel *morte* disserit, utriusque enim praesentia vel absentia ex *corporis* indiciis effici potest (5).

Praeterea observandum est, PAULUM de *corpore* excelsa quaeque praedicare, quae de *carne* numquam profert. Ita Romanos instigat, ut *corpora sistant victi-*

---

(1) *Col.* I: 22 cll. II: 11; Cap. IV.

(2) *Rom.* XII: 4 cll. vs. 5 sqq., 1 *Cor.* XII: 12 cll. vs. 13, ib. vs. 14-26 cll. vs. 27; conff. 1 *Cor.* VI: 15, *Eph.* I: 23, II: 16, IV: 4, 12, 16, V: 23 sqq., 30, *Col.* I: 18, 24, II: 19, III: 15.

(3) Vidd. *Rom.* XII, 1 *Cor.* XII ll. ll.

(4) 1 *Cor.* VI: 18, 2 *Cor.* V: 10, X: 10. De hac vocis *σῶμα* notione in Cap. V et X plura afferemus.

(5) *Rom.* IV: 19, VII: 4, 2 *Cor.* IV: 10, *Phil.* I: 20.

mam vivam, *sanctam*, *Deo acceptam* (1); ita Corinthiis dicit, *corpus esse spiritus sancti*, in ipsis vigentis, *templum* (2), atque eosdem excitat, ut *in illo Deum honore prosequantur* (3); ita etiam profitetur: **τὸ σῶμα τῷ κυρίῳ, καὶ ὁ κύριος τῷ σώματι** (4), quibus verbis vel luculentissime magnum *corporis* pretium ob oculos ponit; et, quod praecipuum est, certam spem facit Christianis, fore, ut hoc *corpus* terrenum, cui *corruptio*, *tenuitas* (ἀτιμία) et *debilitas* propriae sunt, quodque *psychicum* est, talem aliquando subeat mutationem, quali *integritatem*, *gloriam* atque *vim* accipiat, et ita *corpus spirituale* evadat, vel ut ex *corpore* hodierno, tamquam *semine*, *illud*, quod praestantiori coelestique conditioni adaptatum est, sese evolvat (5);

---

(1) *Rom.* XII: 1.

(2) 1 *Cor.* VI: 19.

(3) Ib. vs. 20.

(4) 1 *Cor.* VI: 13.

(5) 1 *Cor.* XV: 42-44 cll. vs. 35-37; — ib. vs. 53, 54 *τὸ φθαρτὸν*, *τὸ θνητὸν τοῦτο* ipsum esse videtur *corpus τῆς φθορᾶς*, id est, *σαρκὸς καὶ αἵματος* (vs. 50) particeps, quod, Apostolo judice, *ἀφθαρσίαν* et *ἀθανασίαν induere* debet; cogitat enim de hominis vivi *corpore* vel potius *suum corpus* digito monstrat. — 2 *Cor.* V: 1 verba: *οἰκοδομὴν ἐκ θεοῦ ἔχομεν*, *οἰκίαν ἀχειροποίητον αἰώνιον ἐν τοῖς οὐρανοῖς* ipsum denotant *organon* futurum, *coeleste* atque *immortale;* quod cum nomine *τοῦ οἰκητηρίου τοῦ ἐξ οὐρανοῦ* nuncupat scriptor vs. 2, significat ex *coelo*, a Deo CHRISTOve, repetendam esse eam vim, qua talis *conversio* obtineat (cll. 1 *Cor.* XV: 53 sq.); dictio *ἐν τούτῳ* (*σκήνει*) *corpus* denotat *ἐπίγειον*. Opponit igitur PAULUS vs. 2 conditionem, in qua id *nunc* versatur, illi, in qua *aliquando* versabitur; cum ibidem dicit, se *domicilium ex coelo ἐπενδύσασθαι gestire*, tale quid spectat, quale 1 *Cor.* XV: 53 sq.:

carnem vero *sanguinemque* (τὴν φθοράν ipsam), id est, omnem *materiam* totamque *rationem organismi*, qui nunc homini est, *regnum Dei accipere non posse*, *neque immortalitatem* (τὴν ἀφθαρσίαν) consequi, disertis verbis pronuntiat noster (1).

---

verbo autem ἐπενδ., non, prouti eo loco ἐνδ. utitur, quia subjectum orationis non est τὸ φθαρτὸν, τὸ θνητὸν τοῦτο, *corpus corruptibile atque mortale*, quod *immortalitate investiri* debet, sed *interior homo*, *super* cujus indumentum terrenum, coeleste veluti *indutum est*, id est, qui vi divina *vitam* accepit, quae indumentum hodiernum *absorpsit*, ad nihilum redegit (cll. vs. 4), et excelsius organon genuit. Ardenter autem Apostolum cupere, ut tempore CHRISTI παρουσίας (1 *Cor.* XV: 23), si fieri possit, etiamnum hisce in terris vivat, igiturque sine mortis interventu (sine τῷ ἐκδύσασθαι vs. 4) *corpus* suum immutet, ea, quae vs. 4 (cll. vs. 2) leguntur, ostendunt. Denique versus 3 sensus huc forsan redit: *quandoquidem*, quod certum est, *etiam* in coelesti vita, *cum induerimus* (εἴγε καὶ ἐνδυσάμενοι, ita enim legendum videtur non εἴπερ καὶ ἐκδ., conf. MEY., in c. l., p. 88) coeleste illud *corpus*, in quod hodiernum *conversum* est, *non nudi inveniemur*. Docet igitur noster, sine dubio aliquando fore nobis *spiritus* indumentum, ἐνδυσάμενοι vero non ἐπενδ. dicit, quia sese cogitatione transfert in vitam futuram, igiturque *conversionem* commutationemve, tamquam *peractam*, proponit. Conff. de eadem *conversione corporis Phil.* III: 21 cll. vs. 20 et 1 *Cor.* VI: 13 cll. vs. 14; vid. Cap. X.

(1) 1 *Cor.* XV: 50; conf. etiam 1 *Cor.* VI: 13; in dicto h. l. expresso de *ventre* idem affirmat PAULUS, quod 1 *Cor.* XV l. l. de *carne sanguineque* profitetur. — 2 *Cor.* V: 6, 8 cll. vs. 9, *corpus* spectatur, quale hac in vita est; ita etiam *Rom.* VIII: 23 effatum: υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι, τὴν ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος ἡμῶν, non indicat *liberationem*, qua *corpore* destituti simus, sed vel *liberationem* a *corpore*, quale nunc est, vel, quod eodem redit, *immunitatem* ejusdem a corruptione et mortalitate.

Discrimen igitur, *corpus* inter et *carnem* intercedens, eo nobis, ex Apostoli mente, redire videtur, ut *haec* sit pars inferior atque sensualis, hominem inter et *terram* vinculum constituens, *illud* aptum atque egregie compositum interioris hominis *organon*, quod, quamdiu in terra versamur, *carne* constat, atque hujus rationem refert, sed ita *converti* atque mutari potest, ut excelsiori atque coelesti conditioni, aliquando futurae, prorsus consentaneum fiat.

Nonnullae sunt sententiae, quae si inter se conferuntur, probare videntur, PAULUM distinctionis vocum *σάρξ* et *σῶμα* non constanter tenacem fuisse, vel in quibus primum una vox, tum statim altera legitur, adeo ut primo obtutu utramque eadem ratione adhibitam esse facile censeas. Ita legimus *et ἀπὼν τῷ σώματι* et alibi *τῇ σαρκὶ ἄπειμι*. Sed in illo dicto de *corpore* agit noster, quia ejus *membra* (oculos, aures etc.) respicit (1), in hoc de *carne*, quia uti vult voce, a qua, si cum *spiritu* confertur, *contemtus* notio haud prorsus abest (2).

---

(1) 1 *Cor.* V: 3. Talem esse vocis *σῶμα* notionem perspicitur ex particula *γάρ*; nimirum Apostolus haec significat: *vos* scelestum istum hominem ob *oculos habentes*, *vos* eum *audientes*, *vos* igitur *corpore* etiam praesentes, poena istum affecisse debuissetis (cll. vs. 2); *nam ego* (ὡς) *ἀπ. τ. σ.*, quamquam *corpore absens*, *jam*, utpote *spiritu praesens*, *judicavi*, *tamquam praesens* corpore; *τὸν οὕτω τοῦτο κατεργασάμενον*; conf. v. d. GRIETH., in disp. l. p. 101 sq.

(2) *Col.* II: 5. Censet v. d. GRIETH. (in disp. l., p. 102 sqq.), *Participium χαίρων insolenter praecedens Participium βλέπων* PAULUM invitasse, ut non de *corpore* loqueretur, sed de *carne*, quippe

In *epistola ad Corinthios priore* dicit scriptor: *Nonne scitis, eum, qui meretrici adhaeret, unum* cum hac *corpus esse* (1), et jam verbis, in *Geneseos libro* obviis, utens statim subjungit: *erunt enim, inquit* scriptura, *duo illi εἰς σάρκα μίαν* (2); sed consulto in illo effato *de corpore* loquitur PAULUS, quia conjunctio cum *meretrice* ad solum *corpus* pertinet; in dicto vero, quod ex V. F. citat, spectatur matrimonium, id est, intima conjunctio, quae adest inter virum et mulierem, adeo ut haec et ille *unam* veluti efficiant *personam;* jam vero Hebraei, ut mox videbimus, amicitiam arctissimam vel tenerrimum amorem respicientes, de *unitate carnis* loqui solebant. — In sententia, quae in *epistola ad Ephesios* invenitur, primum *corpus* commemorat Apostolus, hisce verbis utens: *Ita debent viri suas uxores amare, ut corpora sua* (3), quia spectat imaginem de conjunctione, quam paullo su-

---

cui cum *laetitiam*, tum alios *tribuat animi sensus aliasve affectiones.* Sed ab hac interpretatione recedendum esse putamus, quia nullum in epistolis occurrit effatum, in quo tam sublimis *laetitiae* sensus ad *carnem* refertur (vid. Cap. II). Dictione: *τὸ πρόσωπόν μου ἐν σαρκί*, vs. 1 obvia indicari censemus, ab adspectu *faciei*, quae in *carne*, inferiore hominis parte, expressa est, non pendere, quominus Apostolus *vehementem luctationem habeat*, id est, summam sollicitudinem sustineat assiduasque preces fundat (conf. GROT. ad h. l.) pro Colossensibus aliisque, *qui faciem suam non viderunt.* V. d. GRIETH. interpretatur: „*Quotquot non viderunt faciem meam in ea parte, in qua sensus et affectiones animi adspectabiles sunt.*"

(1) 1 *Cor.* VI: 16.

(2) Ib. cll. *Gen.* II: 24; conf. v. d. GRIETH., in disp. l., p. 112 sqq.

(3) *Eph.* V: 28.

perius descripsit, CHRISTI cum *ecclesia; haec* nempe, eo judice, *uxor* atque *corpus* est, *ille vir* atque *caput* (1); in subsequentibus, hac imagine missa, *affirmat, eum, qui uxorem amat, semet ipsum amare;* quod ut ulterius probet, ad eadem illa verba, in *Geneseos libro* obvia, alludens, quae paullo inferius citat, *nemo enim,* inquit, *umquam carnem suam odit* (2); viri igitur *carnem* dicit *uxorem,* quia arctissimum inter hanc illumque constitutum est vinculum. Alibi primum de *corpore,* tum de *carne* disserit noster, quia hac voce efficacius hominis *fragilitas* adumbratur (3).

Ut vocis usum, qui in PAULI epistolis invenitur, eo melius perspicere possimus, breviter attendendum est nobis ad rationem, qua Hebraei voce בָּשָׂר uti consueverunt; dein perscrutabimur, quatenus distinctio vocum *σάρξ* atque *σῶμα* etiam in *versione Alexandrina* V. F, in hujus *libris Apocryphis* et in N. F. ipso inveniatur.

---

(1) Ib. vs. 22 sqq. cll. vs. 30; conf. v. d. GRIETH., in diss. l., p. 109 sqq. Forsan aliquis attendens ad imaginem PAULI, qua hic rationem CHRISTUM inter atque *ecclesiam*, hujus sociorum ipsorum conjunctionem mutuam simul respiciens, comparat cum *capite* et *corpore*, prouti etiam *Eph.* IV: 15, 16, *Col.* II: 19 etc., in dubium vocabit interpretationem, quam supra dedimus, dicti 1 *Cor.* VI: 16 obvii (conf. p. 101); objiciet enim, illam rationem conjunctionemque minime esse *externam;* sed tenendum est, tum eam vocis *σῶμα* notionem in lucem protrahi, qua est variorum *membrorum conspiratio,* procedens ex *capite,* primario atque praecipuo *membro* (vid. p. 97).

(2) *Eph.* V: 29 cll. vs. 30 sq.; conf. v. d. GRIETH. in disp. l., p. 110 sqq.

(3) 2 *Cor.* IV: 10, 11 (*ἐν τῇ θνητῇ σαρκὶ ἡμῶν*); vid. de tota hac sententia v. d. GRIETH., in disp. l., p. 106 sqq.

Hebraei Deum, tamquam *potentissimum* omnium, quae adsunt, rerum Creatorem, venerantes, non potuerunt non cum tali tantoque Numine hominem conferentes, hujus *debilitatem* atque *vanitatem* in lucem protrahere; *fictum* ab Illo hunc *esse* dixerunt, in dicto classico, *ex pulvere terrae, cui per halitum Dei vita indita sit*, adeo ut *ita factus sit terrigena in animam vivam* (1). Ex tali sententia, ni fallimur, ducenda est causa, cur homines aeque atque animantia toties בָּשָׂר *vanam* veluti *fragilemque materiam* nuncuparint Hebraei (2). Plus semel vero eadem vox in V. F. strictiore sensu de solis *hominibus* adhibetur, *debilitatis* notione tum etiam adjuncta (3); porro de solo *corpore* occurrit (4), item ad solam *corporis* hominum animantiumque *materiam mollem* designandam invenitur, eamque *cum* a reliquis *corporis* partibus solutam (ita e. g. *carnem* animantium mactatorum denotat) (5), *tum* apte dispositam atque *vitali vi* in-

---

(1) *Gen.* II: 7, III: 19.

(2) Conf. THOL., in c. l., p. 51. — *Gen.* VI: 17 de hominibus atque animantibus בָּשָׂר legitur (ib. vs. 19 cll. vs. 20 de hisce solis; vidd. VII: 15, 16, 21 cll. vs. 14, VIII: 17); ita etiam de utrisque IX: 11, 15, 16; conf. *Job.* XXXIV: 15. — Caeterum quod ad hanc *fragilitatis* notionem, voce בָּשָׂר expressam attinet, conff. omnino *Ps.* LXXVIII: 39, *Jes.* XXXI: 3, XL: 5, 6 sqq., *Jer.* XVII: 5, 2 *Chron.* XXXII: 8.

(3) Vocem בָּשָׂר *Gen.* VI: 12 sq. de solis inveniri hominibus, liquet ex adjunctis; *Jes.* XLIX: 26, *Jer.* XXV: 31, *Ez.* XXI: 4, *Joel* III: 1 sqq.

(4) *Lev.* XVII: 16, *Num.* VIII: 7 etc.

(5) *Ex.* XII: 8, 46, XVI: 3, 8, 12, *Deut.* XII: 15, 27,

structam (1), *cute* atque *carne* cogitatione, *vel* exclusis (2), *vel* inclusis (3). Ubi de hac *corporis* materia, tam cum *corpore* conjuncta, quam ab eo separata sermo fit, interdum quoque vox שְׁאֵר invenitur (4), quae insuper *et* sola (5), prouti etiam vox בָּשָׂר (6), *et* cum hac conjuncta de *cognatione* atque *intima ratione* (7), quae inter homines adest, usurpatur.

Referunt interdum etiam Hebraei ad בָּשָׂר vel שְׁאֵר *naturales* affectus sensusque, e. g. desiderium intimum (8), laetitiam (9), summam anxietatem (10), ita tamen, ut tum *animae* vel *cordis* commemoratio antecesserit.

Si quaeritur, quomodo in *versione Alexandrina* vox בָּשָׂר reddi soleat, et quatenus distinctio inter *corpus* et *carnem* observetur, respondendum est, in illa saepius

---

Jud. VI: 19 sqq., 1 *Sam.* II: 13, 15, 1 *Reg.* XVII: 6, *Jes.* XXII: 13, XLIV: 16, *Jer.* VII: 21, *Ez.* IV: 14, *Dan.* X: 3, *Hos.* VIII: 13, *Hagg.* II: 12.

(1) *Gen.* XLI: 2 sqq., 18, sq., *Ex.* IV: 7 etc.

(2) *Gen.* II: 21, 23, XXIX: 14, *Job.* II: 5, XIX: 20, *Thren.* III: 4, 2 *Sam.* V: 1.

(3) *Job.* XXI: 6, *Jud.* VIII: 7 et ita saepius.

(4) *Mich.* III: 2, 3, *Jer.* LI: 35, *Ps.* LXXIII: 26, LXXVIII: 27.

(5) *Lev.* XVIII: 12 sq., XX: 19, XXI: 2, *Num.* XXVII: 11.

(6) *Gen.* II: 24, XXXVII: 27, *Jes.* LVIII: 7. Interdum eodem sensu formula: *os meum et caro mea*, invenitur, e. g. *Jud.* IX: 2, *Gen.* XXIX: 14; vid. GEN., in *thes.*, in v. בָּשָׂר.

(7) *Lev.* XVIII: 6, XXV: 49.

(8) *Ps.* LXIII: 2.

(9) *Ps.* LXXXIV: 3.

(10) *Ps.* LXXIII: 26.

voces *σάρξ* et *κρέας* distingui tali ratione, quali supra diximus (1), porro vocem בָּשָׂר hic illic reddi voce *σῶμα* in iis sententiis, in quibus *habitus* hominis *externi* ratio habetur; ita ubi de contaminatione *corporis* sermo fit (2), vel de eadem amovenda deque *externa* puritate curanda (3).

Praeterea exempla etiam luculentissima afferri possunt, quibus probetur, in ea *versione* omnino *corpus* a *carne* distingui. Ita formula Hebraica:

---

(1) Conff. loci p. 103 sq., not. 5 citati. Ubi vox *σάρξ* in hacce *versione* adhibetur proprio vel improprio sensu tam de hominum, quam de animantium *carne edenda*, *haec* saepius cum *corpore* conjuncta cogitatur (*Gen.* XL: 19, *Ps.* XXVII: 2, *Jes.* IX: 20, *Jer.* XIX: 9 etc.). Non semper tamen ea distinctio inter voces *σάρξ* et *κρέας* invenitur; vidd. *Job.* X: 11 cll. II: 5, XIX: 20; *Deut.* XXVIII: 53 cll. *Lev.* XXVI: 29, *Mich.* III: 3. 1 *Reg.* XIII: 28 de *corpore edendo* mentio fit, quia ibi de *leone* sermo est, qui non solam *carnem*, sed etiam reliquas *corporis* partes comedere solet; conf. v. d. GRIETH., in disp. l., p. 15 cll. p. 134.

(2) *Lev.* XV: 2, 3, 19.

(3) *Lev.* XIV: 9, XV: 13, 16, XVI: 4, 24, 26, 28, XVII: 16, *Num.* VIII: 7. Quodsi nonnullae sententiae inter se conferuntur, vox בָּשָׂר *confuse* vocibus *σάρξ* et *σῶμα* reddita videtur; ita 2 *Reg.* VI: 30 cll. 1 *Reg.* XX: 27 et *Lev.* XIX: 28 cll. XXII: 5; sed tum de talibus agitur rebus, quales tam in *corpus*, quam in *carnem* quadrant. Minime ex iis sententiis istam *confusionem* duci posse inde perspicitur, quod *Lev.* XVI: 4 vox בָּשָׂר reddita est voce *χρώς*; hacce autem idem indicari in *vers. Al.*, atque vocibus *σάρξ* et *σῶμα*, nemo umquam statnet; conf. v. d. GRIETH., in disp. l., p. 14 sq. Ob eandem, quam jam expressimus, causam *Prov.* IV: 22 cll. III: 22 *ἴασις* tribuitur *carni*, *Prov.* III: 8 *corpori*.

בְּשָׂרְךָ וּשְׁאֵרֶךָ reddita est *σάρκες σώματός σου* (1) et formula בְּשָׂרוֹ *(partes molliores)* מַפְּלֵי eadem ratione *σάρκες σώματος αὐτοῦ* (2); dictio *κόπωσις σαρκός* invenitur, cum de mentis intentione animive curis, quibus *caro* tabescit, sermo fit (3); dictio *κατάκοποι τῷ σώματι* (*Hebr. robur* כֹּחַ), cum cogitatur de iis, quorum *corporis membra* gravibus laboribus exantlandis lassa fuerunt (4). Ubi animantia atque homines et hi soli propter *fragilitatem* atque *debilitatem* in V. F. בָּשָׂר dicuntur (5), ubi hac voce *cognatio intimaque conjunctio* indicantur (6), ubi *circumcisio* eâdem significatur (7), ubi denique affectus sensusve ad בָּשָׂר et שְׁאֵר referuntur (8), constanter vox *σάρξ* in *versione Alexandrina* legitur.

In eadem *versione* voces Hebraicae גֵּוָה (9),

---

(1) *Prov.* V: 11.

(2) *Job.* XLI: 15.

(3) *Eccl.* XII: 12.

(4) *Job.* III: 17.

(5) Conff. loci p. 103, not. 2 et 3 citati.

(6) Conff. loci p. 104, not. 6 citati; ubi vox שְׁאֵר tali ratione occurrit, haec redditur *οἰκειότης*, *οἰκεῖος* (*α*, *ον*), conff. loci p. 104, not. 5 citati; ubi denique formula שְׁאֵר בְּשָׂרוֹ obvia est, haec vertitur *οἰκεῖος* (*α*, *ον*) *σαρκός*, *τῶν σαρκῶν*; conff. loci p. 104, not. 7 citati.

(7) *Gen.* XVII: 11, 14, 24 sq., *Ez.* XLIV: 7, 9 etc.

(8) Conff. loci p. 104, not. 8, 9 et 10 citati.

(9) De vivo *corpore* hominis legitur ea vox *Job.* XX: 25, prouti h. l., ita etiam *Job.* XXXIII: 17 in *vers. Al.* reddita est *σῶμα*. Posteriore tamen loco in textu Hebraico indicat *elationem*

גְוִיָּה (1), גּוּפָה (2), פֶּגֶר (3), נְבֵלָה (4) et vox Chal-

---

superbiam, *fastum* pro גַּאֲוָה a גָּאָה *extulit se;* conf. GES., in *thes.*, in v.

(1) *Corpus* denotat vivum *tam* hominis, *Dan.* X: 6 (cll. *Gen.* XLVII: 18, *Neh.* IX: 37, in quibus dictis גְּוִיָּה *corpus* indicat, quatenus hoc ad laborem exantlandum aptum est), *quam* animantis *Ez.* I: 11, 23, insuper etiam mortuum *corpus* ea voce designatur, e. g. 1 *Sam.* XXXI: 10, 12. In omnibus hisce sententiis *versio Al.* praebet vocem *σῶμα*, *Ps.* CX: 6 *πτῶμα* (de homine); *Jud.* XIV: 8, 9, ubi de leonis cadavere sermo est, *στόμα*. — *Nah.* III: 3 vox גְּוִיָּה bis occurrit, priore vice in *vers. Al.* reddita est: *τοῖς ἔθνεσιν αὐτῆς* (acsi esset לַגּוֹיִם non לַגְּוִיָּה), posteriore vice *σῶμα*: *καὶ ἀσθενήσουσιν*, haec leguntur, l. l., *ἐν τοῖς σώμασιν αὐτῶν ἀπὸ πλήθους πορνείας*, ea autem ratione dictum Hebraicum translatum est וְכָשְׁלוּ בִּגְוִיָּתָם (יִכָּשְׁלוּ a כָּשַׁל *debilitatus est*, *labavit*, Niph. *debilis fuit*, *corruit*) *corruunt*, *corruitur in corporibus eorum.* Hoc dictum arctissime junctum est in *vers. Al.* cum primis sequentis versus verbis מֵרֹב זְנוּנֵי, *ex multitudine*, *propter multitudinem scortationum.* — Vox גֵּו (*dorsum*) *Neh.* IX: 26, *Ez.* XXIII: 35 etiam translata est in *Al. vers.* voce *σῶμα.*

(2) 1 *Chron.* X: 12 de *corpore* hominis invenitur, in *vers. Al.* *σῶμα.*

(3) 2 *Reg.* XIX: 35, *Jes.* XXXVII: 36 occurrit de *corpore* mortuo hominis addita voce מֵתִים; — de *corporibus* integris et in partes distractis animantium *Gen.* XV: 11. In duobus prioribus dictis *Al. vers.* exhibet *σῶμα* (*τὰ σώματα νεκρά*), in posteriore dicto plurali *τὰ σώματα* formula: *ἐπὶ τὰ διχοτομήματα αὐτῶν* additur, alibi aliter, ita *Jes.* XXXIV: 3, *Lev.* XXVI: 30 etc., *νεκρός*, *κῶλον* (*κῶλα*) etc.

(4) *Corpus* significat mortuum *vel* hominis, prouti *Deut.* XXI: 23, *Jos.* VIII: 29, 1 *Reg.* XIII: 22, 24, 28 sqq. (in *vers. Al.* *σῶμα*) *vel* animantis *Lev.* VII: 24, *Deut.* XIV: 21 (in *vers. Al.* *θνησι-*

daica נְשֶׁם (1), quibus hominum animantiumve *corpora* viva vel mortua denotari solent, saepissime redditae sunt voce σῶμα, interdum etiam alia ratione, numquam voce σάρξ. Tandem pro vocibus חַיִל (2), נֶפֶשׁ (3) occurrit vox σῶμα, quia cogitatur de *servis*, qui *corporis membrorum* ope officia praestant, pro voce טַף *(parvulus)*, quia *distributio* hominum instituitur (4).

In *libris Apocryphis* vox σάρξ saepius eadem significatione, qua in V. F. invenitur. A JESU SIRACHIDE prae caeteris ad hominum *fragilitatem*, quae iis cum animantibus communis est, designandam usurpatur; ita in formula πᾶσα σάρξ, ab illo frequentata (5); alibi terrigenae ab eodem γενεὰ σαρκός καὶ αἵματος dicuntur (6). In iisdem scriptis voces

---

μαῖον, et ita etiam 1 *Reg.* XIII: 25, 2 *Reg.* IX: 37, ubi de *corpore* mortuo hominis agitur, *Jer.* XVI: 18, ubi de idolis sermo fit); alibi pro hac voce Hebraica vox νεκρός legitur *Deut.* XXVIII: 26, *Jes.* XXVI: 19 etc.

(1) *Corpus* vivum hominis designat *Dan.* III: 27 sq., IV: 30, V: 21, vel *corpus* mortuum animantis *Dan.* VII: 11 (in *vers. Al.* σῶμα). — *Dan.* VII: 15 vox Chal. נִדְנֶה (בְּגוֹ) occurrit, proprie *vaginam* denotans, et inde *vaginam animi* sive *corpus*, in *vers. Al.* legitur h. l. ἕξις (ἐν τῇ ἕξει μου).

(2) *Gen.* XXXIV: 28.

(3) *Gen.* XXXVI: 6.

(4) *Gen.* XLVII: 12.

(5) XXX: 30, XL: 8, XLI: 4 cll. vs. 3 etc.

(6) XIV: 18, conf. *Sap. Sal.* VII: 2 cll. vs. 1. Dicto *Jes. Sir.* XVII: 31 obvio: καὶ πονηρὸς ἐνθυμηθήσεται σάρκα καὶ αἷμα (ita enim legendum esse videtur), de humana *fragilitate* cogitari, tam

σάρξ et *σῶμα* luculentissime distinguuntur (1), e. g. in dictione *σῶμα σαρκός*, qua *corporis* debilitas adumbratur (2). Praeterea de *carne* talia leguntur, qualia de *corpore* numquam inveniuntur, ubi e. g. de *circumcisione* (3), vel de eo, quod comeditur (4), sermo est; et vicissim de *hoc* ea pronuntiantur, quae in *illam* haud quadrant. Cum nempe vox *σῶμα* id ob oculos ponit, quod interiorem hominem *manifestat* (5), cum *membrorum* ratio habe-

---

ex verbis: *τί φωτεινότερον ἡλίου; καὶ τοῦτο ἐκλείπει*, quam ex iis, quae vs. 30 et 32 leguntur, luculentissime apparet; — ultima verba versus 31, a nobis allata, explicat v. d. GRIETH. (in disp. l., p. 25): „*improbo (ut se convertat ad Deum) insit cogitatio, se carne et sanguine constare, id est: fragilitatis suae;* ad hanc explicationem firmandam provocat ille ad *Jes. Sir.* XXVIII: 6 et XVI: 20, *Bar.* III: 31, *Sap. Sal.* IX: 13.

(1) 2 *Macc.* IX: 9. In *libro Macc.* 4, in sententiis p. 92 laudatis, distinctio talis non prodit, alibi vero omnino, ita p. 507; — p. 504 vox *σάρκες* a voce *σῶμα* discedere videtur, ut pars a toto.

(2) *Jes. Sir.* XXIII: 16; conf. STIRM, in comm. l., p. 9. — Vox *σάρξ* XXXIV: 1, XXXVIII: 28 in numero plurali obvia indicare videtur *corporis* materiam mollem debilemque.

(3) *Jes. Sir.* XLIV: 20, *Judith* XIV: 10.

(4) Ita *Sap. Sal.* XII: 5, *Bar.* II: 3 de *carne*, quae a *corpore* distrahitur et comeditur sermo est. *In libro Macc.* 4, p. 503 sqq. verba *σαρκοφαγεῖν* et *σαρκοφαγία* idem indicant, quod edere *κρέας* cll. dictione *τῶν ἡψημένων κρεῶν*.

(5) *Sap. Sal.* I: 4. Ita etiam vocem *σῶμα* accipiendam esse VIII: 19, 20, censet v. d. GRIETH. (in disp. l., p. 21 sqq.), accurate probare studens, h. l. non de *praeëxistentia* cogitari, quia verba *ἦλθον εἰς σῶμα ἀμίαντον* non *significent, eum*, qui inducitur,

tur (1), cum de recta *exterioris hominis* conditione (2), cum de *mortuis* (3) et de *servis* (4) sermo est.

Prouti in illis libris ita etiam in N. F. utrique voci peculiaris atque diversa assignatur ditio; *altera* (σάρξ) enim vel *materiam mollem corporis* significat (5) vel ad hominis *debilitatem* ob oculos ponendam expressa est (6), vel *conjunctionem* denotat intimam (7), vel, quod saepius fit, *contemtus* notione non prorsus exclusa, occurrit (8), vel *mali moralis* ratione habita,

---

nunc corpore indutum esse, sed quale nunc corpus se manifestaverit.

(1) *Jes. Sir.* VII: 24, XLVII: 19. In hisce sententiis *corpus* commemorari videtur, quia *membra*, ad libidinem patrandam inservientia, spectantur; conf. v. d. GRIETH. (in disp. l., p. 24). — 2 *Macc.* VII: 7.

(2) Ita ubi de integri *corporis* sanitate agitur *Jes. Sir.* XXX: 14 sqq.; vel ubi de *illius* puritate cogitatur *Judith* X: 3 etc.

(3) *Jes. Sir.* XLVIII: 13, 2 *Macc.* IX: 29.

(4) 2 *Macc.* VIII: 11, *Tob.* X: 10.

(5) *Luc.* XXIV: 39. In sententiis *Act.* II: 26, 31, *Apoc.* XVII: 16 cll. XIX: 18, 21 expressis de materia *corporis*, *vi vitali* destituta, sed cum reliquis partibus etiamnum conjuncta, sermo fit; conf. p. 90. — De *vita* terrena legitur *Hebr.* V: 7 cll. II: 14.

(6) *Matth.* XXIV: 22 cll. *Marc.* XVI: 20; *Luc.* III: 6, 1 *Petr.* I: 24 cll. vs. 25. In dicto *Hebr.* VII: 16 inveniundo verba: κατὰ νόμον ἐντολῆς σαρκίνης, opponuntur dictioni: κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου; conf. *Jac.* V: 3.

(7) *Matth.* XIX: 5 sq. et *Marc.* X: 8 cll. *Gen.* II: 24.

(8) *Matth.* XVI: 17, *Hebr.* IX: 10 cll. vs. 13 sq. — Ita etiam intelligitur causa, cur *Hebr.* X: 23 de *corpore*, 1 *Petr.* III: 21 de *carne* mentio fiat, etenim *illic* exigitur vox *excelsiorem* notio-

haud raro legitur (1); *altera* (σῶμα), et alio adhibetur modo, et saepius praesertim de *corpore*, quod *variis* constans *membris* apte *junctum* atque *dispositum est*, usurpatur (2), porro de eo, quod *exteriorem* spectat *habitum* (3), tandem de eo, quod *vitam manifestat* (4).

---

nem habens, hîc talis, a quali *contemtus* indicium haud prorsus abest.

(1) Vid. Cap. IV.

(2) *Matth.* V: 29 sq., VI: 22 sq. cll. *Luc.* XI: 34, 36; conff. etiam omnino *Joh.* II: 21 cll. vs. 19, 20, *Jud.* III. 2 cll. vs. 3 (de equo) etc.

(3) *Matth.* VI: 25, XXVI: 12, *Luc.* VII: 22 sq. (ἡ ψυχή in hisce dictis est *vis vitalis*). — De *exteriore homine*, opposito *interiori* (τῇ ψυχῇ) vox σῶμα legitur *Matth.* X: 28, *Luc.* XII: 4; alibi eâdem indicantur ea, quibus *exterior homo* sustentatur atque curatur, vel quae hujus conditionem spectant (*Jac.* II: 16, *Marc.* V: 29). — *Hebr.* XIII: 3 primo obtutu vox σῶμα idem exprimere videtur, quod *Phil.* I: 22 vox σάρξ; sed tenendum, *illic* respici mala, quae nominatim *corpus* spectant, *hîc* omnem miseriam, quae cum *vita terrestri* conjuncta est. V. d. GRIETH. (in disp. l., p. 104 sq.) *hîc* vocem σάρξ legi censet, quia tam de *corporis*, quam de *animi aerumnis* cogitatur; vid. Cap. II.

(4) *Hebr.* X: 5, 10, *Jac.* II: 26; inde etiam de *corporibus mortuis* tam hominum, quam animantium, iisque vel integris vel mutilatis, adhibetur vox σῶμα, ita *Matth.* XXVII: 58 sq., *Marc.* XV: 43, 45, *Luc.* XXIII: 52 sq., 55, *Joh.* XIX: 31, 38, 40, *Luc.* XXIV: 3, 23, *Joh.* XX: 12; vidd. etiam *Matth.* XIV: 12 (ubi lectio σῶμα prae lectione πτῶμα eligenda esse videtur), *Matth.* XXVII: 52, *Act.* IX: 40, *Jud.* 9, *Hebr.* XIII: 11. — De *servis* forsan intelligenda est haec vox *Apoc.* XVIII: 13; conf. v. d. GRIETH., in disp. l., p. 47.

Denique observatione dignum est, JESUM, Sacram Coenam instituentem, voce σῶμα non voce σάρξ usum esse (1); hoc rite tenendum esse, merito observarunt viri docti (2).

Quodsi jam rationem, qua in V. F. hujusque *libris Apocryphis* de *carne* agitur, et eam, qua, in N. F. eadem spectatur, quam brevissime complecti velimus, dicendum est, in *illis* scriptis *dominari* notionem *physicam* ejus vocis, etenim prae caeteris id, quod *fragile* atque *inane* est designat; in *hoc* autem, prouti luculentius etiam in Capite IV videbimus, primarias agere partes notionem *moralem*, quae vel maxime in epistolis *Paulinis* legi solet. Idem est Apostolus, qui prae caeteris diserte atque de industria distinctionem *carnis* a *corpore* constanter tenuit. Utriusque rei causa, ni fallimur, inde repetenda est, quod doctrinam de *immortalitate* accurate exposuit vir summus, et quod, ut sequens Pars docebit, enucleate atque fuse de *peccato* agere solet (3).

---

(1) *Matth.* XXVI: 26, *Marc.* XIV: 22, *Luc.* XXII: 19 cll. 1 *Cor.* XI: 24.

(2) Nonnulla de hac formula affert v. d. GRIETH., (in disp. l., p. 130 sqq.). Hujus vero aliorumque argumenta recensere non possumus, propterea quod ad alia, magis ad rem nostram pertinentia, nobis properandum est.

(3) De τῇ σαρκί et τῷ σώματι disputant BECK, *Die christl. Lehrw.*, p. 276 sqq., 465 sqq., 197 sqq., alibi; (de illa vero agens praecipue ad peccatum attendit), STIRM, in comm. l., p. 4 sqq.

§ 6.

Conclusio.

Ex hisce, quae exposuimus de natura humana, ex PAULI mente, additis etiam sententiis, alibi obviis, facile ducere posset quispiam, Apostolum non de *tribus*, sed potius de *quatuor partibus*, quibus constet *natura humana*, loqui; etenim praeter *spiritum*, principium sublimius, *animamque*, vim inferiorem, *corpus* atque *carnem* commemorat, hanc illo ignobiliorem. Sed probe videndum est, ne ea, quae ille *distinxit*, a se invicem *separemus*. Scilicet, dum his in terris vivit homo, indissolubile est vinculum inter *corpus* atque *carnem;* cum illo et praesertim cum hacce arctissime cohaeret *anima* (ἡ ψυχή), quae ab altera parte conjunctionem constituit intimam inter *corpus* (τὸ σῶμα) sensuale terrenumque, *carne* (τῇ σαρκί) instructum, et excelsum *spiritum* (τὸ πνεῦμα), qui est divinae particula aurae.

Nunc plane intelligimus, qualis sit *trichotomiae* illius, de qua supra locuti sumus, vera indoles (1), pariterque perspici potest causa, cur illa saepius *dichotomiae* locum cedat, quae vel τὸν ἔσω et τὸν ἔξω ἄνθρωπον continet, vel τὸ πνεῦμα et τὸ σῶμα (2); ubi hic illic τὸ πνεῦμα vel ὁ νοῦς et ἡ σάρξ conjunctim commemorantur (3), consulto id, quod in homine

(1) P. 67 sqq.

(2) Conff. loci p. 73 sq., p. 75, not. 1 citati.

(3) Vidd. dicta p. 74, not. 1, p. 75, not. 2 citata.

maxime excelsum est, ei, quod infimum est, opponitur. De τῇ ψυχῇ in talibus formulis nulla fit mentio, quia ea est vis, qua *corpus* (σάρκικον) viget, atque conjunctum est cum *spiritu*, et vicissim, quia hujus est illam ita illustrare, prouti infra videbimus, ut in dies perfectiore gaudeat *vita* et hanc *corporis* ope *manifestet* (1). Nequaquam igitur sunt tria quatuorve *segmenta*, in *unum* conflata, ut ita dicam, quibus hominem constare censeat PAULUS, prouti recentiores duobus elementis, *animo* et *corpore*, constare hominem docent; sed Apostolus potius *a variis partibus* (2) hominem contemplatur, et uti aliud vel aliud in ipso sese magis manifestat, ita hoc illudve variis designat nominibus.

Idem valet de V. F. deque *librorum Apocryphorum* scriptoribus, Hebraeorum vestigiis insistentibus, et de iis quoque, qui in N. F. dicentes scribentesve occurrunt. Vel, ut paucis rem totam complectamur, effatum illud, in *Geneseos libro* obvium, ad quod jam alludimus (3), anthropologiae Biblicae fundamentum constituit: *Deus hominem* (hujus *corpus*) *finxit ex pulvere terrae* atque *inflavit in ejus nares halitum suum, et ita factus est homo in animam vivam. Singulae* tamen notiones, hîc obviae, magis magisque, tempore labente, explicitae sunt, et vel praecipue apud PAULUM accurate enucleatae inveniuntur.

---

(1) Conf. NITZSCH, *System der christl. Lehre*, ed. V, 1844, p. 203 sq.

(2) Belgice dicamus: „Het zijn niet verschillende *deelen*, maar verschillende *zijden* van beschouwing."

(3) P. 103.

Tandem probe observandum est, Apostoli illius de homine contemplationem, qua in eo agnoscit duo *inferiora (animam* et *carnem)* et duo *superiora (spiritum* et *corpus)*, in omni illius anthropologia rite explicanda gravissimam esse. Ex ea enim contemplatione ducenda est causa, cur *interdum* de terrigena humili ratione loquatur noster, *interdum* de eodem excelsa quaeque praedicet. *Illud* nempe si facit, hominis *conditionem* vitiosam respicit, quae ubi adest, *inferiora ista dominantur; hoc* si facit, ejusdem *naturam* et huic congruam *destinationem* spectat, secundum quas *spiritus primarias agere* debet *partes*, *inferiora ista* sibi subjicere et in suum commodum *corpus* adhibere, tamquam aptum *instrumentum.*

CAPUT II.

DE SINGULIS HOMINIS VIRIBUS SIVE FACULTATIBUS, DE PECULIARIBUS CARNIS AFFECTIONIBUS ET DE HARUM ILLARUMQUE MUTUA RATIONE ATQUE CONJUNCTIONE.

§ 7.

De singulis hominis viribus sive facultatibus et de peculiaribus carnis affectionibus.

Inter omnes facultates, quibus homo pollet, primarium locum concedit PAULUS *τῷ νοΐ menti ratione praeditae;* hujus enim ope unusquisque ad Deum adscendere et de rebus divinis excelsisque *cogitare* atque *ratiocinari* valet. » *Τὰ ἀόρατα αὐτοῦ* (*τοῦ Θεοῦ*)," inquit Apostolus, » *ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται* (1)," id est, *quae de Deo cerni nequeunt*

(1) *Rom.* I: 20, *Eph.* III: 20. „*Dieses Verbum* (*νοεῖν*)," inquit BLEEKIUS (in c. l., ad *Hebr.* XI: 3, II, 2, p. 728), „*welches*

corporis oculo, *a mundo inde condito per res creatas, cum mente agitantur, perspiciuntur.* Alibi laudat τὴν εἰρήνην τοῦ Θεοῦ, *pacem, a Deo,* tamquam auctore, procedentem, quae ὑπερέχει πάντα νοῦν (1), id est, *omnem mentis* cogitationem; illius igitur *pacis* haec est natura, ut homo *ejusdem* efficacitatem ea facultate, qua de rebus divinis *cogitare* potest, vix ac ne vix quidem comprehendere queat. Quia autem ea *cogitandi* vi pollet *mens,* satis apparet, cur noster ad eam referat illa, quae homo clarâ conscientiâ ductus efficit. Ita de eo, qui in conditione *ecstatica* versatur (qui λαλεῖ γλώσσῃ, γλώσσαις) dicit, τὸ πνεῦμα ejus *preces fundere* (προςεύχεσθαι γλώσσῃ), *mentem* ἄκαρπον *esse,* quia *spiritus* vi divina abreptus est, adeo ut quis sonos proferat, de quorum vi non *cogitavit,* vel qui, dum proferuntur, omnis *mentis* abest efficacia, quique eam ob causam, nisi apte explicentur, ab auditoribus *intelligi* nequeunt (2). Secus vero sese res habet, si quis non solum τῷ πνεύματι *preces fundit, canit* vel *gratias agit* (ψάλλει, εὐλογεῖ τῷ πνεύματι), sed etiam τῷ νοΐ, tum enim hujus facultatis ope, *precum carminumque* rectam praebet *interpretationem* (3),

---

bei HOMER *auch von der sinnlichen Wahrnehmung mit dem leiblichen Auge gebraucht wird, steht dann besonders von dem Wahrnehmen mit dem inneren Auge, dem* νοῦς."

(1) *Phil.* IV: 7.

(2) 1 *Cor.* XIV: 14 cll. vs. 2, (ubi vox πνεῦμα aliud quid indicat, quam solum *spiritum humanum,* prouti vs. 14, vid. Cap. X) 4 sqq., 16 sqq. Conf. ACKERM., in comm. l., p. 900.

(3) Ib. vs. 15 sqq. cll. vs. 5 sq., 7, 12 sq.

vel alia *instituit* methodo. Eodem modo in sequentibus dictione: *διὰ τοῦ νοός λαλεῖν*, talis indicatur loquendi ratio, qualis *τοῖς λόγοις*, *ἐν γλώσσῃ* prolatis, opposita est, et quali homo, *sui sibi conscius*, sermones pronuntiat tam *perspicuos* atque *claros*, ut alii edoceantur (1).

Alibi verba: *σαλευθῆναι ἀπὸ τοῦ νοός* occurrunt, quibus denotari videtur: *dimoveri*, *deturbari a mente*, sive ita rebus, quas audias percipiasve, confundi, ut recto *mentis* destituaris usu (2). In dicto: *ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοΐ πληροφορείσθω*, voce *νοῦς* indicatur *mens cogitans* atque *judicans;* commemorat enim Apostolus varium *judicium* de dierum pia observatione; jam non postulat, ut hac in re, *minoris* nempe momenti, omnes conveniant, sed ut quisque *secum reputet*, *secum ipso rationes ineat*, et ita *ad certam* atque *perspicuam* perveniat *persuasionem* (3). Ubi Corinthios incitat PAULUS, ut *constituti sint ἐν τῷ αὐτῷ νοΐ καὶ ἐν τῇ αὐτῇ γνώμῃ*, gravi de causa, ut ex proxime sequentibus apparet, hanc unitatem, quod ad *mentem cogitandive rationem* et ex hac orientem *sententiam* attinet, commendat (4). — In JOHANNIS *Apocalypsi* vox

(1) Ib. vs. 19 (lectio haec prae alia *τῷ νοΐ* eligenda nobis videtur, vid. DE WETT., in c. l., ad h. l.) cll. vs. 3 sqq., vs. 21 sqq.

(2) 2 *Thess.* II: 2 cll. vs. 1, 3.

(3) *Rom.* XIV: 5; conff. ea, quae Apostolus ib. vs 3 sq. cll. vs. 1 sq. de ciborum usu observat.

(4) 1 *Cor.* I: 10 cll. vs. 11, 12. Vid. OLSH., in comm. l.: *De trich.*, p. 160, qui rite a formula hacce, apud PAULUM obvia,

νοῦς semel iterumque de *mentis* acumine occurrit (1).

Exempla, hactenus allata, probant, *mentem* eam esse vim facultatemve, qua quis res excelsas divinasque suscipere, easque suae conditioni consentaneas reddere valet. Ubi veram suam efficaciam amittit haec facultas, homini tribuitur *ἄνοια* (2). — Eatenus igitur cum *spiritu* convenit *ὁ νοῦς*, quatenus hic in talibus rebus versari valet; eatenus vero discrepat idem, quatenus efficit, ut eae prorsus cognitione et conscientia sua comprehendat homo; *spiritus* vero magis ad eas inveniundas *impellit*, et interdum, prouti in dicto, supra a nobis allato ex *epistola priore ad Corinthios* (3), singulari quodam modo easdem in hominem infert; sive, ut aliis verbis idem enuntiemus, dum sine *mentis* vi *τὸ πνεῦμα* aliquem extra se rapere et supra terrenam conditionem evehere possit, *illa* efficit, ut res divinae prorsus congruant conditioni illius, qui, dum his in terris versatur, *corpore* etiam *terreno* (*σαρκικῷ*) vitaeque *vi inferiore* (*τῇ ψυχῇ*), Deo ipso moderante, instructus est. — Dictionem: *τὸ πνεῦμα τοῦ νοός* infra explicabimus, quia vox *πνεῦμα*, nostro judicio, in ea est *spiritus sanctus* (4). —

---

ita discedere censet eam, quae *Act.* IV: 32 occurrit: *τοῦ πλήθους τῶν πιστευσάντων ἦν ἡ καρδία καὶ ἡ ψυχὴ μία*, ut illa *ad unitatem in cognitione*, haec *ad unitatem in amore* proxime pertineat.

(1) XIII: 18, XVII: 9 cll. *Luc.* XXIV: 45.

(2) 2 *Tim.* III: 9; conf. *Luc.* VI: 11.

(3) P. 117.

(4) *Eph.* IV: 23. Eadem notio vocis *νοῦς* et verbi *νοεῖν*,

Illa vocis *νοῦς* notio, quae a nobis explicita est, detegitur quoque in verbo composito *κατανοεῖν*, quod *oculos mentemque in re defigere* valet (1).

Non vero *menti* propria est sola *cogitandi, ratiocinandi judicandive* actio, sed etiam saepius simul illa complectitur sive involvit *voluntatem*, adeo ut quis eo modo, quo cogitet, etiam velit, vel male vel bene, pro ipsa conditione *mentis*, bona malave (2). Huic usui, in *epistolis Paulinis* deprehendendo, cujus causam in ipso hoc Capite explicabimus, non obstat, quod alibi *peccatori* tribuitur rectus *νοῦς* (3), etenim peculiaris tum describitur conditio, in qua *superior* hominis *natura*, rationalis atque moralis (4), bonum exsequi gestit, sed cum *vi opposita* dimicans succumbit (5).

---

quam hactenus apud PAULUM observavimus, deprehenditur in usu adverbii *νουνεχῶς* *Marc.* XII: 34 et verbi *νοεῖν* *Matth.* XV: 17, XVI: 9, 11, XXIV: 15 cll. *Marc.* VII: 18, VIII: 17, XIII: 14.

(1) *Rom.* IV: 19, conf. *Matth.* VII: 3 cll. *Luc.* VI: 41, XII: 24, 27, *Act.* VII: 31 sq., XI: 6, XXVII: 39, *Hebr.* III: 1, X: 24. In plurimis ex hisce dictis *oculorum* observatio cum *mentis* intentione arctissime conjungitur; vid. omnino *Jac.* I: 23 sq.

(2) Talis notio jam prodit *Rom.* XIV, 1 *Cor.* I ll. ll.; alibi luculentius detegitur; ita in bonam partem *Rom.* XII: 2, *Eph.* IV: 23, in malam partem *Rom.* I: 28, *Eph.* IV: 17. Tam ad *mentem* quam ad *voluntatem* diserte quoque refertur vox *νοῦς* *Col.* II: 18, 1 *Tim.* VI: 5, 2 *Tim.* III: 8, *Tit.* I: 15; breviter de omnibus hisce sententiis agemus in Capite VI et X.

(3) *Rom.* VII: 23, 25.

(4) Conf. p. 75.

(5) Vid. Cap. VI hujus dissertationis.

Duplex ea notio vocis *νοῦς* etiam observari potest in vocibus compositis *νουθετεῖν* (1) et *νουθεσία* (2), quae indicant ita alicujus *mentem* collustrare, ut *voluntas* atque *actio* simul emendentur, et inde *adhortari.* Ita PAULUS Romanis praecepta dans, certo *sibi persuasum habet,* ut dicit, *eos ipsos, omni bonitate plenos* esse, *et,* quod addit, *omni cognitione* esse *impletos,* igiturque *etiam semet invicem νουθετεῖν valere* (3).

Porro duplex talis notio prodit in vocibus *μετανοεῖν* (4) et *μετάνοια* (5), quibus indicatur *mentis voluntatisque* et ita *vitae* atque *actionis* mutatio, ex *cordis* affectu, ut infra videbimus, procedens.

Adjectivum *ἀνόητος* interdum strictiore sensu ad

---

(1) *Rom.* XV: 14, 1 *Cor.* IV: 14 cll. vs. 6 sqq., vs. 15 sq., *Col.* I: 28, III: 16, 1 *Thess.* V: 12, 14, 2 *Thess.* III: 15; vid. etiam *Act.* XX: 31.

(2) 1 *Cor.* X: 11 cll. vs. 1 sqq., vs. 12 sqq., *Tit.* III: 10. — *Eph.* VI: 4 verba: *οἱ πατέρες — ἐκτρέφετε αὐτὰ (τὰ τέκνα ὑμῶν) ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ κυρίου*, ni fallimur, indicant, *patres suos liberos educare* debere *(in) disciplina et adhortatione* ea, quae CHRISTI est, et quae idcirco propria est iis, qui CHRISTI *spiritu* illustrantur.

(3) *Rom.* XV l. l.

(4) 2 *Cor.* XII: 21 cll. *Act.* XVII: 30, XXVI: 20. In N. F. reliquo frequentatur hoc verbum *Matth.* III: 2, IV: 17 cll. *Marc.* I: 15, *Act.* II: 38, *Apoc.* II: 5, 16 etc.

(5) *Rom.* II: 4, 2 *Cor.* VII: 9 sq., 2 *Tim.* II: 25 cll. *Act.* XIII: 24, XIX: 4, XX: 21, XXVI: 20. Vidd. etiam *Marc.* I: 4 cll. *Luc.* III: 3, *Act.* V: 31, *Hebr.* VI: 1, 6, 2 *Petr.* III: 9 etc.

solam *mentem* refertur (1), interdum latiore sensu *insuper* ad *voluntatem* (2).

Actiones, quae ad *τὸν νοῦν* referri possunt, sunt: *τὸ νόημα cogitatum* (3) vel etiam, voluntatis ratione habita, *consilium* (4); haec vox tamen, in plurali posita, vulgo indicat *mentem* ipsam *cogitantem* (5): — *ὁ λογισμός cogitatio* vel *judicium* (6) (*λογίζεσθαι censere, reputare* (7), vel *opinari* (8) denique, *accensere*,

---

(1) *Rom.* I: 14. — Ubi 1 *Tim.* VI: 9 refert scriptor *ἐπιθυμίας ἀνοήτους* (ita enim legendum videtur non *ἀνονήτους*), intelligit *cupidines*, *mente* non rectas; conf. MATTH., in c. l., ad h. l.; vid. etiam *Luc.* XXIV: 25.

(2) *Gal.* III: 1 cll. vs. 3, *Tit.* III: 3.

(3) 2 *Cor.* X: 5.

(4) Ib. II: 11.

(5) Ib. III: 14, IV: 4, XI: 3, *Phil.* IV: 7.

(6) 2 *Cor.* X: 5.

(7) *Rom.* III: 28, VI: 11, VIII: 18, XIV: 14, 2 *Cor.* III: 5, X: 2, 7, 11, *Phil.* III: 13.

(8) Ita interpretatur hanc vocem FRITZSCHIUS ad *Rom.* II: 3: (in c. l., I, p. 97), simul docens, verbum *λογίζεσθαι* non ducendum esse *ab ὁ λόγος ratio*, *consilium*, sed ab *ὁ λόγος computatio*. „*Quare*," addit vir doctus, „*λογίζεσθαι proprie notat* rationes computare; *deinde quum argumentandi judicandique sollertia cum ejus, qui rationes ineat mentis agitatione compararetur, metaphorice* argumentari, censere, opinari *significat. Non mirum autem est, quod λογίζεσθαι et* censere *et* opinari *valet. Nam tum* qui censet, *tum* qui opinatur *calculos subduxit*, bene *ille*, *hic* male." — Vox *λόγος* saepius quidem apud PAULUM legitur, sed numquam diserte de *ratione*. *Rom.* XII: 1 invenitur dictio: *ἡ λογικὴ λατρεία cultus* vel *rationi* consentaneus, vel potius *spiritualis*, qui interne *spiritu rationeve* peragitur; conf. 1 *Petr.* II: 2 (vid. BRETSCHNEIDER, *Lexicon Manuale Graeco-La-*

imputare (1)): — *ὁ διαλογισμός ratiocinatio* (2): — *ἡ διάνοια* proprie *mens cogitando intenta*, ipsa *cogitandi actio* (3), dein *cogitandi ratio in voluntatem efficax* (4): — *ἡ πρόνοια cogitatio* rem agendam *praecedens*, inde *cura*,

---

tinum in libros N. T., ed. III, 1840, in v.). — 2 *Petr.* II: 12 *ἄλογα ζῶα* commemorantur. In dicto, a *gentili* GALLIONE pronuntiato (*Act.* XVIII: 14), *κατὰ λόγον* esse videtur *secundum rationem*, pronti *ratio* exigit; conf. STIRM, in comm. l., p. 57.

(1) Ita *λογ. εἰς τι* vel *τινί τι εἰς τι* (*Rom.* II: 26, IV: 3 etc.); vid. FRITZSCH., in c. l., I, p. 137, 216.

(2) *Rom.* I: 21, 1 *Cor.* III: 20 (cll. *Ps.* XCIV: 11 מַחְשְׁבוֹת sec. *vers. Al.*), *Phil.* II: 14; — *Rom.* XIV: 1 dictio *μὴ εἰς διακρίσεις διαλ.* indicare videtur *non ad dijudicationes ratiocinationum*, qnas alii de rebus sibi constituunt. — Qnod DE WETTIUS contendit ad *Rom.* I: 21 (in c. l.), illi voci vulgo mali notionem adjunctam esse, non valet, etenim haec ex sententiae ratione, non ex ipsa voce ducitur (conf. v. cl. HENG., in c. l., p. 177). — 1 *Tim.* II: 8 vox *διαλ.* optime cum GROTIO explicari videtur: „*intra animum disputatio contra fidem.*" — Eodem, qno apud PAULUM, sensu illa vox occurrit *Matth.* XV: 19 cll. *Marc.* VII: 21, *Luc.* II: 35, *Jac.* II: 4; interdum diserte simul significatur, hominem id, quod *ratiocinatur*, palam facere sermone *Luc.* V: 22, cll. vs. 21, IX: 46 sq. Similis etiam usus invenitur verbi *διαλογίζεσθαι Matth.* XVI: 7 sqq., XXI: 25, *Marc.* II: 6, 8, *Luc.* I: 29, III: 15, V: 21 cll. vs. 22, XII: 17; alibi vero magis *colloquendi disputandive* notio prodit (*διαλ. πρὸς ἀλλήλους, πρὸς ἑαυτούς*) *Marc.* VIII: 16, IX: 33 cll. vs. 34, *Luc.* XX: 14.

(3) *Eph.* IV: 18.

(4) *Col.* I: 21; — *Eph.* II: 3 dictio: *τὰ θελήματα τῶν διανοιῶν*, obvia est. — In N. F. reliqno haec vox *cogitandi facultatem* ipsam designare videtur, igiturque vel parum vel nihil a voce *νοῦς* discedere, ita *Matth.* XXII: 37 cll. *Marc.* XII: 30, *Luc.* X: 27 (vid. infr.); vidd. etiam 2 *Petr.* III: 1, 1 *Joh.* V: 20 et

providentia (1) (*προνοεῖν* (2), *προνοεῖσθαι* (3), *providere*): — *ὑπόνοια cogitatio abscondita, suspicio* (4): — *γνώμη* denique est *sententia*, quam quis *mente* tenet (5), prouti *γινώσκειν* ipsum *cognoscere* (6) et *γνῶσις* excelsa *cognitio* (7).

Ubi Apostolus de sola *judicandi* actione agit, uti etiam solet verbis *κρίνειν judicare* (8), *ανακρίνειν examinare, explorare* (9), *judicare, διακρίνειν discernere* (10),

---

1 *Petr.* I: 13 (ubi *lumbi* huic facultati tribuuntur, quia de *succingendo* loquitur Apostolus); — *Hebr.* VIII: 10 cll. X: 16 eadem vox pro Hebraica voce קֶרֶב *intimum* legitur, igiturque indefinite de *interiore homine* accipienda est (conf. BLEEK., in c. l., II, 2, p. 455, 658 sq.); — *Luc.* I: 51 *διάνοια* est *cogitatio*.

(1) *Rom.* XIII: 14; conf. *Act.* XXIV: 2.

(2) 2 *Cor.* VIII: 21 (ubi *προνοοῦμεν γὰρ*, non *προνοούμενοι* legendum esse videtur, conf. MEY., in c. l., p. 148), 1 *Tim.* V: 8.

(3) *Rom.* XII: 17.

(4) 1 *Tim.* VI: 4; conf. usus verbi *ὑπονοεῖν Act.* XIII: 25, XXV: 18, XXVII: 27.

(5) 1 *Cor.* I: 10 (vid. p. 119), VII, 25 cll. vs. 26, ib. vs. 40; ita etiam *Philem.* 14 dictio: *χωρὶς τῆς σῆς γνώμης* nobis indicare videtur: *praeter* (sine) *tuam sententiam*, te inscito.

(6) *Rom.* I: 21 cll. vs. 20.

(7) Vid. Cap. X. — Caeterum de voce *νοῦς* iisque, quae *facultatem*, hac voce expressam, spectant, agunt STIRM, in comm. l., p. 46 sqq., OLSH., in comm. l.: *De trich.*, p. 156 sqq., BECK, *Die christl. Lehrw.*, p. 217 sqq. et *Umr. d. bibl. Seelenl.*, p. 46 sqq. cll. p. 34, 36.

(8) *Rom.* II: 1, 1 *Cor.* X: 15 etc.; conf. *Matth.* VII: 1 sq. cll. *Luc.* VI: 37, *Joh.* VII: 24, VIII: 15 sq., 26 etc.

(9) 1 *Cor.* II: 14, 15, IV: 3 etc.; conf. *Act.* XVII: 11.

(10) 1 *Cor.* XI: 29; conf. *Matth.* XVI: 3; inde *judicio praeferre* 1 *Cor.* IV: 7 cll. *Act.* XV: 9.

dijudicare (1), *δοκιμάζειν explorare*, *probare* (2). In *epistola ad Corinthios priore* voce *φρένες mentem judicantem* (3) nuncupat noster: „*Fratres*," ait, „*nolite pueruli fieri judicio* (*ταῖς φρεσίν*), *sed malitiâ infantes*

---

(1) 1 *Cor.* XI: 31, XIV: 29; hac notione etiam substantivum *διάκρισις* legitur *Rom.* XIV: 1, 1 *Cor.* XII: 10. Alibi *διακρίνεσθαι* proprie quidem *semet ipsum dijudicare* valet, dein vero *haesitare in dijudicando*, *dubitare Rom.* IV: 20, XIV: 23 cll. vs. 22; conff. *Matth.* XXI: 21, *Marc.* XI: 23, *Jac.* I: 6.

(2) *Rom.* II: 18, 2 *Cor.* VIII: 8, *Phil.* I: 10, 1 *Thess.* V: 21; conff. *Luc.* XII: 56 cll. vs. 57, 1 *Joh.* IV: 1.

(3) Conf. UST., in op. l., p. 414, CAR., in op. l., p. 281 sq., STIRM, in comm. l., p. 56: „*Der Begriff φρένες*," inquit hic, „*wird im rein Griechischen häufig mit νοῦς zusammengestellt*, *oder auch davon als das Subordinirte unterschieden. Eine für uns sonderbare Anschauung der Alten musz den Sitz des Denkvermögens in das Zwerchfell* (*φρένες*) *gelegt haben*, *oder vom physiologischen Einflusse desselben auf das Denken ausgegangen seyn*, *während die übrigen Eingeweide als Sitz der Empfindnug und Begehrung gelten. Daher φρένες* s. v. a. Besinnungs- *und* Urtheilskraft *etc.* — In *vers. Al.* vox illa Graeca legitur pro voce Chald. מַנְדַּע (*Dan.* IV: 31, 33) atque Hebr. לֵב (*Prov.* VII: 7, IX: 4, 16, XI: 12, XII: 11, XV: 22, XXIV: 30) et *mentem* vel *cogitandi*, *intelligendi judicandique* facultatem indicat; *Prov.* XVIII: 2 pro כְּסִיל invenitur *ἐνδεὴς φρενῶν*. — De vocis ejusdem Graecae significatione apud *Scriptores profanos* conferri potest PAPE, *Handwörterbuch der Griech. Sprache*, 1842-1843, in v. Minus recte OLSHAUSENUS (in comm. l.; *De trich.*, p. 158 sq.), attendens ad vim vocabulorum *φρονεῖν*, *φρόνημα*, *ταπεινόφρων* quae *voluntatis* directionem denotare solent (vid. infr.), voce *φρένες* designari censet *spiritus voluntatem.* Praeterea sibi non satis constat vir doctus, alibi enim eâdem indicari putat *intellectum*, qui ad *psychicas* referendus sit facultates (in c. l., ad 1 *Thess.* V: 23).

estote, judicio (*ταῖς φρεσίν*) *estote perfecti*" (1). Reprehendit nimirum lectorum imbecillitatem in *judicando*, quatenus isti id, quod minus utile erat (*λόγους ἐν γλώσσῃ λαλεῖν*), prae eo, quod summam afferebat utilitatem (*διὰ τοῦ νοὸς λαλεῖν, προφητεύειν* aliave ratione *clare* instituere), eminere opinabantur (2). Eadem haecce vocis *φρένες* notio detegitur: in verbo *φρεναπατᾶν*: *Si quis*, inquit Apostolus, *opinatur, aliquid se esse, dum revera nihil est, ἑαυτὸν φρεναπατᾷ*, in *judicio*, quod de semet ipso fingit, *errat* (3): — in verbo *φρονεῖν*, quod, quamvis plerumque paullo aliam habet notionem, tamen etiam de *cogitando judicandove* adhibetur (4): — in adjectivo *φρόνιμος* de eo, qui *judicio* valet, *sollers* est (5), saepissime occurrente: — in adjectivo *ἄφρων*, quod illum designat, qui similia a similibus *dijudicare* non valet (6), igiturque *stultus* est (7), prouti *ἄφρο-*

---

(1) 1 *Cor.* XIV: 20.

(2) Ib. vs. 19 cll. vs. 21 sqq.

(3) *Gal.* VI: 3; conf. usus adjectivi *φρεναπάτης* *Tit.* I: 10.

(4) *Gal.* V: 10; conf. *Act.* XXVIII: 22.

(5) 1 *Cor.* X: 15 (*Ὡς φρονίμοις λέγω· κρίνατε ὑμεῖς ὅ φημι*), *Rom.* XI: 25, XII: 16, 1 *Cor.* IV, 10, 2 *Cor.* XI: 19; conff. *Matth.* VII: 24, X: 16, XXIV: 45, XXV: 2, 4, 8, 9 cll. *Luc.* XII: 42, XVI: 8.

(6) 1 *Cor.* XV: 36 cll. *Rom.* II: 20; vidd. etiam *Luc.* XI: 40, XII: 20.

(7) 2 *Cor.* XI: 16, 19, XII: 6, 11; *Eph.* V: 17; 1 *Petr.* II: 15 *ἄφρονες* homines sunt, *γνώσει* destituti.

σύνη stultitiam indicat (1). Cum hac *judicandi* facultate, *menti* propria, hic illic copulat PAULUS *sapientiam* (2), id est, eam virtutem, qua quis *mentis* acumen *judiciique* sollertiam rite dirigit, quaeque igitur etiam *voluntatem* rectam involvit; haec denique *sapientia τὴν φρόνησιν* parit (3).

---

(1) 2 *Cor.* XI: 1, 17, 21; conf. *Marc.* VII: 22.

(2) *Sapiens* ille dicitur, qui rite *judicare* atque ita res probe *perspicere* valet, et hoc ipsum ubique manifestat: qui semper φρόνιμος est 1 *Cor.* VI: 5; conf. *Eph.* V: 17 cll. vs. 15 sq. (ἄσοφοι, σοφοί, ἄφρονες, συνιέντες); — *Rom.* XI: 33 τὰ κρίματα referuntur ad *sapientiam* Dei, αἱ ὁδοί ad *cognitionem;* — *Rom.* XVI: 19 cll. 1 *Cor.* XIV: 20 θέλω δὲ ὑμᾶς σοφοὺς μὲν εἶναι εἰς τὸ ἀγαθόν (μὴ παιδία γίν. ταῖς φρεσίν, — ταῖς δὲ φρεσὶ τέλειοι γίν.), ἀκεραίους δὲ εἰς τὸ κακόν (ἀλλὰ τῇ κακίᾳ νηπιάζετε). Inde adjectiva φρόνιμος et σοφός inter se permutantur, et adjectivo μωρός opponuntur (1 *Cor.* I: 25, 27, III: 18 cll. IV: 10). Similis est vocis σοφία notio *Matth.* XI: 19 (vid. omnino MEY. in c. l. ad h. l.) cll. *Luc.* VII: 35, XXI: 15, *Act.* VI: 3, *Jac.* I: 5, III: 13 cll. vs. 15, 17. Interdum voces σοφία et σοφός strictiore sensu ad solam *cognitionis intelligentiaeve* ubertatem elegantiamque referuntur. (*Rom.* I: 14, 1 *Cor.* I: 19 cll. *Jes.* XXIX: 14, ib. vs. 17, 20 sqq., II: 1, 4 sqq. etc. cll. *Luc.* XI: 31, *Matth.* XI: 25 cll. *Luc.* X: 21). OLSHAUSENUS (in comm. l.: *De trich.*, p. 159) *sapientiam refert* ad τὰς φρένας, alibi (in c. l., ad *Eph.* I: 8) ad τὸν νοῦν, illamque cognitionis (γνώσεως) rectum usum esse censet. Res eodem redit, quia, ut jam satis expressimus, haec facultas illam complectitur, ut totum partem. Inde *Apoc.* XIII: 18 cll. XVII: 9 vox σοφία arcte cum voce νοῦς, *mentem mentisve* acumen indicante, conjungitur; quaenam hoc loco respiciatur *sapientia,* explicat ZÜLLIG, *Die Offenbarung* JOHANNIS, *vollständig erklärt*, 1834-1840, II, 2, p. 231, 319 cll. I, 1, p. 98, II, 2, p. 242 sq.

(3) *Eph.* I: 8. — Dictum: ἡ σοφία ἀνδρὶ τίκτει φρόνησιν occurrit *Prov.* X: 23 cll. I: 2, 1 *Reg.* IV: 29, *Dan.* I: 4, II, 21 *Job* XVII:

Cum mente *cogitante* atque *judicante*, et ita ad *cognitionem sapientiamque* veniente, arcte cohaeret *ἡ σύνεσις intellectus* (*συνετός intellectu* pollens, *ἀσύνετος* recto *intellectu* destitutus, *συνιέναι intelligere*), quo quis in id, de quo *cogitavit*, vel quod *cognovit*, sese *penitus* insinuat, vel de rebus excelsis suam sibi fingit *notionem*, qua *dirigitur*. Differt igitur eatenus ille *intellectus* a *mente*, *τῷ νοΐ*, quatenus non ad res sublimes *perscrutandas* atque *indagandas*, sed potius ad easdem firmiter *percipiendas* a PAULO refertur. Prouti hic Apostolus, ita reliqui, qui in N. F. dicentes scribentesque occurrunt, illam saepius celebrant facultatem, et cum *cogitandi* facultate conjungunt (1).

---

4 etc.. In *vers. Al.* haec vox legitur pro vocibus: בִּינָה *intelligentia*, *prudentia*, vel ut definit WINERUS (in *lex* l., in v.): „*facultas judicandi et eligendi ea, quae conducant, adeoque vitae recte instituendae ratio:*" — תְּבוּנָה *sollertia:* — הַשְׂכֵּל in Hiph. proprie *adspicere*, hinc *sapere*, *prudentem sese praestare*: — שֶׂכֶל *intelligentia*, *prudentia:* — חָכְמָה *sapientia:* — לֵב *Prov.* XIX: 8 *cor:* — מַדָּע (Chald. מַנְדַּע) *scientia.*

(1) *Rom.* I: 21 cll. vs. 31 (vidd. Cap. IV et VI), 2 *Tim.* II: 7, *Col.* I: 9, II: 2, *Eph.* V: 17; — *Rom.* III: 11 *συνιῶν* pro participio Hebraico מַשְׂכִּיל (*Ps.* XIV: 2 Sec. *vers. Al.*) *intelligens*, *prudens* invenitur; — *Rom*, XV: 21 verbum *συνήσουσι* occurrit et 1 *Cor.* I: 19 dictum: *τὴν σύνεσιν τῶν συνετῶν* (*ἀθετήσω*), *illic* pro verbo Hebraico הִתְבּוֹנָנוּ (*Jes.* LII: 15 sec. *vers. Al.* a בּוֹן *distinxit*, *distincte cognovit*, in Niph. *intelligens fuit*, *sapuit*, in Hithpal. *attendit*, *percepit*, *intelligens fuit*), *hîc* pro formula: בִּינַת נְבֹנָיו (*Jes.* XXIX: 14 sec. *vers. Al.*) *intellectus intelligentium ejus populi.* — OLSHAUSENUS (in comm. l.: *De trich.*, p. 158) contendit, voces *σύνεσις*, *συνιέναι* et *συνετός non solum distingui a* vocibus *νοῦς*, et *νοεῖν*, (*Marc.* VIII: 17), *sed ubique etiam disertis verbis ad χαρ-*

A *judicandi* illa facultate, de qua paullo superius egimus, ita distincta est *ἡ συνείδησις conscientia*, ut unice *scientia et judicio de rebus moralibus* polleat. Etenim hominis facta dictaque comitatur atque sequitur, et de horum veritate, de illorum probitate testimo-

---

διαν, facultatem *psychicam*, et ideo inferiorem, *revocari* (*Matth.* XIII: 13, XIV: 15, *Marc.* IX: 52, *Act.* XXVIII, 27), et inde dncit, *intellectum pertinere per se ad res inferiores et terrestres*, *in rebus* vero *divinis parum aestimari* (1 *Cor.* I: 19); deniqne opinatur, adjectivum *συνετός adhiberi de iis*, *qui prudenter agere videntur* (*Matth.* XI: 25, *Luc.* X: 21). Sed viri docti ratiocinatio non valet, si tenemus: occurrere etiam dictionem: *νοεῖν τῇ καρδίᾳ* (*Joh.* XII: 40, quam lectionem arbitrarie *emendandam* esse *credit* OLSH.): — exinde, quod *ἡ σύνεσις* et *τὸ συνιέναι* ad *cor*, cui excelsa hand raro assignatur notio (vid. infr.), revocantur, minime sequi, illis vocibus *inferiorem* designari vim: — ex ipsis iis, qnae citavimus, dictis perspici, facultatem, de qua disputamus, saepins, tamqnam sublimem, laudari, addito etiam adjectivo *πνευματικός*, qnod ipse OLSHAUSENUS diffiteri nequit (conff. insnper *Matth.* XIII: 13, 19, 23, 51, *Marc.* XII: 33, VIII: 17, — *Luc.* XXIV: 45 *διήνοιξεν αὐτῶν τ. νοῦν, τοῦ συνιέν. τ. γραφάς*): — de *τῇ σοφίᾳ*, quae arcte cum *τῇ συνέσει* cohaeret, perverse directa, band secus mentionem fieri in N. F. (1 *Cor.* I: 19 sqq., 26 sq., II: 1, 4 sqq., 2 *Cor.* I: 12, *Matth.* XI: 25, *Luc.* X: 21). — Alio loco (in c. l., ad *Matth.* X: 16) eadem ratione de vocibus *φρόνιμος* et *φρόνησις* loquitur OLSHAUSENUS, iis designari defendens: „*in der bibl. Anthr. Verstand, Verständigkeit, die sich in Berücksichtigung der Weltverhältnisse offenbart;*" ad *Luc.* I: 17 (in c. l.) tamen concedit idem, vocis *φρόνησις* notionem proxime accedere ad notionem vocis *σοφία*, adeo nt *illa* indicetur: „*die* בִּינָה *im edelsten Sinn;*" — ad *Eph.* I: 9 (in c. l.) tam *τὴν σύνεσιν*, quam *τὴν φρόνησιν* ad *τὰς φρένας*, qnas facultatem *psychicam* dicit, refert; — alibi vero (in comm. l.: *De trich.*, p. 159) totidem verbis recte enuntiat: „voces *φρόνησις* (*Luc.* I: 17), *φρόνιμος* (*Matth.* VII: 24, X: 16, XXIV: 45, XXV: 2 etc.) *fere semper de laudabili πνευματικῇ prudentia adhibentur, et φρονίμως*

nium exhibet (1); unicuique ostendere valet eadem facultas, qualia sint fuerintque ipsius studia, consilia, facta, uno verbo, conditio *moralis* universa (2). — Similiter in *epistola ad Hebraeos* et in *priore* PETRI **τῇ συνειδήσει** ea tribuitur vis, qua omnia, quae intus in homine sunt recondita, ipsi veluti *aperta* fiant, adeo ut quis probe sibi *conscius* esse possit, utrum sanctitatem perfectionemque sectetur, et hanc ob causam Deo acceptus sit, an malarum inaniumque rerum studio occupetur (3).

(*Luc.* XVI: 8) *idem fere est, quod* *νουνεχῶς* (*Marc.* XII: 34)." — BÄHRUS (*Commentar über den Brief* PAULI *an die Kolosser* etc., 1833) etiam putat, *Col.* I: 9 adjectivum *πνευματικῇ* ad vocem *συνέσει*, non ad vocem *σοφίᾳ* referendum esse, quia *sapientia* natura sua *spiritualis* sit, *intellectus* proprie in rebus *quotidianis* atque *mundanis* vigeat. Ab eadem sententia haud alienus est STEIGERUS (*Der Brief* PAULI *an die Kolosser*, 1835, ad h. l.); sed tale argumentum non valere, jam satis observavimus, et ostendit quoque HUTHERUS (in c. l., ad l. l.). — Conff. de vocibus *σύνεσις*, *συνετός*, *συνιέναι* STIRM, in comm. l., p. 51, BECK, *Umr. d. bibl. Seelenl.*, p. 59 sqq.

(1) *Rom.* II: 15, IX: 1; — conf. XIII: 5, ubi Apostolus dicit, non solum obediendum esse *magistratibus* (*ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις*, *τῇ ἐξουσίᾳ*, *τοῖς ἄρχουσι* vs. 1 sqq.) *διὰ τὴν ὀργήν* *propter* eorum *iram*, poenas provocantem, sed etiam *διὰ τὴν συνείδησιν*, ne *conscientia* contaminetur; etenim *magistratus* illi *divinitus* sunt instituti (vs. 1 sq., 4).

(2) 2 *Cor.* I: 12, 1 *Tim.* I: 19, III: 9, 2 *Tim.* I: 3 (vid. Cap. VI); conff. *Act.* XXIII: 1, XXIV: 16.

(3) *Hebr.* IX: 9, 14, X: 22, XIII: 18 (conf. BLEEK, in c. l., II, 2, p. 523, 550 sqq., 671, 1026); — 1 *Petr.* III: 16, cll. ib. vs. 21, ubi verba: *συνειδήσεως ἀγ. ἐπερώτημα εἰς Θεόν* optime cum WINERO (in op.: *Grammatik des neutest. Sprachidioms*, ed. V, 1844, p. 216 sq.) explicari videntur: „*die Nachfrage eines guten* (*zum Guten entschlossenen*) *Gewissens nach Gott d. h. das sich zu Gott Wen-*

Insuper homo *conscientiae* illius ope certo nosse potest, ex PAULI mente, utrum id, quod sibi proponit, bonum sit, an rejiciendum (1); denique per eandem de aliorum etiam hominum conditione vel laudanda, vel improbanda sententiam acquirit (2).

Ex hisce omnibus sequitur, *τῇ συνειδήσει* esse propriam *judicandi vim moralem*, latissimo sensu. A *judicandi facultate*, vulgo ita dicta, non solum eatenus differt ejus vis, quatenus unice in rebus versatur *moralibus*, sed etiam, quatenus *illa*, *data opera*, *judicium* instituit, *conscientia* tale *sponte* sua profert. Vel luculentissime hoc discrimen ob oculos ponitur verbis: *ἀλλ' οὐδὲ ἐμαυτὸν ἀνακρίνω* collatis iis, quae statim sequuntur: *οὐδὲν γὰρ ἐμαυτῷ σύνοιδα* (3).

Ab iis, de quibus disseruimus, hominis facultatibus, natura atque efficacitate satis differt *ἡ καρδία*, *cor animusve*, cui sensuum, affectuum incitationumque *sedem* vindicant PAULUS et reliqui N. F. auctores; dolorem nimirum illi assignant, tristiti-

---

den, das ihn Suchen (cll. 2 *Sam.* XI: 7 sec. *vers. Al.*);" — 1 *Petr.* II: 19 *διὰ συνείδ. Θεοῦ* esse videtur *propter conscientiam*, quam quis habet, *se Deum sincere colere*, prouti *Hebr.* X: 2 *συνείδ. ἁμαρτιῶν*, *conscientia*, quam quis habet, *se peccatis pollutum esse.*

(1) Utraque *conscientiae* actio, tam facta *praecedens*, quam eadem *consequens* invenitur 1 *Cor.* VIII: 7, ubi legimus: *ἡ συνείδ. αὐτῶν ἀσθενὴς οὖσα* (*praecedens*) *μολύνεται* (*consequens*); vidd. effata ib. vs. 10, 12, X: 25, 27 sq. cll. vs. 29 obvia, quorum sensum recte, nostro judicio, explicuit DE WETT., in c. l.

(2) 2 *Cor.* IV: 2, V: 11.

(3) 1 Cor. IV: 3, 4. Interdum tamen conscientia *κρίνειν* dicitur, e. g. 1 *Cor.* X: 29.

am (1), laetitiam (2), anxietatem (3), — amorem atque fervorem, quibus quis in aliorum commodum ducitur (4), — sensum porro illum, quo homo divinam benignitatem et gratiam experitur (5), — varias denique cupidines (6).

Ubi de *intimi* amoris sensu sermo fit, interdum vox *σπλάγχνα* legitur, proprie *viscera*, *intestina* denotans, — prouti etiam Hebraei voce רַחֲמִים de tenerrimis quibusque affectibus uti solent (7). — Ita Apostolus ONESIMUM *τὰ ἐμὰ σπλάγχνα* dicit, id est, illum, in quem omnis ipsius caritas erat collata, *corculum* suum, ut Latini dicunt (8). Non dissimili ratione eadem voce in *posteriore ad Corinthios epistola* utitur; in hac nempe primum amorem suum erga lectores profitetur scriptor hisce verbis: *dilatatum est cor nostrum*, latus in eo

---

(1) *Rom.* IX: 2, *Eph.* VI: 22, *Col.* II: 2, IV: 8, 2 *Thess.* II: 17 cll. *Act.* XX: 13; — conff. *Joh.* XIV: 1, 27, XVI: 6.

(2) In dictis *Eph.* V: 19, *Col.* III: 16 obviis vox *καρδία* laetitiae sensum indicat, ex animo grato orientem cll. *Act.* XIV: 17; — vidd. etiam *Joh.* XVI: 22, *Act.* II: 26, 46.

(3) 2 *Cor.* II: 4.

(4) 2 *Cor.* VII: 3, conff. *Act.* IV: 32, 1 *Petr.* I: 22. — De fervore, quo quis alios audiens abripitur, vox *καρδία* adhibetur *Luc.* XXIV: 32.

(5) *Rom.* V: 5.

(6) *Rom.* I: 24.

(7) De misericordia usurpatur ea vox *Prov.* XII: 10 (in *vers. Al.* vox *σπλάγχνα* legitur), de tenerrima caritate 1 *Reg.* III: 26 (in *vers. Al.* *μήτρα* invenitur), de Dei commiseratione gratiaque *Gen.* XLIII: 14 (sec. *vers. Al.* *χάρις*); conf. *Luc.* I: 78, ubi dictio: *διὰ σπλ. ἐλέους Θεοῦ* expressa est.

(8) *Philem.* vs. 12; conf. HAGENB., in c. l., ad h. l.

vobis concessus est locus (1), et jam addit, eandem imaginem ulterius persequens: *non coarctamini*, non angusto spatio premimini *in nobis* (in *cordibus nostris*), *sed coarctamini ἐν τοῖς σπλάγχνοις ὑμῶν*, ita ut nos intimo *amore* in iis suscipi nequeamus (2). Idem vel similis hujus vocis usus plus semel recurrit (3), praeterea recreationis sensus eâdem significatur (4).

Quia PAULUS varios sensus ad **τὴν καρδίαν** referre solet, facile intelligi potest causa, cur ille, — quod de reliquis N. F. scriptoribus quoque observandum est, — eidem id tribuat, quod quis *enixe strenueque* facit (**ἐκ καρδίας**) (5), vel ipsa etiam recondita *incitamenta principiaque*, quibus homines in iis, quae agunt, ducuntur; ideo dicit, Deum *investigare*, *explorare* **τὰς καρδίας**, quia ille internas rationes, ex quibus quis proficisci solet, perspectas habet (6); ideo de **τοῖς**

---

(1) 2 *Cor.* VI: 11. Recte nobis MEYERUS (in c. l.), ratione habita eorum, quae praecedunt (vs. 3—10), hunc versum interpretari videtur: „*Wir haben offen zu euch geredet, Korinther, und unser Herz ist dabei recht liebeweit gegen euch geworden.*"

(2) Ib. vs. 12; conf. 1 *Joh.* III: 17.

(3) *Phil.* I: 8 dictio *ἐν σπλάγχνοις Ἰησοῦ Χριστοῦ* valet: *in visceribus*, id est, in amore, qualem hisce in terris habuit JESUS CHRISTUS; *Phil.* II: 1 vox *οἰκτιρμοί* additur, quia haec magis definite *misericordiam* erga afflictos, vox *σπλάγχνα caritatem* universe indicat coll. *Col.* III: 12 cll. *Jac.* V: 11, *Prov.* XII l. l.; vid. v. cl. HENG., in c. l., ad ll. ll. ex *ep. ad Phil.*

(4) *Philem.* vs. 7, 20; conf. HAGENB., in c. l., ad ll. ll. — Vidd. etiam ea, quae de voce *σπλάγχνα* disputavit STIRM, in comm. l., p. 56.

(5) *Rom.* VI: 17 cll. *Eph.* V: 19, *Col.* III: 16 (*λαλεῖν* variis carminibus *ἐν τῇ καρδίᾳ τῷ κυρίῳ*, - *ᾄδειν ἐν ταῖς καρδίαις τῷ Θεῷ*) vid. p. 132, not. 1; conf. 1 *Petr.* I: 21.

(6) *Rom.* VIII: 27, 1 *Thess.* II: 4 cll. *Eph.* VI: 5, *Phil.*

κρυπτοῖς τῆς καρδίας loquitur (1), vel *de legis opere*, hominum probe agentium *cordi inscripto* (2); ideo dictionem adhibet: *gloriari ἐν προςώπῳ καὶ οὐ καρδίᾳ*, qua eos perstringit noster, qui aliud *in facie* promptum, aliud *in corde* clausum habent (3).

Causa, cur Apostolus Corinthios, quatenus *Christiani* erant, *ἐπιστολήν* dicat *ἐγγεγραμμένην ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν*, praesto est (4); etenim spectat sincerum illud *studium* strenuamque *curam*, quibus iis CHRISTUM praedicaverat, et quae indelebili *scriptura* veluti in suo *corde* insculpta erant. *Cognoscebatur atque legebatur* haec *epistola*, ut in subsequentibus expressum est, *ab omnibus hominibus*, non quatenus in Apostoli *corde* erat, sed quatenus omnes ex ecclesiae Christianae in Corinthiorum urbe praesentia illud *studium* illamque *curam* ob oculos habebant. Cum eandem *epistolam administratam ὑφ' ἡμῶν* dicit, et *ἐγγεγραμμένην non atramento, sed spiritu Dei vivi, non ἐν πλαξὶ λιθίναις, ἀλλ' ἐν πλαξὶ καρδίας σαρκίναις* (5), depingit veluti, religionem Christianam in Corinthiorum *cordibus*

IV: 7, 1 *Thess.* III: 13; — porro de *corde*, principiorum incitamentorumque *sede* vidd. *Matth.* V: 8, XI: 29, XII: 34 sq. cll. *Luc.* VI: 45, XVI: 15, *Joh.* XIII: 2, *Act.* V: 3 sq., VII: 51, VIII: 21, XV: 9, *Hebr.* III: 10, 12, VIII: 10: X: 16, 22, XIII: 9, *Jac.* IV: 8, V: 8, 1 *Petr.* III: 4, 15, *Apoc.* II: 23; conff. prae caeteris *Matth.* XV: 18 sqq. cll. *Marc.* VII: 19 sqq.

(1) 1 *Cor.* XIV: 25.

(2) *Rom.* II: 15.

(3) 2 *Cor.* V: 12.

(4) Ib. III: 2.

(5) Ib. vs. 3.

exstitisse et continuo vigere, Dei *spiritu* ipso adjutore, quia autem de hocce *spiritu* loquitur, consulto, ut in Capite X videbimus, hîc voce *καρδία* utitur.

Ex iis, quae supra attulimus, apparet ad *τὴν καρδίαν* tales sensus affectusque referri, quales etiam *τῇ ψυχῇ* assignantur (1). Permutatio haecce ducenda est ex Hebraeorum sententia, *animam* praecipue in *corde* residere (2). Affinem in nonnullis locis hujus illiusque esse notionem, exinde clare effici potest, quod in *versione Alexandrina* vox לֵב (לֵבָב) interdum voce *ψυχή* reddita est (3).

Utramque vocem vel sic tamen saepe vi differre satis patebit, si observatur, omnino legi dictiones: *σώζειν τὰς ψυχάς, ψυχήν* (4), — non *τὰς καρδίας, καρδίαν,* — *σωτηρία ψυχῶν, περιποίησις ψυχῆς* (5), — non *καρδιῶν, καρδίας*, et vicissim: *ἐσκοτίσθη* (6), *πεπωρωμένη ἦν* (7), *ἐπαχύνθη ἡ καρδία* (8), — non *ἡ ψυχή* atque *βραδὺς τῇ καρδίᾳ* (9), — non *τῇ ψυχῇ*.

---

(1) Conf. p. 84 sq., 91.

(2) Ita *fulcire cor Jud.* XIX: 5 est cibo se recreare, reficere *animum;* conff. OLSH., in comm. l.: *De trich.*, p. 155, WIN., in *lex.* l., in v.

(3) 1 *Chron.* XII: 38, *Prov.* VI: 21, *Jes.* XXIV: 7 etc.

(4) *Jac.* I: 21, V: 20.

(5) 1 *Petr.* I: 9, *Hebr.* X: 39.

(6) *Rom.* I: 21.

(7) *Eph.* IV: 18 (*πώρωσις τ. κ.*), *Marc.* VI: 52, VIII: 17 (*πεπωρωμένην ἔχειν τ. κ.*) etc.

(8) *Act.* XXVIII: 27 cll. *Matth.* XIII: 15 (*Jes.* VI: 10 sec. *vers. Al.*)

(9) *Luc.* XXIV: 25; conff. *Matth.* XIX: 8, *Marc.* X: 5, XVI: 14 (*σκληροκαρδία*). — Hic usus ansam praebet OLSHAUSENO (in comm.

Denique PAULUS interdum ad *cor* illud revocat, quod *cogitandi*, *cognoscendi*, *judicandique* facultatem spectat. Commemorat e. g. ille *ἀσύνετον καρδίαν* (1), et quidem, ut in cap. IV et VI videbimus, non prae negligentia, sed de industria eas voces tali modo conjungit; vel de *τῷ κρίνειν ἐν τῇ καρδίᾳ* loquitur, quia firmum spectat *principium* (*ἑδραῖος ἐν τῇ καρδίᾳ*), quod *judicando* de unius rei probitate prae altera constituit homo (2). Ubi idem Apostolus in *epistola ad Ephesios πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς καρδίας* laudat (3), et ubi in aliis quoque dictis facultati, de qua agimus, similem assignat ditionem, semper apta inveniri potest causa, ut infra hîc illic exponemus, cur hoc faciat. Arctissime denique cum *corde*, ex PAULI mente, cohaeret *conscientia* (4).

Usus ille, quo tam late patet vocis *καρδία* notio, ex V. F. repetendus est; in hoc enim ad לֵב (לֵבָב) omnes omnino referuntur *facultates* (5); idcirco in *versione Alexandrina* illa plus semel reddita est vocibus *νοῦς*, *φρένες*, semel etiam voce *φρόνησις* (6). Eun-

---

l.: *De trich.*, p. 155) distinctionem hancce inter voces *ψυχή* et *καρδία* instituendi: „*ut illa significet hominis vitam inferiorem, quatenus viget et exsistit*, haec, *quatenus sentit et agitur et movetur, duce spiritu vel carne*."

(1) *Rom.* I: 21.

(2) 1 *Cor.* VII: 37.

(3) *Eph.* I: 18.

(4) *Rom.* II: 15; vid. Cap. III.

(5) Conf. CAR., in op. l., p. 43 sqq., qui egregie hujus vocis notionem explicat.

(6) *Ex.* VII: 23, *Jos.* XIV: 7, *Job.* VII: 17, *Jes.* X: 12, XLI: 22; — *Jes.* X: 7 vox לֵבָב priore vice transfertur in *vers. Al.* voce

dem usum *pseudo*-SALOMO (1) et praecipue JESUS SIRACIDES sequuntur (2); denique in N. F. luculentissime prodit idem, prouti effici potest ex formulis: *συνιέναι*, *νοεῖν τῇ καρδίᾳ* (3), *διαλογίζεσθαι ἐν ταῖς καρδίαις* (4), *καρδιῶν διαλογισμοί* (5), *τίθεσθαι ἐν τῇ καρδίᾳ*, *εἰς τὰς καρδίας* (6), *ἡ ἐπίνοια τῆς καρδίας* (7), *ἔννοιαι καρδίας* (8). A JOHANNE *conscientia* dicitur *καρδία* (9). Observandum tamen est, in euangeliis haud raro de *τῇ καρδίᾳ* tali ratione mentionem fieri, cum de hominibus minus perfectis vel perversis sermo est (10).

Causa illius usus etiam explicari potest ex Hebraeorum cogitandi ratione, qua *cor* tam hominis *corporei*, quam *invisibilis* esse *centrum* existimabant. Prouti nimirum ex *corde sanguinem* profluere et per omnia membra sese repandere arbitrati sunt, ita quoque *illud*

ψυχή, posteriore vice voce *νοῦς*; caeterum vidd. ea, quae attulimus p. 125, not. 3, 127 sq., not. 3.

(1) Ab hoc scriptore II: 2 *ratio* (*ὁ λόγος*) dicitur *scintilla*, cito evanescens, *in motu cordis nostri;* conf. GAAB, in c. 1, ad h. l.; VIII: 17 formula: *φροντίζειν* (*meditari*) *ἐν καρδίᾳ* legitur etc.

(2) XVII: 8; — vidd. etiam III: 29, XVI: 20, 23, ubi voces *συνετός* et *διανοεῖσθαι* cum voce *καρδία* conjunguntur; — XLV: 26, L: 27 *σοφία* assignatur *τῇ καρδίᾳ* etc.

(3) Vid. p. 128 sq.

(4) *Marc.* II: 6 cll. *Luc.* III: 15, V: 22.

(5) *Luc.* II: 35.

(6) Ib. I: 66, XXI: 14.

(7) *Act.* VIII: 22, *Luc.* I: 51.

(8) *Hebr.* IV: 12.

(9) III: 20 cll. vs. 19, 21.

(10) Conf. Cap. X.

esse *animae sedem* primariam omniumque facultatum *focum* statuerunt (1). Hoc placitum omnes, qui in N. F. dicentes scribentesve occurrunt, sponte assumserunt, ne PAULO quidem excepto, quamquam hic multo rarius et *distinctiore* modo *cogitandi*, *cognoscendi judicandique* vires cum *τῇ καρδίᾳ* conjungere consuevit.

Vox *θυμός*, quae apud *Scriptores profanos* saepius incitationum, affectuum cupidinumque *sedem* designat (2), hac ratione neque in PAULI epistolis (3),

---

(1) Inde formula explicanda est: *omni corde tuo omnique anima tua*, plus semel in V. F. obvia (p. 88, not. 2); — *Deut.* VI: 5 additur: *et omni vehementia, contentione tua*, conf. *Matth.* XXII: 37, ubi ea formula ita expressa est: *ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ σου*; *Marc.* XII: 30 legimus: *ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου κτλ.*, et adjungitur dictio: *καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου.* Ibidem vs. 33 eadem verba alio ordine recurrunt, et pro voce *διάνοια* vox *σύνεσις* usurpatur; *Luc.* X: 27 expressum est dictum: *ἐξ ὅλ. τ. κ. σ., κ. ἐξ ὅλ. τ. ψ. σ., κ. ἐξ ὅλ. τ. ἰσχ. σ., κ. ἐξ ὅλ. τ. δ. σ.* Indicant talia effata, Deum ab homine ita amari atque coli debere, ut hic *omnes suas vires*, easque internas, Illi consecret, vel accuratius, ut *vim*, qua *vivit*, *eam*, qua *sentit* et *cogitat* atque *cognoscit*, Illi devoveat, atque hoc faciat *enixe*, *continuo* atque *summo cum studio.* De *spiritu* nulla fit mentio, quia ille ea est *ἐνέργεια*, qua *totus* homo sese ad supremum Numen *erigere* valet.

(2) Conf. PAP., in lex. l., in v.

(3) Interdum in singulari ponitur *Rom.* II: 8 (*θυμὸς καὶ ὀργή*), *Eph.* IV: 31 cll. *Col.* III: 8, vel in plurali, ita 2 *Cor.* XII: 20 (*ἔρεις, ζῆλοι, θυμοί, ἐριθεῖαι κτλ.*), Gal. V: 20 (*ἔχθραι, ἔρεις, ζῆλ., θυμ. κτλ.*); in reliquo N. F. in sing. inveniri solet, *Luc.* IV: 28, *Act.* XIX: 28, *Hebr.* XI: 27, *Apoc.* XII: 12, XIV: 8 etc.; conff. etiam *Matth.* II: 16 (*θυμοῦσθαι excandescere*), *Act.* XII: 20 (*θυμομαχεῖν animo pugnare, ira ardere*). FRITZSCHIO (in c. l., I, p. 105 sq.) judice, inter *τὸν θυμόν* et *τὴν ὀργήν* hoc interest, ut Ille sit

neque in reliquo N. F. occurrit, sed eadem ratione, qua saepissime in *versione Alexandrina*, *excandescentiam* denotat (1). Praeterea adhibentur in illis scriptis voces: *ἐπιθυμία cupido*, *vel* bona atque naturalis (2), *vel* mala (3): — *προθυμία animi promptitudo, proclivitas* (4) (*πρόθυμος animo promptus*, *proclivis*) (5): — *ἐνθύμησις cogitatio animo ficta* aliaeque (6).

Paucis nobis etiam disquirendum est, quatenus Apostolus *liberam* hominis laudaverit *voluntatem*. Dif-

---

ira, quae continuo effervescat, neque ita multo post defervescat, haec *indignatio, quae paullatim orta in animo insidat eumque diutius exulceret.*

(1) Pro vocibus Hebraicis אַף, חֵמָה, חָרוֹן aliis, conff. *Gen.* XLIX: 6, *Prov.* XVI: 1, *Ps.* II: 5 etc.. — *Prov.* XXIX: 11 vox *θυμός* pro voce רוּחַ legitur, et cogitationum affectuumque *sedem* significat; 2 *Macc.* VII: 21 formula: *ἄρσενι θυμῷ*, *animo virili* occurrit. Alibi in *libris Apocryphis* voce *θυμός ardor*, *excandescentia*, *appetitus vehemens* indicantur (2 *Macc.* XIII: 4, *Sap. Sal.* VII: 20); *Jes. Sir.* XLV: 19 legitur dictio: *ὀργὴ θυμοῦ* (*ira excandescentiae*) cll. I: 22, XXVI: 15 etc.

(2) Conf. p. s. 32; — *Phil.* I: 23, 1 *Thess.* II: 17. Eodem modo verbum *ἐπιθυμεῖν* adhibetur 1 *Tim.* III: 1; conff. *Matth.* XIII: 17, *Luc.* XVI: 21, cll. XV: 16, XVII: 22, XXII: 15, *Hebr.* VI: 11, 1 *Petr.* I: 12, *Apoc.* IX: 6.

(3) Vid. Cap. VI.

(4) 2 *Cor.* VIII: 11, 12, 19, IX: 2; conf. *Act.* XVII: 11.

(5) *Rom.* I: 15; conff. *Matth.* XXVI: 41, *Marc.* XIV: 38.

(6) *Act.* XVII: 29; conff. *Matth.* IX: 4, XII: 25, *Hebr.* IV: 12 (vid. BLEEK, in c. l., II, 1, p. 583). Non dissimili ratione verbum *ἐνθυμεῖσθαι* usurpatur *Matth.* I: 20, IX: 4, *Act.* X: 19 (*ἐνθυμουμένου* vel *διενθ.*). — Ea, quae voces *καρδία* atque *θυμός* spectant, exposuere BECK, *Die christl. Lehrw.*, p. 223 sqq., *Umr. d. bibl. Seelenl.*, p. 63 sqq., p. 87 sqq. cll. p. 57 sq., STIRM, in comm. l., p. 33 sqq.

ficile vero est, talem disquisitionem hoc loco instituere, quia ille numquam, data opera, de talis disquirit facultatis ortu, indole atque conjunctione cum aliis viribus affectibusque variis, prouti facere solent philosophi (1), sed potius eam adesse sumit, ejusdemque explicationem ob oculos ponit, *vel* perversam, quae adest, cum homo peccato indulget, *vel* rectam, qua in dies magis magisque vera fit *libertas*, si quis CHRISTI *spiritu* est illustratus. Paucissima igitur nunc observare sufficiat, reliqua aptiore loco tractabimus.

In *epistola ad Romanos* celebrat noster hominis *voluntatem* (τὸ θέλειν, τὸ συνήδεσθαι), cum *excelsiore* ejus *natura* arctissime conjunctam, qua quis ad id, quod bonum sanctumque est, adspirat, et id strenue *appetit*, sed *peccati* vi impeditur, quominus conditionem, quam appetit, acquirat (2). Exinde autem liquet, hominem, nisi tale quid, quod ab ejus *natura* abhorret, irrepserit, illud, in quod summo *studio* fertur, exsequi posse.

Verbo (θέλειν, θέλημα), quod h. l. adhibet PAULUS, in aliis quoque sententiis utitur de *appetendo*, *libenter prompteve volendo*, *sive* in bonam, *sive* in ma-

(1) Ita DAUBIUS, (in op. l., p. 322 sqq.), LINDEMANNUS (in op. l., Abth. I, p. 207 sqq. cll. p. 21 etc.), CARUS in (op.: *Psyche. Zur Entwicklungsgeschichte der Seele*, 1846, p. 355 sqq.) alii. Libertas *volendi*, tamquam facultas (*eligendi*), *diserte* laudatur *Deut.* XXX: 15 sqq., 1 *Sam.* XII: 14 sqq., *Jes. Sir.* XV: 14 sqq., *Matth.* VII: 13 sq. cll. *Luc.* XIII: 24; *Joh.* VI: 67 sqq. cll. vs. 66; conf. STIRM, in comm. l., p. 66 sqq.

(2) *Rom.* VII: 15 sq., vs. 18 sqq., vs. 22; conf. Cap. VI. Talis etiam est vis dicti *Gal.* V: 17 obvii, quod tamen non homines sub lege versantes, prouti *Rom.* VII ll. ll., sed Christianos spectat; conf. Cap. X.

lam partem (1). — Dictionem *ἐξουσίαν ἔχειν περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος* ipse scriptor explicat formula: *μὴ ἔχειν ἀνάγκην* (2).

Verbum *βούλεσθαι* (*βουλή*, *βούλημα*) a *τῷ θέλειν* eatenus hic illic differre videtur, quatenus illud *voluntatem* indicat, quae, postquam *mens rationes iniit*, exstitit (3), vel, quae magis directe *actionem* spectat, dum verbum *θέλειν velle in universum* significat, vel *lubenter velle* (4).

---

(1) *Rom.* XIII: 3, 1 *Cor.* VII: 7, 32, 36, 39, *Gal.* I: 7, III: 2, *Col.* II: 18, 1 *Thess.* II: 18 cll. vs. 17, 2 *Thess.* III: 10, 1 *Tim.* I: 7, V: 11 etc.; — 2 *Cor.* VIII: 10 *τὸ ποιῆσαι* significare videtur id, quod hactenus *fecerant* Corinthii (vs. 6 sqq. cll. vs. 1 sqq.), *τὸ θέλειν* id, quod jam *antea* (*ἀπὸ πέρυσι*) *lubenter velle inceperant*, et ad hunc usque diem *lubenter volebant*, nondum vero *peregerant*. Ita satis explicatur, cur PAULUS primum aoristo tempore (*τὸ ποιῆσαι*), tum praesenti utatur (*τὸ θέλειν*), et ita etiam haec sectio egregie cum sequente cohaeret: *Nunc etiam perficite τὸ ποιῆσαι*, id est, efficite, ut *parata* illa *voluntas* evadat *res peracta*, *quo facto*, *prouti animus ad volendum promptus* est (*ἡ προθυμία τοῦ θέλειν*), *sic quoque peractio* (*τὸ ἐπιτελέσαι*) adsit *ex possessione* vestra (*ἐκ τοῦ ἔχειν*); conf. omnino MEY., in c. l., ad h. l.

(2) 1 *Cor.* VII: 37.

(3) 2 *Cor.* I: 15 legimus: *Καὶ ταύτῃ τῇ πεποιθήσει ἐβουλόμην κτλ.* cll. vs. 17, ubi haec inveniuntur: *τοῦτο οὖν βουλευόμενος* (*βουλόμενος*) *κτλ.* — *ἢ ἃ βουλεύομαι, κατὰ σάρκα βουλεύομαι κτλ.*

(4) Ubi e. g. Apostolus de Deo dictione utitur: *κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ* (*Eph.* I: 11), vox *βουλή* rationem indicat, qua supremum Numen *τὸ θέλημα* exsequitur, Dei *decretum*; — *Rom.* IX. 19 vox *βούλημα* expressa esse videtur, quia hac definitius ob oculos ponitur id, quod Deo erga homines agere *placet* (*θέλει* vs. 18). Alibi de Dei *voluntate* voces *θέλειν velle*, *placere*, *θέλημα voluntas*, *placitum* saepissime occurrunt; — 1 *Cor.* XII: 11 verbum *βούλεσθαι* legitur, quia dictio: *διαιροῦν* (*πνεῦμα*) *ἰδίᾳ ἑκάστῳ*, *di-*

In *versione Alexandrina* talem quoque adesse distinctionem, exinde perspicitur, quod vox עֵצָה *consilium*, *voluntas*, *decretum* in multis dictis redditur voce *βουλή* (1), in *Jobi libro* voce *ἔργον* (2), verbum יָעַץ *consuluit*, *consilium iniit*, *decrevit*, plurimum quidem verbo *βουλεύειν*, *βουλεύεσθαι*, sed etiam hic illic verbo *βούλεσθαι* (4).

Saepius vero difficillimum est definire, qnale in illa *versione* inter voces *θέλειν*, *θέλημα*, *βούλεσθαι*, *βουλή* positum sit discrimen, et num constanter hoc teneatur (5).

---

rectam actionem indicans, praecedit; vs. 18, ubi simpliciter de eo, quod Deo, optimis ducto consiliis, *placet*, sermo est, verbum *θέλειν* adhibetur; *Philem.* vs. 13 *ἐβουλόμην decretum* indicat, a PAULO prius sumtum, vs. 14 *ἠθέλησα* benevolam amoris significationem, qua motus Apostolus nil, PHILEMONE inscito, facere voluit; 1 *Tim.* II: 8, V: 14, *Tit.* III: 8 verbo *βούλεσθαι* utl videtur scriptor, quia *decernit jubetve;* — 1 *Tim.* VI: 9 idem tamen verbum de vehementi appetitu usurpatur; — *Phil.* I: 12 formula: *Γινώσκειν ὑμᾶς βούλομαι*, occurrit pro trita dictione: *οὐ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν Rom.* I: 13, XI: 25 etc.

(1) 2 *Sam.* XV: 31, *Jes.* V: 19, *Jer.* XVIII: 18 etc.; vel *συμβουλία* 2 *Chron.* XXV: 16 etc.

(2) *Job* XXI: 16.

(3) 2 *Sam.* XVII: 7, *Mich.* VI: 5, *Hab.* II: 10, *Neh.* VI: 7 (nbi Niph. legitur), *Ps.* LXXXIII: 4 (Hithp.) etc. *Part.* יוֹעֵץ *σύμβουλος* redditur 2 *Chron.* XXV: 16, *Jes.* I: 26 etc.

(4) 2 *Chron.* XXV: 16, *Prov.* XII: 20.

(5) *Gen.* XXIV: 5 תֹאבֶה redditum est (*μή ποτε οὐ*) *βούληται*, ib. vs. 8 (*ἐὰν μή*) *θέλῃ*; *Deut.* XXV: 7 יַחְפֹּץ priore vice transfertur (*ἐὰν μή*) *βούληται*, (cll. vs. 8) posteriore vice pro אָבָה invenitur *θέλει*, pro מֵאֵן (in Pih. *renuit*) ibidem *οὐκ ἠθέλησεν*; eadem ratione haec verba Hebraica alibi reddnntur verbis *βούλεσθαι*, *θέλειν*, *οὐ*, *μή βούλεσθαι*, *θέλειν* etc.

In *libris Apocryphis* eaedem voces interdum a se invicem discedunt (1), in N. F. reliquo perspicue idem observatur discrimen (2).

Prouti τὸ *βούλεσθαι voluntatem* plus semel ab ea proponit parte, qua ex *mente*, *rationes ineunte*, progressa est illa, ita quoque verba, quibus proprie *men-*

---

(1) *Sap. Sal.* VI: 4, *Tob.* IV: 19, *Jes. Sir.* XXXVII: 7, 10, 16 etc. vox *βουλή decretum consiliumve* indicat: voces vero *θέλημα*, *θέλειν* indefinite de eo, quod *placet lubetve*, *de placito* inveniuntur, conff. *Sap. Sal.* XI: 26, XII: 18, *Jes. Sir.* VIII: 15, 1 *Macc.* III: 60. Verbum *βούλεσθαι* de *propositis decretisve sumtis* occurrit 1 *Macc.* III: 34, VII: 30; — 2 *Macc.* I: 3 dictio: *ψυχῇ βουλομένῃ*, expressa videtur, ut *animus* designetur, qui *certo decrevit* Dei *θελήματα* facere.

(2) *Matth.* I: 19 verbum *βούλεσθαι* JOSEPHI *decretum* ob oculos ponit, ibidem verbo *θέλειν* significatur id, quod prae amore erga MARIAM facere voluit ille. Alibi eatenus talis distinctionis tenaces sunt ii, qui in N. F. dicentes scribentesque occurrunt, quatenus verbum *βούλεσθαι certum definitumque decretum consiliumve* denotat, vel *directe actionem* spectat (*Luc.* XXII: 42, *Act.* XII: 4, XVII: 20, XVIII: 15, 27, *Hebr.* VI: 17, *Jac.* I: 18, III: 4, IV: 4), *θέλειν* vero id, quod quis *lubenter vult appetitve* exprimit (*Luc.* X: 24, 29, XXII: 9, *Act.* X: 10, XVII: 18, 20, XIX: 33, *Hebr.* X: 5, 8, *Jac.* II: 20, IV: 15 etc.). In multis tamen dictis, cum inter se conferuntur, ejusmodi distinctio non detegi potest (*Matth.* XXVII: 15, 17, 21, *Marc.* XV: 9, 12 cll. vs. 15 et *Joh.* XVIII: 39, 2 *Petr.* III: 9 cll. 1 *Tim.* II: 4, 2 *Joh.* 12 cll. 3 *Joh.* 13); — 3 *Joh.* 10 participium *τοὺς βουλομένους immediate* ad *actionem* refertur. LUCAS voce *βουλή* uti solet de Dei hominisve *decreto consiliove*, circa *personam* vel *rem* versante, vocibus *θέλημα*, *θέλειν* indefinite de *voluntate placitove*, tam in dictis, quae ipse profert, quam in iis, quae aliis tribuit (*Luc.* VII: 30, XXIII: 51, *Act.* XXVII: 12, 42, II: 23, IV: 28, V: 38, XIII: 36, XX: 27 cll. *Luc.* XII: 47, XIII: 25, *Act.* XVIII: 21, XXI: 14 etc).

tis actiones significantur, ad eandem transferuntur facultatem. Similem usum jam supra, de vocibus **νοῦς**, **νόημα**, **σοφία**, **σύνεσις** agentes, observavimus (1). Hisce nunc addendum est verbum **φρονεῖν**, quod saepissime non *cogitare* vel *judicare* valet (2), sed in lucem protrahit, quod quis continuo *meditatur*, et quod idcirco *voluntatem* dirigit; significat igitur, si hocce fit, *studere*, prouti **φρόνημα** *studium* (3). Idem

---

(1) P. 120 sqq., 127 sq.

(2) P. 126.

(3) Clarissime hoc effici potest ex *Rom.* XIV: 5, 6, nbi legimus: *Alter diem prae die judicat* (*κρίνει*), id est, diem diei praefert, *alter unumquemque diem* diem esse (eodem redire) *judicat* (conf. KREHL, in c. l., ad h. l., qui rite hanc interpretationem defendit contra FRITZSCHIUM, in c. l., III, p. 169 sqq.); in subsequentibus verbum *φρονεῖν* obvium est, qnia illud *judicium* in *voluntatem actionemque* vim exercuisse cogitatur: *qui diei studio tenetur* (ὁ φρονῶν τ. ἡμ.), in *Domini* bonorem (*Domino*) *studio* tali *tenetur*. *Rom.* XII: 3 (cll. vs. 16, XI: 20) lectores admonet PAULUS, ne *superbum de semetipsis foveant judicium studiumque*, et quidem *ultra modum*, *quo* illud *studium judiciumque habere deceat* (*μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν*), *sed* ut *judicium studiumque de se* tale *habeant*, quale *in rectum* submissumve *de se judicium studiumque cedat* (*ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν*. Conf. omnino KREHL., in c. l., ad h. l.) Similiter vox *ταπεινοφροσύνη* de iis adbibetur, qui *submissum de se* habent *judicium studiumque Eph.* IV: 2, *Phil.* II: 3, *Col.* II: 18, 23, III: 12 cll. *Act.* XX: 19; — vid. etiam 1 *Petr.* V: 5. Formula: *τὸ ἕν*, *τὸ αὐτὸ φρονεῖν*, de hominibus, qui uno mutui amoris *studio* ducuntur, plus semel expressa est (*Rom.* XV: 5, 2 *Cor.* XIII: 11, *Phil.* II: 2, IV: 2). Caeterum de notione verbi *φρονεῖν*, qua simpliciter *studere* indicat, videantur dicta 1 *Cor.* XIII: 11, *Phil.* II: 5, III: 15 inveniunda; alia effata postea citabimus. Eadem ratione verbum *φρονεῖν* legitur *Matth.* XVI: 23 cll. *Marc.* VIII: 33.

quadrat in verbum *δοκιμάζειν*, quod, ut vidimus (1), proprie *explorare* et *probare* denotat, sed in nonnullis etiam effatis *vim*, quam *mens judicans* in *voluntatem actionemque* exercet, significat, adeo ut quis secundum id, quod *exploraverit probaveritve*, *sese componat* (2).

Magnam esse *cordis* vim in voluntatem, neminem, ad ea, quae jam disputavimus, attendentem, fugiet; quî enim *appetitus*, quî *strenua lubensque volendi actio*, quî *studium* vel ullum sine illius facultatis efficacitate, quae *cupidinum affectuum incitationumque sedes* est, exsistere possit? Sed etiam, si ad nonnulla verba nonnullasque dictiones oculos convertimus, clarissime illud apparet. In memoriam hîc revocamus, quae de *τῷ θέλειν* vidimus. Luculentiora insuper exempla afferri possunt; in *posteriore ad Corinthios epistola* e. g. *αὐθαίρετος* semel iterumque de eo dicitur, qui *libero cordis impulsu* ductus aliis succurrit (3); alibi dictum: *προαιρεῖσθαι τῇ καρδίᾳ*, significat *eligere*, *destinare corde*, idque prorsus lubenter, *μὴ ἐκ λύπης ἢ ἐξ ἀνάγκης* (4).

---

(1) P. 125.

(2) *Rom.* XII: 2, *Eph.* V: 10. V. cl. HENGELIUS (in op. per.: *Bijdragen tot bevordering van bijb. uitlegkunde*, III, 2, 1844, in comm.: *Verklaring der woorden van* PAULUS 1 *Cor.* XI: 28 etc., p. 318 sqq. cll. p. 322 sqq.) satis probavit, in hisce dictis *δοκιμάζειν* esse: „*als eene beproefde zaak voordoen of kenmerken (in het leven),*" in effatis 1 *Cor.* XVI: 3, 1 *Cor.* XI, 28, 2 *Cor.* XIII: 5 obviis: „*iemand (zich zelven) als beproefd voordoen of kenmerken.*"

(3) 2 *Cor.* VIII: 3, 17.

(4) 2 *Cor.* IX: 7.

Saepius etiam noster verbo *εὐδοκεῖν* (*εὐδ. ποιεῖν τι*, *εὐδ. ἔν τινι*) utitur de eo, quod Deo hominive *placet*, quod hic vel Ille facere *vult*, vel quo uterque *delectatur*, adjuncta haud raro significatione *lubenter volendi* (1). Eadem ratione adhibet PAULUS interdum substantivum *εὐδοκία* de *delectatione*, *dulcedine* (2), saepius de *propensa promptaque voluntate* atque *benevolentia* (3). Ipsa igitur verbi atque substantivi notio satis superque ostendit, de *voluntate* cogitandum esse, ex *corde* progressâ; quae sententia confirmatur dictione: *ἡ εὐδοκία τῆς ἐμῆς καρδίας* (4). Denique de *ταῖς βουλαῖς τῶν καρδιῶν* in *priore ad Corinthios epistola* mentio fit a scriptore, id est, de *decretis consiliisve*, ex humani *cordis* incitamentis atque principiis ortis (5).

---

(1) *Rom.* XV: 26 sq., 1 *Cor.* I: 21, 2 *Cor.* V: 8, *Gal.* I: 15, *Col.* I: 19, 1 *Thess.* II: 8, III: 1, — 1 *Cor.* X: 5, 2 *Cor.* XII: 10, conff. *Luc.* XII: 32, — *Matth.* III: 17, XVII: 5 cll. *Marc.* I: 11, *Luc.* III: 22. Caeterum dictiones *εὐδοκεῖν τι* (*Hebr.* X: 6) *ἐπί τινι* (*Judith* XV: 10) *εἴς τινα*, *τι* (*Matth.* XII: 18, 2 *Petr.* I: 17) leguntur.

(2) 2 *Thess.* I: 11.

(3) *Phil.* I: 15, II: 13; conf. v. cl. HENGELIUS (in c. l., p. 75, 174), qui eam vocem interpretatur *benignum placitum*, prouti etiam in formula: *κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ* (*Eph.* I: 5), eandem talem habere vim defendit; vid. *Matth.* XI: 26 cll. *Luc.* II: 14, X: 21. Conferri possunt ea, quae de vocibus *εὐδοκεῖν*, *εὐδοκία* disputavit FRITZSCHIUS (in c. l. II, p. 369 sqq.), qui observat, *verbo εὐδοκεῖν et vocibus derivatis eos tantummodo scriptores usos esse, qui post* ALEXANDRI *M. tempora vixerunt.*

(4) *Rom.* X: 1.

(5) 1 *Cor.* IV: 5.

Jam supra obiter diximus, a PAULO, qui hac in re Hebraeorum cogitandi rationem sequitur, *τῇ σαρκὶ peculiares affectiones* assignari, easque vel *naturales*, vel *culpandas* (1); de *his*, quae saepius quoque in N. F. reliquo commemorantur, in Capite IV videbimus, de *illis* nunc paucis agendum est. Indicantur *illis* miseriae atque anxietatis *sensus*, qui excitantur vexationibus atque calamitatibus indigentiisque, quas quis experitur, et quae cum terrena conditione conjunctae sunt. Ita Apostolus de *θλίψει τῇ σαρκί* loquitur, et tum non *corporis* dolorem spectare videtur, sed miseriae *sensum*, hominibus matrimonio junctis subeundum (2). Alibi dicit: *nullam habuit caro nostra remissionem, sed in omnibus vexabamur, extrinsecus* aderant *pugnae*, ab adversariis excitatae, *intrinsecus metus*, qui igitur *pugnis* istis provocati erant (3). PAULUM verbis: *ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκί, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, mihi datum est lignum* veluti *acutum* aculeusve *carni*, id est, *carnem* pungens, *ne me* efferam, miseriae *sensus* intellexisse, repetendos ex variis vexationibus multifa-

---

(1) Vid. p. 96.

(2) 1 *Cor.* VII: 28. Eam dictionem non indicare *corporis dolorem*, pronti et aliis recentioris temporis placuit interpretibus, et viro d. GRATAMA (*Commentatio in Paulinae epistolae prioris ad Corinthios caput* VII, 1845, p. 51) merito contendit v. d. GRIETH., (in disp. l., p. 56). Hic eam formulam intelligendam esse putat de *animi aerumnis, quae hominibus, matrimonii vinculo conjunctis, imminent*. Talium vero *aerumnarum* et in hocce dicto, et in iis effatis, quae deinceps a nobis citabuntur, notionem *restringendam esse*, mox videbimus.

(3) 2 *Cor.* VII: 5, vidd. etiam *Phil.* I: 22, 24 cll. p. 111, not. 3.

riisque rebus adversis, quibus, tamquam CHRISTI Apostolus, obnoxius erat, et quae omnem vanam elationem coercebant, perquam nobis probabile videtur; dicto: ἄγγελος σατᾶν, ἵνα με κολαφίζῃ, eadem res sub alia imagine proponitur (1). Non multum ab hisce dictis discedit sententia: *Nunc gaudeo in vestrum commodum afflictionibus*, quas subeo, *et impleo ea, quae desunt* CHRISTI *calamitatibus, in carne mea pro corpore illius, quod est ecclesia*, nt hoc pacto illius caritatis, erga me praestitae, *retributio* sit (ἀνταναπληρῶ) (2); hoc loco παθήματα *carni* quoque tribuuntur, quia *hujus* est, *illis* experiendis cruciari.

Causa, cur tales *affectiones* ad *carnem* referantur, exinde repetenda est, quod hanc inter et τὴν ψυχήν summum intercedit vinculum; voce σάρξ utitur Apostolus in iis describendis, quia luculentissime ob oculos ponere vult, easdem ex rebus, extra hominum potestatem positis, exsistere atque prorsus *passivas* esse, terrigenae *debilitatem fragilitatemque* exhibentes.

---

(1) 2 *Cor.* XII: 7 cll. vs. 9, 10, XI: 23 sqq.; vid. v. d. GRIETH., in disp. l., p. 95 sqq., qui talem esse sensum illius sectionis satis probat contra secus cogitantium dubia; ipse interpretatnr: „*Et eminentia patefactionum, quae mihi obtigerunt, ne me efferrem, immissae mihi, Apostolo, sunt res adversae, nutrices aerumnarum* (ex istis nempe rebns adversis sponte orientium), *omnem superbiam coercentium.*"

(2) *Col.* I: 24.

§ 8.

De harum virium sive facultatum et peculiarium carnis affectionum mutua ratione atque conjunctione.

Ex iis, quae disquisivimus, sequitur, homini, ex PAULI sententia, esse *mentem*, pollentem *ratiocinandi* atque *cogitandi* vi, et insuper *judicio*, tamquam veri *obrussa*, qua quis vera a falsis *discernere*, omnesque res rite *explorare*, et ita ad *sapientiam* atque **φρόνησιν** pervenire possit. Porro ex *mente* procedit **ἡ σύνεσις**, cujus ope res *cognitae judicioque exploratae* penitus suscipiuntur et in numerato habentur. Ut certo homo sciat, se interne recte constitutum esse atque bene agere, pariterque ut constanter prorsus certus esse queat, quid fugiendum, quid praestandum sit, *scientia atque judicio* gaudet *morali*, sive *conscientia*, quae, *sponte* sententiam proferens suam, veluti Dei ipsius, summae sanctitatis Exemplaris, est vox. Prouti Hebraei censuerunt, hasce omnes facultates ex *corde*, veluti radios e centro, prodire, ita etiam haec sententia in toto N. F. invenitur, et in PAULI anthropologiam vim exercuit haud exiguam; etenim statuit hicce, **τὴν καρδίαν** eam esse vim, qua homo *penitus* in rebus, *mente cognoscendis dijudicandisque*, versari queat, et a cujus conditione, omnium, quae meditetur suscipiatve, pendeat ratio *intima*.

Observare facile potuimus, Apostolum varias hasce vires non acriter a se invicem distinguere, sed continuo mutuam earum rationem et indissolubile vincu-

lum ob oculos habere. Hoc vel maxime valet de *volendi* facultate, quae ab illo non a reliquis facultatibus separata cogitatur, sed, illo judice, efficit, ut omnia, quae hisce insint, tamquam *semina*, explicari, evolvi atque in actionem prodire queant, ut *mentis cogitata*, *cognitio*, *ratiocinationes*, *judicia*, ubi *cordis sensus affectusque* exarserint, evadant *studia* vel certae *voluntates*, et ut ipsi illi *cordis sensus affectusque* gignant *appetitus*, quibus homo sese ad res utiles necessariasque extendere valeat.

Liberam hanc hominis sese *explicandi* atque *manifestandi* facultatem minime tollunt peculiares istae *carnis* affectiones: hae enim neminem cogunt, *ut* rerum adversariarum et indigentiarum terrenarum flumine prorsus abripiatur, quin adeo, Deo moderante, alicujus perfectionem promovere possunt. Sunt autem indole sua *irritationes* inferioris partis naturae humanae, *sponte* orientes atque vigentes, et hactenus prorsus distinctae a *sensibus spiritus cordisque* et ab iis, qui interdum *animae* tribuuntur, affectibus; nam hi illique ortum indolemque variam repetunt ab ipso homine, *libere* sese definiente (1).

Quaestio etiamnum restat, quaenam sit conjunctio inter *spiritum*, *animam* atque *corpus*, et inter varias hasce *vires affectionesque peculiares*. Nonnulli statuerunt, alias, easque *superiores*, facultates naturâ suâ ad *spiritum*, alias, easque *inferiores*, ad *animam* pertinere (2).

---

(1) Conff. ea, quae p. 74, 84 sq., 139 sq. vidimus.

(2) Ita OLSHAUSENUS (in c. p. 15 f., ad 1 *Thess.* V: 23) PELTIUS (in c. l., ad l. l.), alii.

Talis vero divisio ex anthropologicis placitis, hodie vigentibus, non ex PAULI et reliquorum *Scriptorum sacrorum* mente petita est. Nimirum secundum eos, ut vidimus, *cor* est focus omnium facultatum, quae *tam spiritu* diriguntur, tamquam ἐνεργείᾳ divina, quae easdem ad res divinas excelsasque extollere valet, *quam anima*, vi inferiore, ut rectus earundem homini, hisce in terris versanti, constet usus; attamen si *anima* haecce *superiores* agit *partes*, peccatum adest; *ea* enim, *carnem* vi vitali instruens, efficit, ut peculiares illae atque naturales affectiones oriantur, sed, quod nunc unice indicamus, dein accuratius explorabimus, insuper eo eadem *vis* fert, ut, cum *spiritus* non amplius hominem regit, res terrenae *carnem* perverse afficiant, atque ita illicitae cupidines exsistant. — *Corpus* denique organon est, quo *cogitationes*, *incitationes*, *perturbationes*, *affectiones*, *voluntate* veluti *susceptae* et *explicitae*, in *actionem prodeunt*, et ita evadunt facta *τὰ διὰ τοῦ σώματος* (1), *πράξεις τοῦ σώματος* (2).

---

(1) 2 *Cor.* V: 10.

(2) *Rom.* VIII: 13. Sententiae ratio docet, h. l. perversa facta spectari; eodem vero nomine etiam ea, quae bene agit homo, nuncupari possunt.

CAPUT III.

DE MODO, QUO HOMO, TALI NATURA PRAEDITUS TALIBUSQUE INSIGNIS FACULTATIBUS, EXPLICARI POTEST.

§ 9.

De hominis explicatione ope manifestationis Dei, in rerum natura datae.

Ea, quae supra exposuimus, jam edocere nos potuerunt, quaenam sit ratio, qua homo explicari debeat. Etenim *spiritu* gaudens, non huic soli adstrictus est terrae, sed ad sublimiorem pertinet ordinem, et cum ipso adeo Supremo Numine est cognatus. Efficit ille *spiritus*, ut ad Deum tam recte cognoscendum, quam penitus agnoscendum Ejusdemque voluntati obsequendum sua conferant singulae facultates. Tali autem cognitione atque huic congrua veneratione omnem contineri explicationem atque progressionem hominis, prouti ex iis, quae attulimus in Capite primo et secundo, effici potuit, ita etiam apparuit ex orationibus illis PAULI, quas in Introitu re-

censuimus, et ex iis dictis, in epistolis obviis, quae ibidem obiter attigimus. In hac § nonnulla effata, in hisce scriptis inveniunda, paullo accuratius spectabimus, ut ita distincte appareat, qualis sit illa explicatio, et quatenus cum hominis *natura* tota conveniat.

In *epistolae ad Romanos* exordio docet Apostolus, *id, quod de Deo cognitum est* (**τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ**), *manifestum esse in hominibus* (1). — Causa, cur *illud in* iis *manifestum* esse dicat (2), dum in *sequentibus* contrarium affirmare videatur (3), haec est ut ostendat, in homine, *naturam* hujus si spectes, vigere vim, quae Dei *manifestatione* ita excitari *potest*, ut cognitio Supremi Numinis exsistat. Quod ad *sequentia* attinet, in iis de *perversa* hominum *conditione* agit noster, in qua ea cognitio, quod hoc loco obiter

---

(1) *Rom.* I: 19, coll. *Act.* XVII: 26 sqq. Adjectivum *γνωστός*, *Rom.* I: l. l. tamquam substantivum occurrens, cum WINERO (in op. l., p. 266) explicamus hac ratione: „P. *redet*" inquit „*von der* objectiven *Erkenntniss, von der Summe dessen, was von Gott — gewusst wird und deshalb braucht er nicht das W. γνῶσις, welches auch d.* subj. *Erk., das Erkennen selbst anzeigen konnte (ein hier unpassender Begriff).*" Addit autem Apostolus, hoc *γνωστόν* in homine esse *φανερόν*.

(2) V. cl. SCHOLTEN, *Mr.* C. W. OPZOOMER *beoordeeld*, 1846, p. 31 sqq., (cll. GURLITT, in op. per.: *St. und Kr.*, 1840, IV: *Studien zur Erklärung der ἔνδειξις τῆς δικαιοσύνης τοῦ Θεοῦ, Rom.* III: 25, p. 931 sqq.) censet, verbum *φανεροῦν* ita a verbo *ἀποκαλύπτειν* differre in N. F. scriptis, ut *illud manifestationem* indicet Dei, quae ab homine ipso nondum *(subjective)* suscepta est, *hoc* vero id significet, quod et *externe* apertum est a Deo, et *interne* ab homine susceptum; talis vero distinctio neque ipsis verbis inest, neque ab iis, quae *Rom.* I: 18, 19 leguntur, praesidium accipit.

(3) I: 22 sqq.

monendum est, non quidem intus prorsus sublata atque exstincta, sed tamen offuscata, mali vi obruta atque perverse directa est.

Qua ratione illud *γνωστόν* sive illa *cognitio manifesta* sit, statim explicat noster: *Deus nempe* ipse *hominibus* illam *manifestavit. Mentis* enim agitatione, ut supra vidimus, *ea, quae de Supremo illo cerni nequeunt, per opera* (per res creatas) *a mundo inde condito perspiciuntur, tam aeterna potentia, quam divinitas* (1).

Opera (*ποιήματα*), de quibus Apostolus loquitur, ea omnia indicant, quae creata, constituta et ob oculos posita sunt, in quibus **τὰ ἀόρατα τοῦ Θεοῦ** sunt expressa; dictio: *a mundo inde condito,* caeteris additur, ut appareat, nullum omnino fuisse tempus, quo Supremi Numinis *manifestatio* homines latuerit. — Quaenam sint ea, *quae de Deo cerni nequeunt*, explicat noster verbis: *tam aeterna* (*ἀΐδιος*) *potentia, quam divinitas;* voce *ἀΐδιος* utitur scriptor, quo melius appareat, *in operibus* detegi *Creatorem* (**τὸν κτίσαντα**) (2), prorsus independentem; cur *potentia* commemoretur, sponte in oculos incurrit, ea enim, nisi instructus esset Deus, *opera* illa *creare* nequiisset, neque eadem continuo conservare valeret. Vox *θειότης*

---

(1) *Rom.* I: 19, 20, cll. p. 116 sq. Immerito FRITZSCHIUS (in c. l. I, p. 62) contendit, particulam *τε* obstare, quominus verba: *ἥ τε ἀΐδ. αὐτ. δύν. κ. θειότ.*, *epexegesin* dictionis *τὰ-ἀόρ. αὐτ.* contineant. Contrarium probant loci, quos DE WETTIUS (in c. l., ad h. l.) citat *Rom.* I: 12, 16; addi possunt his *Rom.* II: 9, III: 9, *Act.* I: 13, XIII: 1; conf. HERINGA, *Opera exegetica et hermeneutica. Edidit* VINKE, 1845, p. 133.

(2) *Rom.* I: 25.

(*divinitas*) (1), eas complecti videtur virtutes proprietatesque, quae praeter potentiam unicam Supremi Numinis praestantiam arguunt, et quae ab Apostolo *cum* alibi, *tum* paullo inferius spectantur, tamquam tales, quales homini facile innotescant; in illis *sanctitati* atque *amori* primarium esse concedendum locum, satis perspicuum est. Modus igitur, quo ad Deum sese effert terrigena, ita sese habet, ut ad opera illa, quae eum cingunt, *internum* oculum, *mentem*, convertat, quo facto, in illis, veluti in speculo, Dei naturam, excelsis pollentem viribus virtutibusque, repercussam esse detegat. Ubi vero ita *exstitit* Creatoris notitia, haec **τὴν σύνεσιν** provocare, *cor* inflammare, *conscientiam* excitare valet, uno verbo, omnes hominis, *spiritu* praediti, vires evehere ad res divinas (2).

---

(1) Vox θειότης ita, nostro judicio, differt a voce θεότης (*Col.* II: 9), ut *illa* indicet virium virtutumque divinarum complexum, *haec* Dei naturam, *in abstracto,* ut ajunt, spectatam (*het God zijn*); discrimen tamen, ex PAULI mente, magis ad voces, quam ad res, illis expressas, pertinere videtur. — Apostolo, de τῇ θειότητι loquenti, obversatam esse *sanctitatem,* verba docent vs. 20 obvia: εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους cll. vs. 18; eundem cogitasse de *amore* atque *benignitate*, initium versus 21 ostendit: οὐχ. ὡς θεὸν κτλ. — USTERIUS (in op l., p. 16) vocem θειότης complecti censet *benignitatem* (*Act.* XIV: 17), *sapientiam* (*Act.* XVII: 26) et *spiritualitatem* (ib. vs. 29). Minus recte DÄHNIUS (in op.: *Entwickelung des Paulinischen Lehrbegriffs,* 1835, p. 29 cll. op.: *Geschichtliche Darstellung der jüdisch-alexandrinischen Religions-Philosophie,* 1834, I, p. 231 sqq., non 213 sqq., ut ipse citat v. d., in op. superiore) et SCHNECKENBURGERUS (*Beiträge zur Einleitung ins N. T.* etc. 1834, p. 101) de sola *benignitate* cogitant; vid. infr.

(2) „*Wenden wir ein von* JACOBI *gebrauchtes Bild an, so kön-*

Sententiae, hactenus a nobis explicitae, addi potest alia, in *epistola priore ad Corinthios obvia*, in qua non obscure significat noster, fieri potuisse, ut genus humanum (*mundus*) *in Dei sapientia* (*ἐν τῇ σοφίᾳ τοῦ Θεοῦ*) *Deum cognovisset per suam sapientiam* (*διὰ τῆς σοφίας*) (1). Hoc tamen loco non unice *manifestatio* Supremi Numinis, in rerum natura data, sed etiam peculiaris *patefactio*, Israëlitis concessa, respici videtur, etenim vox *κόσμος*, ut contextus docet, tam eos, quam gentiles complectitur. Dictio: *ἐν τῇ σοφίᾳ τοῦ Θεοῦ* non solam *creationem* atque *conservationem*, quae in *epistola ad Romanos* (l. l.) primario loco spectantur, sed etiam *regimen moderamenque* Dei continet. Totius igitur effati vis huc redit: Deum semper *eam* prodidisse *virtutem*, quae omnes creaturas et praecipue homines constanter ad optimos fines assequendos ducit, optimis etiam electis mediis; *eam* porro *virtutem*, dummodo voluissent, deprehendere potuisse homines, pollentes nimirum *mente ratiocinante* atque *judicante*, quae ipsa ad *sapientiam* adscendere efficax est (2), et ideo *Supremam* illam, ubique et semper ob oculos positam, percipere potest (3).

---

nen wir sagen: der Apostel denkt sich die Offenbarung als jenen innern ruhenden Konsonanten, welcher nur in Verbindung mit dem Vokal, der von auszen kommt, ausgesprochen werden kann." Ita THOLUCKIUS, ad *Rom.* I: 20 (in c. l.).

(1) 1 *Cor.* I: 21, cll. *Act.* XIV: 17.

(2) Conf. p. 127.

(3) Causa igitur, cur homines Deum *non* vere cognoverint, inde repetenda est, quod illorum *sapientia* perverse erat directa (vs. 19 sq., 22, 26 sq. cll. vs. 29). Vim formulae: *διὰ τῆς σοφίας*,

Quod ad vim nativam atque primariam attinet, quam cognitio Dei in homines exereere debuerit, significat PAULUS, hos Illum *ὡς θεὸν δοξάζειν* et simul *εὐχαριστεῖν* (1) decuisse. Quae verba optime intelliguntur, de Unico illo *laudibus celebrando* (2), propterea quod summa, quae eogitari potest, excelsitate atque praestantia conspicuus est, et insuper de *grato* Eidem *significando animo* propter beneficia, quae continuo largitur.

Docet igitur uoster, homines ante omnia oportuisse *toto animo* suscipere eam, ad quam *mente* perveuenerant, *cognitionem*, sive in cam sese *penitus* insinuare, quo facto, egregios demum eadem proferre potuisset fructus.

Prouti Apostolus ostendit, homines, Dei opera observantes, ad *Illius* adduci *cognitionem*, ita non minus affirmat, eandem aliquaudo in illis *vere* ad fuisse. Postquam nempe *in epistola ad Romanos* rationem, qua Supremum Numen sese *manifestat*, exposuit, statim

---

rite iu lucem protrahit RÜCKERTUS (*Der erste Brief* PAULI *an die Korinther*, 1836, ad h. l.); perverse tamen idem interpres dictione: *ἐν τ. σ. τ. Θ.*, designari censet: „*durch die Weisheit, vermöge der W. Gottes*," adeo nt, ipsa Dei sapientia moderatrico, mnndus Illum non cognoverit. Recte tali interpretationi sese opponnnt MEYERUS et DE WETTIUS (in cc. ll. ad l. l.), qni tali fore, qnali nos supra fecimus, ratione eam dictionem enucleant. Caeternm vocem *κόσμος* Jndaeos gentilesque complecti, docet vs. 20, ubi adjectivum *σοφὸς* tam vocem *γραμματεὺς*, qna Jndaei significantur, quam vocem *συζητητής*, qua gentiles adnmbrantur, respicit, pronti verba subseqnentia docent cll. vs. 22 sqq.; omnino MEY., in c. l. ad vs. 20.

(1) *Rom.* I: 21.

(2) Couf. *Rom.* XV: 6, 9.

subjungit: *διότι γνόντες τὸν Θεὸν* (1); in sequentibus satis indicat, terrae incolas non latuisse *majestatem* (*τὴν δόξαν*) *τοῦ ἀφθάρτου Θεοῦ* (2), id est, summum illum *splendorem*, qui non potest non ex Illo prodire, qui aeterna *potentia* atque *divinitate* pollet. Insuper profitetur, eosdem cognitam habuisse *veritatem Dei* (*τὴν ἀλήθειαν τοῦ Θεοῦ*), qua dictione intelligit *cognitionem* Dei (*τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ*), ipsam continentem *veritatem*, id est, Dei naturam, ut haec *vere* est, et *ex vero* hominibus est manifestata, quaeque idcirco homines illustrare atque dirigere debet (3). Idem, quod contendimus, effici potest ex verbis, infra obviis: *ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει*, etenim haec non simpliciter valent *habere*, sed *constanter tenere Deum* in *cognitione* (4), eaque *accurata*, *recta*, *pia*, *gratave*; talis enim est vis vocis *ἐπίγνωσις* (5), quae consulto hoc loco expressa videtur a PAULO, ut homines scien-

---

(1) *Rom.* I: 21.

(2) Ib. vs. 23.

(3) Ib. vs. 25; vs. 18 sq., ipse Apostolus vocem *ἀλήθεια* explicat verbis: *διότι τ. γν. τ. Θ.*; genitivum *τ. Θ.* *illi* voci (l. l.) non addit scriptor, quia statim sequitur. — Homines revera cognovisse Dei *majestatem* atque *veritatem*, verba *ἀλλάσσειν* et *μεταλλάσσειν* evincunt (vs. 23, 25).

(4) Ib. I: 28. Verbum *ἔχειν*, cum participiis, vel cum tali, qualis hîc occurrit, dictione conjunctum, saepius habere *diuturnitatis* notionem, ostendit FRITZSCH., in c. l., I, p. 80 sq. cll. THOL., in c. l., ad l. l.

(5) Verbum *ἐπιγινώσκειν* non idem valere, quod simplex *γινώσκειν* merito contra RÜCKERTUM (in c. l. ad. h. l.) urget THOLUCKIUS (in c. l., ad h. l.). Conff. *Rom.* I: 32, 1 *Cor.* XIII: 12, XVI: 18; idem valet de voce *ἐπίγνωσις* *Rom.* III: 20 cll. vs. 10, X: 2, *Col.* I: 9 sq.; vid. BRETSCHN., in *lex.* l., in *ἐπιγιν.*, *ἐπίγν.*

tia excelsa *plene* aliquando, quoad ejus fieri posset, gavisos esse significet. Dein demum illa sensim sensimque offuscata est, et falsis tandem de divina natura opinionibus locum cessit (1).

Testatur quoque Apostolus, homines *accurate riteve cognovisse* Dei *statutum justum* (τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ) (2), quo illi, *qui mala perpetrant*, gravissimo *digni sunt* supplicio *(morte)*. Sed praecipue observandum est, illum disertis verbis enuntiare, per saeculorum decursum haud defuisse probos viros, recta indole rectaque agendi ratione conspicuos, quamquam nulla peculiari *patefactione* beatos. Tuto exinde concludi potest, PAULUM non diffiteri, eosdem etiam Supremi Numinis suspicione quadam insignes fuisse, etenim, quomodo sine hac Illius *voluntatis* notitiam tenuissent, intelligi nequit, si ob oculos habemus, ex nostri mente inter Dei *cognitionem* veramque *virtutem*, id est, *obedientiam*, divinae illi *voluntati* praestitam, tam arctum intercedere vinculum, ut *hac* neglecta, *illius* etiam jactura fiat. Sed jam ad ipsa PAULI dicta breviter nobis attendendum est. *Deus*, ex ejus mente, *unicuique retributurus est secundum opera ejus*, et *illis quidem*, *qui constanter recte agentes* (καθ᾽ ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ) δόξαν καὶ τιμὴν καὶ ἀφθαρσίαν *quaerunt*, *vitam aeternam* concedet (3). Hoc dicto jam significat noster, inter omnes gentes et fuisse et constanter esse posse, qui ad ea bona, quae consummata

---

(1) *Rom.* I: 21 sqq.

(2) *Rom.* I: 32.

(3) *Rom.* II: 6 sq.

complectitur demum *vita aeterna* (1), adspirent, nempe *splendorem* illum, quo Deus ipse gaudet, et qui ab Eodem in alios dimanat, *excellentiam* illam, qua vero *honore* es dignus, *conditionem* denique omni *vicissitudine* terrena *superiorem.* Ejusmodi denique studii ratio haec est, ut quis *perseveret* in bonis operibus, non de tempore in tempus nonnulla praestet laudanda facta. Ostendit igitur illud *studium*, *actione* sese manifestans, *indolem* totam recte constitutam.

Sed disertius etiam de talibus agit hominibus Apostolus hisce verbis: *Quando enim gentiles, legem* scriptam *non habentes*, *natura* (φύσει) impellente, *ea*, *quae lex* scripta agenda imponit, (τὰ τοῦ νόμου), *praestent*, *hi*, *legem non habentes*, *sibimet ipsis sunt lex*, in semet ipsis recte agendi principia, intus vigentia, habent. *Qui nempe factis ostendunt* (ἐνδείκνυνται) *id*, quod scripta *lex* exigit *opus* bonum justumque (τὸ ἔργον τοῦ νόμου), *conscriptum esse in* ipsorum *cordibus*, *dum una* cum illis operibus *testatur conscientia* (2). Apostolus, de vera probitate agens, cogitatione sese transfert in tempus, quo de illa ab omni parte absolutum fiet judicium, etenim superioribus addit haecce: *et dum inter se cogitata judiciave* (οἱ λογισμοί) (3) *accusant vel*

---

(1) Ib. vs. 10 tamquam virtutis praemium, quod Deus largiturus est, commemoratur, praeter δόξαν et τιμήν, εἰρήνη *pax* ista summa, quae ex intima cum Deo conjunctione oritur. Caeterum exinde, quod Apostolus h. l. non, prouti vs. 7, de *vita aeterna*, tamquam praemio, loquitur sed de *bonis* commemoratis, satis apparet, *haec illâ* contineri.

(2) *Rom.* II: 14, 15 cll. vs. 26 sq.

(3) Vox λογισμός non ad solum *conscientiae* testimonium, sed simul ad *mentis* actionem, illud suscipientem, nobis referenda videtur.

etiam defendunt, *die*, *quo Deus judicabit abscondita hominum* (1). Eo nempe *die cogitata* illa interna inter se rationes ineunt, adeo ut unum cogitatum (bonum) alterum, tamquam malum, accuset, vel etiam unum (bonum) alterum, tamquam bonum, probet. Absolutum hoc judicium aliquando fiet *per* JESUM CHRISTUM *secundum euangelii normam* (2).

Luculentissime ex iis, quae deinceps attulimus, effatis, apparet, qualis quantaque vis ex PAULI mente facultatibus singulis assignanda sit, et quam *facile* atque *sufficienter* homo illarum ope explicari possit. Scilicet per *mentem* rite *observantem* unicuique aditus patet ad Deum cognoscendum, nulla peculiari patefactione intercedente; *cordi* hominis insculpta est *norma*, secundum quam sese totum componere potest, quamvis *lex externa* non adsit; hanc *normam* num constanter sequatur, semper et ubique testatur *conscientia*, nulla externa vi instigante; quin adeo aliquando ipsa *cogitata mentis*, *conscientiae sententiis* innitentia, sortem uniuscujusque futuram dirimunt.

Summo igitur jure tribuit *spiritum* Apostolus homini, etenim ad *divina* excelsaque illae vires omnes tendunt, summaque simul pollent vita propria, quae iis inesse non possit, nisi *divina* incitentur ἐνεργείᾳ.

---

(1) Ib. vs. 15, 16. In horum versuum cohaerentia definienda secuti sumus MEYERI explicationem, quae sese maxima simplicitate commendat (*Krit. ex. Komm. üb. d. N. T.*, 1836, IV, ad l. l.).

(2) Ib.; conf. p. 52, in not. Quomodo hoc de iis, qui CHRISTI patefactione haud beati fuere, contendere potuerit Apostolus, indicabimus in Cap. IX.

Harmonice denique hanc explicationem procedere posse, adeo ut nulla adsit *vis*, *necessario* eandem impediens, jam supra significavimus, de *naturalibus* agentes *affectionibus*, e *carne*, quae *τῆς ψυχῆς* ope vivit atque viget, ortis (1); nunc addimus, *omnes omnino inferiores impulsus*, in egregios conspirare posse fines, si quis ad Deum atque divina in terris sese extendit; quod ut probemus, citamus dictum Apostoli, quo hic Christianos quidem alloquitur, sed quod tamen hoc jam loco egregie ad id, quod nobis volumus, illustrandum inservit: *Εἴτε οὖν ἐσθίετε, εἴτε πίνετε εἴτε τι ποιεῖτε, πάντα εἰς δόξαν Θεοῦ ποιεῖτε* (2).

Ad unam quaestionem nobis etiamnum respondendum est, cur nempe Apostolus necesse fuisse statuerit, ut Deus peculiarem quandam Israelitis concesserit patefactionem *et* suae *naturae totius et* sanctae suae *voluntatis;* cum tamen utramque cognoscere homines sua sponte valeant. Observandum est, ut haec quaestio rite solvatur, datam esse illam patefactionem, ut Supremi Numinis cultus servaretur, post ortum peccati, quod *naturae humanae lumen*, ut infra videbimus, tenebris obvolvit, et eandem illam non modo praeparationem attulisse, sed etiam vaticinia, *absolutam patefactionem*, aliquando in CHRISTO concedendam, indicantia, quae nemo suo acumine excogitare potuerit (3).

---

(1) P. 147 sq., 150.

(2) 1 *Cor.* X: 31.

(3) Quatenus ex mente JESU atque reliquorum, qui in N. F. dicentes scribentesque occurrunt, homines sese natura ad Deum erigere valeant, et quatenus hanc cognitionem sua culpa amiserint, exposuit egregie USTERIUS (in op. l., p. 21 sq.), illustrans dicta,

§ 10.

Disquiritur, ex quonam fonte PAULUS *sententias de hominis explicatione Dei manifestationis ope petiverit.*

Non abs re esse ducimus, paucis etiamnum disquirere, ex quonam fonte PAULUS eas, quas in superiore § exposuimus, sententias hauserit. Etenim probare studuit SCHNECKENBURGERUS (1), mag-

quae inveniuntur *Joh.* VIII: 47, VI: 45 cll. 1 *Joh.* II: 7 (?), IV: 6, *Matth.* VI: 22 sq., *Act.* X: 35, — 1 *Petr.* I: 14, *Act.* III: 17 cll. XVII: 30, *Eph.* IV: 18, *Jac.* V: 19 sq. cll. 2 *Petr.* II: 18. Cum sententiis JESU et insuper cum V. F. (*Joh.* VI, VIII ll. ll., XVIII: 37, *Matth.* VI l. l.) convenire PAULI placita, KREHLIUS (in c. l., p. 41) ostendit.

(1) In opusc. p. 155 cit., cui inserta est commentatiuncula: *Die natürliche Theologie des* PAULUS *und ihre Quellen*, p. 92 sqq. — Significat SCHNECKENBURGERUS, Alexandrinorum Judaeorum philosophiam PAULO innotescere potuisse per GAMALIELEM (in comm. l., p. 117), de quo egit DÄHNIUS, in op. *Geschichtl. Darst.*, II, p. 239; hic vir doctus etiam non abest ab opinione, Apostolum illa philosophia imbutum fuisse (in op.: *Entw. d. Paul. Lehrb.*, p. 5 sq., 185 sq). Longe aliam sententiam nuperrime protulit KEFERSTEIN, PHILO's *Lehre von den göttlichen Mittelwesen* etc., 1846, p. V sq., qui putat: „*dass das Christenthum keineswegs aus solchen Elementen hervorgewachsen und dass es, um nicht anders zu sagen, einer der ärgsten Miszgriffe ist, wenn man meint, die Philonische Philosophie sei die Wurzel, aus der eine Paulinische oder Johanneische Theologie hervorgegangen. — Man wird nirgends Trauben lesen von den Dornen, oder Feigen von den Disteln*" etc. Non tamen negat, philosophiam PHILONIS hic illic prodere nonnulla vestigia, quibus ad religionem Christianam accedit (p. VI). De ratione, quae hanc religionem inter et placita philosophi Alexandrini intercedit, agit quoque GROSSMANN, *Quaestiones Philoneae*, 1829, I, p. 2 sq.

nam deprehendi convenientiam inter ea, quae tam in *orationibus*, Lystris atque Athenis habitis, quam in *epistolae ad Romanos* primo ac secundo capite exposita sunt, et inter ea, quae in PHILONIS scriptis atque in *libro Apocrypho*, qui *Sapientia* SALOMONIS inscribitur (1), inveniuntur. Idcirco statuit vir ille doctus, Apostolum haud ignorasse Judaeorum Alexandrinorum philosophiam.

Prae caeteris hanc, instituimus disquisitionem, ut pateat, quatenus jure contendi possit, PAULUM praeter fontes, supra allegatos (2), hunc etiam adhibuisse fontem.

Seutentias illas PHILONIS et *pseudo*-SALOMONIS, a SCHNECKENBURGERO citatas, ordine recensebimus. — Omnes homines, gentiles etiam, ad Deum sese extollere valent, et pessimi quique probe norunt, se, perverse agentes, Deum non latere, neque Illius poenam a se constanter depellere posse (3). Nam Deus omnia omnino implet atque penetrat, et Ille nihil vacuum et desertum a se reliquit (4). Praesertim

---

(1) Hunc librum, qui multa continet philosophiae Judaeorum Alexandrinorum semina, a PHILONE profectum esse, pronti nonnulli effecerunt ex HIERONYMI testimonio, vel etiam, a seniore quodam PHILONE eundem confectum esse, ut alii opinati sunt, DÄHNIUS (in op.: *Geschichtl. Darst.*, II, p. 161 sq.) negandum esse censet.

(2) P. 63.

(3) *De confusione linguarum*, I, p. 423. — Dicta allegamus, prouti etiam supra (p. 70), secundum MANGEYI editionis paginas, hac in re a SCHNECKENBURGERO deflectentes; neque etiam constanter ordinem, quo ille locos citat sententiasque exponit, sequimur, quia nostra disquirendi ratio ab illius discrepat methodo.

(4) *Leg. All.*, III, 1, p. 88 cll. scripto: *Quod Deus sit immuta-*

vero Supremus ille propinquus est *animo*, qui hominem divinae reddit naturae participem (1), cui *divina vis inspirata* est, et quae ita ad Deum trahitur, Hujusque *cognitionem* accipit, *quoad ejus fieri potest* (2). Etenim, *qualis* Deus sit (*τὴν οὐσίαν*), terrigenae perfecte cognoscere nequeunt, facile vero Illius *exsistentia* (*ὕπαρξις*) ad istorum pervenit notitiam (3), prouti

---

bilis, I, p. 285 sq. Quomodo haec sententia de Deo, omnia omnino implente, ex PHILONIS mente, intelligenda sit, evincit locus, a SCHNECKENB. citatus: *De conf. ling.*, I, p. 425; vid. infra; conf. *Sap. Sal.* I: 7.

(1) *Quod deterius potiori insid.*, I, p. 208, *De opificio mundi*, I, p. 34 sq.; *Fragm.*, II, p. 668; *De dec. or.*, II, p. 202.

(2) *Leg. All.*, I, I, p. 50 sqq. cll. p. 49.

(3) *De monarchia*, I, II, p. 216 sq. Prouti PHILO hoc loco (p. 216) *ἴσως ἀδύνατον* dicit, cognoscere, *qualis sit* Deus, ita alibi (*De somniis*, I, I, p. 630) Illum nuncupat *ἀκατάληπτον*, simul vero Illum (*De mon.*, l. l.) *δυστόπαστον* (*difficilem cognitu*) *δυσκατάληπτον* (*difficilem perceptu*) esse affirmat. Utraque sententia, saepius in philosophi scriptis vel iisdem, vel aliis verbis obvia, inter se pugnare videtur. Res tamen secus sese habet. Etenim arbitratur PHILO, hominem gaudere *mente* sive *ratione*, quam maxime divina, vinculis vero aggravantibus affectuum atque indigentiarum cum corpore sensuali conjuncta, quorum vinculorum *unum* dicit *voluptatem* (*τὴν ἡδονήν*), *alterum necessitatem* (*τὴν χρείαν*, *ἀνάγκην*); neminem plane tollere posse istam *necessitatem*, quippe qua vita terrestris sustentetur, sed tamen, *isti* neminem sese subjicere debere, contendit philosophus; — *voluptatem* vero reprimat homo, ut ad Deum adscendat, veramque virtutem colat necesse esse, ducit PHILO (conf. DÄHN., in op.: *Geschichtl. Darst.*, I, p. 333 sqq., p. 345 sqq.). Vera igitur est DÄHNII vox (ib. p. 133), terrae incolam, ut ad Deum tendat, ex philosophi Alexandrini mente, impedimenta superare posse: „*aber eben nur dadurch, dasz er aufhört Mensch zu sein.*" Conf. *Leg. All.*, I, I, p. 64: *εἰς ἀρετῆς ἀνάληψιν τε καὶ χρῆσιν, ἑνὸς μόνου δεῖται τοῦ λογισμοῦ· τὸ δὲ σῶμα οὐχ οἷον*

etiam *vires* Dei, quibus constituitur ratio, qua hunc in mundum agit, facile mente cognoscuntur. Sunt illae *vires benignitas* (ἡ ἀγαθότης) et *potestas* (ἡ ἀρχή, ἐξουσία, τὸ κράτος); *illa* incitante τὸ πᾶν effectum est, penes *hanc* ejus, quod effectum est, imperium est repositum; *illa* idcirco ποιητική, haec βασιλική nuncupatur (1), vel etiam illa θεός (indefinite), haec κύριος (2); cum *illa* arctissime cohaeret *gratia*, *misericordia* (ἡ ἵλεως), cum *hac vis legifera* (ἡ νομοθετική), quae ab altera parte *jubet*, *quae praestare decet* (ἡ προςτάττουσα, ἃ δεῖ), ab altera parte, *quae fugienda sunt*, *vetat* (ἡ ἀπαγορεύουσα, ἃ μὴ δεῖ) (3). *Vires* vero illae sunt *relationes rationesve*, ut jam indicavimus, quibus Deus in hunc mundum agit, et in hoc sese mediate manifestat; probe igitur a Deo ipso sunt distinguendae (4). Homines minus perfecti, ad

---

οὐ συνεργεῖ πρὸς τοῦτο, ἀλλὰ καὶ κωλυσιεργεῖ· σχεδὸν γὰρ σοφίας ἔργον τοῦτ᾽ ἔστιν, ἀλλοτριοῦσθαι πρὸς τὸ σῶμα καὶ τὰς ἐπιθυμίας αὐτοῦ."

(1) *De Cherubim*, I, p. 143 sq., *De sacrificiis Abelis et Caini*, I, p. 173, *De Abrahamo*, II, p. 18 sq.

(2) *De Abr.*, ib., *De plantatione Noe*, I, p. 342 (*ἡ μὲν γὰρ κύριος (δύναμις), καθ᾽ ἣν ἄρχει· ἡ δὲ θεός, καθ᾽ ἣν εὐεργετεῖ* Supremus nempe Deus), *Leg. All.*, III, I, p. 101, *De nominum mutatione*, I, p. 582 sq., vid. *Sap. Sal.* XI: 22 cll. vs. 24.

(3) Hae sunt tres *vires*, quas a duabus prioribus PHILO interdum diserte distinguit, quod satis observare negligit SCHNECKENB., in comm. l., p. 110 sq.; vid. infra.

(4) Conff. ea, quae de *vi βασιλικῇ*, atque de *vi εὐεργετικῇ* (*ποιητικῇ*) leguntur in libro: *De nom. mut.*, I, p. 582 sq. *Deus* ipse hîc a *viribus* hisce distinguitur, quatenus ille extra omnem relationem positus, prorsus absolutus, semet ipsum implens, atque sibi sufficiens est, hae vero minime; de hac discrepantia Dei a *viribus* agitur etiam in libris: *De sacrif. Ab. et Caini*, *De Abr.* ll. supr. ll.

Deum ipsum *solum* sese erigere haud valentes, Illius *vires* praecipuas honore prosequuntur (1).

Mundi porro contemplatio ad Dei exsistentiam agnoscendam ducit, et etiam aliquatenus docet, qualis sit Ille; nam: ***Ἀεὶ-γνωρίσματα τῶν δημιουργῶν πέφυκέ πως εἶναι τὰ δημιουργηθέντα.*** Quodsi jam homo artificia videns ad artificem, illis majorem, adscendit, quodsi urbem, recte administratam, contemplans, magistratus suspicit prudentes, nonne etiam illum, qui universam rerum naturam pulcre ordinateque dispositam perlustraverit ***εἰκότως μᾶλλον δὲ ἀναγκαίως ἔννοιαν λήψεσθαι δεῖ τοῦ πατρὸς καὶ ποιητοῦ καὶ προςέτι ἡγεμόνος;*** (2). Ex Alexandrini philosophi sententia, talem cognitionem comparari per *mentem* (***τὸν νοῦν, τὴν διάνοιαν*** (3), ***τὴν ὁρατικὴν***

---

(1) *De Abr.*, II, p. 19. *Unius imago perspicaci menti* exhibetur, *ὅταν ἄκρως καθαρθεῖσα ἡ ψυχὴ, καὶ μὴ μόνον τὰ πλήθη τῶν ἀριθμῶν, ἀλλὰ καὶ τὴν γείτονα μονάδος δυάδα ὑπερβᾶσα, πρὸς τὴν ἀμιγῆ καὶ ἀσύμπλοκον καὶ καθ' αὑτὴν οὐδενὸς ἐπιδεᾶ τὸ παράπαν ἰδέαν ἐπειγήται*, — *trium* imago *menti* exhibetur, *ὅταν μήπω τὰς μεγάλας τελεσθεῖσα τελετὰς (ἡ ψυχή), ἔτι ἐν ταῖς βραχυτέραις ὀργιάζηται, καὶ μὴ δύνηται τὸ ὂν ἄνευ ἑτέρου τινὸς ἐξ αὐτοῦ μόνου καταλαβεῖν, ἀλλὰ διὰ τῶν δρωμένων* (*per opera*, vel, quam lectionem MANGEYUS praefert, *τ. ὁρωμένων*, id est, per ea, *quae conspiciuntur*) *ἢ κτίζον ἢ ἄρχον* (*vel vim creatricem, vel rectricem* (vid. p. 160, not. 3). Alterum dictum (*De somn.*, I, I, p. 644 sq.), quod citat SCHNECKENB. (in comm. l., p. 111), huc non pertinet, etenim in illo non de Deo atque Hujus *viribus*, sed de ratione, qua harum una ab altera discedit, agitur.

(2) *De mon.*, I, II, p. 216 sq. cll. *Fragm.*, II, p. 665 sq., *De dec. or.*, II, p. 191 sq.; conff. dicta *Sap. Sal.* XIII: 1 sqq. obvia.

(3) *De Cher.*, I, p. 144, *Quod Deus sit imm.*, I, p. 279, — 282 (ubi Deus *τῷ νῷ* non *comprehendi posse* dicitur, *ὅτι μὴ κατὰ τὸ εἶναι μόνον*, id est, *κατὰ τὴν ὕπαρξιν*.

διάνοιαν (1), quae est *τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα, ἡ τῆς ψυχῆς ὄψις* (2)), facile intelligi potest.

Summa denique vi nitendum est homini, ut cognoscat, *qualis* sit Deus (3), quod ut feliciter faciat ille, utque ad divina atque excelsa sese magis magisque erigat, in perfectionem moralem strenue omnibusque neglectis deliciis illi incumbendum est (4).

Diserte etiam PHILO laudare solet leges, a natura praescriptas, et in indole atque agendi ratione praestantium virorum expressas (5), qui veluti fuerunt *οἱ ἔμψυχοι καὶ λογικοὶ νόμοι.* Neque silet idem philosophus de *conscientia*, quae serio *admonet* graviterque impium *mordet*, adeoque et *judicis* et *accusatoris* vices sustinet (6).

Negari nequit, magnam primo obtutu esse convenientiam inter PHILONIS placita atque PAULI sententias. Ubi vero ad singula attendimus, simul in oculos incurrit, quantum inter utriusque cogitandi rationem adsit discrimen, quod frustra removere tentat SCHNECKENBURGERUS.

Ita hic vir doctus Apostoli effatum de Deo, hominibus intus manifesto, non recte confert cum philosophi Alexandrini sententia de homine, cum Deo cognato, deque Hoc, illum inspirante illiusque *menti*

(1) *De Abr.*, II, p. 19.

(2) *De dec. or.*, II, p. 192, *Quod Deus sit imm.*, I, p. 279.

(3) *De mon.*, I, II, p. 217 sq.; conff. ea, quae diximus p. 165, not. 3.

(4) *De somn.*, I, I, p. 639 sqq., *De Abr.*, II, p. 19, *De dec. or.*, II, p. 190 sq.; *Sap. Sal.* I: 2 sqq., 8.

(5) *De Abr.*, II, p. 2, 40.

(6) *De conf. ling.*, I, p. 423, *De dec. or.*, II, p. 195.

sese palam faciente; etenim PAULUS simpliciter exponit, hominem, quia excelsa gaudet cogitandi facultate, *sua sponte* sese ad Deum erigere posse (1).

Neque minus a vero deflectit SCHNECKENBURGERUS in reliquis conciliandis. Ita dictione: *τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ*, significari censet id, *quod de Deo nosci possit*, ita nempe, ut alia, quae Supremum Numen spectent, hominem lateant, alia, ad veram, internam aeternamque Dei naturam pertinentia, eidem aperta sint (2). Hoc statuto, arbitratur, ea, quae aperta sint, *vires* complecti, a PHILONE etiam, tamquam facile cognoscendas, laudatas, *potentem* nempe *vim*, adjuncta notione *justitiae poenas sumentis*, et *vim creatricem* atque *beneficam;* quam sententiam ut rite defendere possit, PAULI verba: *ἥ τε ἀίδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης*, satis arbitrarie interpretatur (3).

---

(1) In comm. l., p. 95 cll. p. 108 sq. Postquam nempe vir ille doctus ex *Act.* XVII: 27 sqq. et *Rom.* I: 19 (*ὁ γὰρ Θ. αὐτ. ἐφαν.*) rite effecit, Deum ubique praesentem esse: „*in der Welt und dem menschlichen Bewusstseyn*," insuper contendit: „*Das φανερὸν ἐν αυτοῖς bezeichnet ohne Zweifel die von Gott selbst in die Gemüther kommende innere Offenbarung.*" Quodsi autem ita explicari velis haec verba, non sane difficile est ea conciliare cum placito PHILONIS de *inspiratione Dei;* vid. locus p. 165, not. 2 citatus.

(2) In comm. l., p. 95 cll. p. 109. Lubenter concedimus, ex PAULI mente, homines Deum non perfecte cognoscere posse (1 *Tim.* VI: 16), sed simul judicamus, Apostolum *Rom.* I: 19 sq. noluisse accurate definire, quatenus illi Supremum Numen cognoscere valeant, quatenus Hujus natura illos lateat, vidd. ea, quae p. 153, not. 1 de voce *γνωστός* observavimus.

(3) In comm. l., p. 96 sqq., cll. p. 109 sqq. Fuse versatur SCHNECKENB. in verborum: *ἥ τε ἀίδ. αὐτ. δύν. κ. θειότ.*, notione

Sed quantopere PHILO a PAULO discedat, tum demum plane perspicuum fit, si ad *illius* de *viribus* placitum oculos convertimus.

---

eruenda, et in aliorum interpretum de hac sententiis recensendis. Minime vero illi concedere possumus, vocem δύναμις h. l. adjunctam habere *justitiae poenas sumentis* significationem (si nempe attendas ad *Rom.* I: 32 cll. vs. 18), adeoque *vim creatricem* non ad illam vocem, sed ad vocem θειότ. referendam esse. Obstat tali opinioni *tam* adjectivum ἀΐδιος, quo *divina potentia* et *divinitas* simul a PAULO insigniuntur, *quam* ipsius sententiae ratio, cujus vis optime nobis indicari videtur tali modo, quali p. 154 sq. fecimus. Praeterea argumenta, quibus vir ille doctus sententiam suam stabilire vult, non valent. Ita ad *Rom.* IX: 17 provocat, ubi verba: ὅπως ἐνδείξωμαι ἐν σοὶ τὴν δύναμίν μου (cll. vs. 22) denotare opinatur: „*ut ostendam erga te potentiam meam, poenas juste sumentem*," quae interpretatio eo etiam commendetur, quod in *versione Al.* (*Ex.* IX: 16) legitur: τὴν ἰσχύν μου, quam dictionem *de industria* commutasse PAULUM censet SCHNECKENB., quia pro verbo διετηρήθης (vid. *vers. Al.*), in initio versus, Apostolus *consulto* quoque adhibuerit: ἐξήγειρά σε. — Nostro vero *judicio*, *Rom.* IX l. l. vox δύναμις simpliciter indicat illam *potentiam*, qua Deus *graviter* punire potest. Exempla, quae ex *libris Apocryphis* affert vir doctus, ut opinionem suam fulciat (2 *Macc.* VI: 14, 3 *Macc.* II: 6, *Sap. Sal.* XII: 15, 17), accurate recensere supervacaneum ducimus, unice observamus, in omnibus illis dictis, Dei *potentiam*, qua poenae *graves* evadunt, non confundi cum *justitia*, *propter quam* poenas infligit Supremum Numen. Denique debile argumentum est ex 1 *Petr.* III: 22 desumtum a SCHNECKENB., ubi nempe δυνάμεις, ab ἀγγέλοις et ἐξουσίαις distinctae, sint *angeli punientes*, pronti effici possit ex dicto, in *Testamento* XII *Patriarcharum* obvio (*Codex Pseud.*, ed. FABRICII, I, p. 547). Non minus temere statuit vir doctus, vocem θειότης, cum voce δύναμις h. l. conjunctam, idem valere, quod alibi δόξα. Etenim *Rom.* IX: 23 vox δόξα simpliciter significat illius *splendoris majestatisve* Dei ubertatem, quam homines, quorum Ille miseretur (σκεύη ἐλέους), experiuntur. Eandem significationem vox δόξα habet in reliquis dictis, quae allegat

Censet nimirum, perfectiorem esse Deum, quam ut Hunc inter et rudem indigestamque molem, quin adeo *mundum* ipsum, immediata adsit ratio (1). Hanc ob causam, ut putat, Supremus ille, cum materiam istam in ordinem concentumque redigere adeoque *mundum* constituere vellet, **τῷ λόγῳ** usus est, tamquam causa media (2). Prouti Graeci nimirum duas hominis facultates eo nomine insigniunt, quarum alterâ *cogitationes ideaeve* effici atque excitari possunt, (quae est **λόγος**

SCHNECKENB.; ita 2 *Petr.* I: 3 verba: *τοῦ καλέσαντος ἡμᾶς διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς*, denotant, *qui* (Deus) *nos* ita *vocavit*, ut in ea vocatione Illius *majestas splendorve et virtus* prodeant (conf. WIN., in op. l., p. 456): neque vox *ἔλεος* 1 *Petr.* I: 3 obvia nos invitare debet, ut cum SCHNECKENB. de *benignitate* cogitemus; — *Phil.* IV: 19 et *Eph.* I: 18 sq. haud alia est *τῆς δόξης* notio; — *Apoc.* XV: 8 nominibus *δόξα* et *δύναμις* tam *majestas*, quam *potentia* Dei consulto ob oculos ponuntur; de *benignitate* Dei hoc loco disserere a scriptoris consilio prorsus abesse, quisque verba sequentia observans perspicere potest.

(1) *De sacrificantibus*, II, p. 261 legimus: „*οὐ γὰρ ἦν θέμις ἀπείρου καὶ πεφυρμένης ὕλης ψαύειν τὸν ἴδμονα* (*εὐδαίμονα*, ut conjicit MANG.) *καὶ μακάριον*:" conf. DÄHN., *Geschichtl. Darst.*, I, p. 125 sq., qui ib. (p. 170 sqq.) PHILONIS de materia placitum exponit. KEFERSTEINIUS (in op. l., p. 2 sqq.) etiam diserte describit immensum intervallum, quod PHILO assumsit inter Deum et materiam, tum etiam cum haec, quoad ejus fieri potuerit, in ordinem redacta est, adeoque inter Supremum Numen et omnia omnino, quae exstant; judicat tamen hic vir doctus, a DÄHNIO deflectens, ex disertis nonnullis effatis ducendum esse, secundum philosophi Alexandrini sententiam, Deum fuisse materiae quoque *Creatorem* (p. 5 sq.); conf. GROSSM., in op. l., I, p. 19.

(2) Deus *τὸ αἴτιον* esse perhibetur, *ὑφ' οὗ* — *ὁ λόγος* dicitur *ὄργανον* (*ἐργαλεῖον*), *δι' οὗ*, — *materiam* efficere censentur *quatuor elementa* (*ἡ ὕλη*, *τὰ τέσσαρα στοιχεῖα*), *ἐξ ὧν*, — *bonitas* (*ἀγαθότης*) *causa movens* nuncupatur (*ἡ αἰτία*), *δι' ἣν* mundus constitutus esse narratur *De Cher.*, I, p. 161 sq.

ἐνδιάθετος) alterâ enuntiari (quae est **λόγος προφορικός**); ita etiam Dei **λόγος**, ex PHILONIS mente, *et* continet *ideas* mundi **νοητοῦ** (1), secundum quas cuncta creata sunt, *et* harum *idearum* imagines *visibiles*, quibus mundus **αἰσθητός** constat. Praeterea adsunt etiam *vires* illae, quas supra commemoravimus (2), et quas complecti saepius censetur **ὁ λόγος**,

---

(1) *De vita Mosis*, III, II, p. 154; observat tamen DÄHNIUS (in op.: *Geschichtl. Darst.*, I, p. 219 sq.), nullum dictum, nisi unum, in quo ὁ ἐνδιάθετος υἱὸς Θεοῦ refertur (*De nom. mut.*, I, p. 598, cujus dicti vim explicat DÄHN. I, p. 383), excipias, occurrere, in quo Dei etiam λόγος diserte, pronti hominis, *et* ἐνδ. *et* προφ. a PHILONE nuncupatur, sed philosophum *alterum* (ἐνδ.) dicere solere τὴν σοφίαν, τὴν ἐπιστήμην (*Leg. All.*, I, I, p. 51, 59), quae Dei etiam *uxor* et universi *mater* nominatur (propterea quod vox *feminini* est generis, *De ebrietate*, I, p. 361 sq., *Leg. All.*, II, I, p. 82), *alterum* (προφ.) τὸ ῥῆμα (*De sacr. Ab. et Cain.*, I, p. 165). De convenientia, quae Dei λόγον inter et *sapientiam* adest, agit quoque KEFERSTEINIUS (in op. l., p. 152 sqq. cll. p. 144 sqq.), simul enucleans, cur *interdum* hac voce usus sit PHILO, cur non saepius eandem adhibuerit, sed potius nomen λόγος frequentaverit; conf. GROSSM., in op. l., II, p. 67 sq.

(2) *De profugis*, I, p. 560 sq. Occurrit h. l. allegorica interpretatio dicti *Num.* XXXV: 11 sqq. cll. *Ex.* XXI: 13 obvii de iis, qui, caede involuntaria perpetrata, in sex Levitarum asyla confugere poterant (conf. ib., p. 557). Jam inter alias quaestiones (p. 559) hasce quoque proposuit scriptor, quaenam sint hae urbes, et quam ob caussam *sex* numero: „Μήποτ οὖν ἡ μὲν πρεσβυτάτη καὶ ὀχυρωτάτη καὶ ἀρίστη μητρόπολις, οὐκ αὐτὸ μόνον πόλις, ὁ θεῖός ἐστι λόγος, ἐφ᾽ ὃν πρῶτον καταφεύγειν ὠφελιμώτατον; Ἀι δ᾽ ἄλλαι πέντε, ὡς ἂν ἀποικίαι, δυνάμεις εἰσι τοῦ λέγοντος (Dei *verbum* proferentis), ὧν ἄρχει ἡ ποιητική, καθ᾽ ἣν ὁ ποιῶν λόγῳ τὸν κόσμον ἐδημιούργησε· δευτέρα δ᾽ ἡ βασιλική, καθ᾽ ἣν ὁ πεποιηκὼς ἄρχει τοῦ γενομένου· τρίτη δ᾽ ἡ ἵλεως, δι᾽ ἧς ὁ τεχνίτης οἰκτείρει καὶ ἐλεεῖ τὸ ἴδιον ἔργον· τετάρτη δ᾽ ἡ νομοθετικὴ μοῖρα, δι᾽ ἧς ἃ μὴ χρὴ γίνεσθαι ἀπαγορεύει:" adeo, ut haec ultima sit quinta praeter

latiore tum occurrens sensu, de universa veluti *causa media*, per *quam* continua conjunctio esse perhibetur Dei cum mundo. Rite vero observandum est, PHILONEM illum *λόγον* easque *vires* accurate a Deo discernere, adeo ut ex Hoc quidem procedant, sed tamen per

---

τὸν λόγον: quod non diserte, addito numero, monet PHILO; paullo inferius ultimas duas *vires* (*τ. νομοθ.* et eam, *δι' ἧς ἃ μὴ χρ. γ. ἀπ. ὁ τεχν.*) nominibus *προστάξεως καὶ ἀπαγορεύσεως* insignit. Hinc perspicitur, philosophum aliam *vim* alia *superiorem* habuisse, pro ratione, qua eas h. l. enumerat. Disertius hoc discrimen apparet exinde, quod paullo inferius (p. 561) *duas priores* una cum *τῷ λόγῳ vires* cum tribus asylis, *trans Jordanum* sitis, adeoque *remotioribus* atque *praestantioribus*, comparat; tres *posteriores* cum tribus asylis *cis Jordanum*, adeoque magis *affinibus* atque simul *inferioribus*. Insuper dictum laudatum ostendit, inter omnes *vires supremum* obtinere locum *τὸν λόγον*, qui Deo sit proximus (conf. p. 561), ex illo procedere reliquas *vires*, prouti *colonias* ex *metropoli*, illumque igitur esse *vim* universalem, reliquas vires speciales continentem. — Putat etiam PHILO, hasce *vires in arca foederis* significatas esse (p. 561); ita nimirum, ut *vis jubens* atque *vetans* efficta sit *legibus*, *in arca* reconditis, *vis misericors* repraesentata sit *arcae operculo*, quod *ἱλαστήριον* idcirco dictum sit, *vis creatrix* una cum *vi regnante* cerni queat *in angelis* (*Cherubim*), *arcae* superimpositis. Excelsus vero ille *λόγος*, philosopho judice, non habet *visibilem* imaginem. Caeterum quam arcte *duae superiores vires*, *angelorum* (*Cher.*) imaginibus expressae, cum *tribus inferioribus* cohaereant, facile intelligitur; inde autem fit, ut PHILO earum omnium nomina non semper accurate distinguat, et saepissime modo duas illas superiores, variis insignitas nominibus (conf. DÄHN., *Geschichtl. Darst.*, I, p. 234 sq.), commemoret. Sed plura de hoc argumento disserere nunc non possumus. Conferri possunt DÄHN., in op. l., p. 202 sqq., KEFERST., in op. l., p. 25 sqq. coll. p. 131 sqq., 168 sqq., — GROSSM., in op. l., qui et variam rationem, qua vox *λόγος* in *scriptis Philoneis* occurrere solent, recenset (II, p. 3 sqq.), et insuper de *τῷ λόγῳ* et *viribus* diserte agit (II, p. 34 sqq.).

se (*zelfstandig*) in hoc mundo sese exserant, quin adeo hic illic diserte tamquam *personae* describantur. Talem autem cogitandi rationem frustra apud PAULUM quaeras (1).

Quas porro *pseudo*-SALOMO atque PHILO proferunt de *manifestatione* Dei sententias, quas hic praeterea affert de *lege non scripta* deque *conscientiae* vi, tales sunt, quales apud Graecos Romanosque scriptores haud raro occurrunt (2). Quodsi autem hosce gentiles cordatiores illa non fugerunt argumenta, facile intelligi potest causa, cur Apostolus ille, cui divinitus munus erat demandatum, ut gentilibus ubivis euangelium annuntiaret, censuerit atque diserte explicuerit, esse *manifestationem* Dei, absolutae *patefactioni*, in CHRISTO *datae*, praeviam.

Denique rite observandum est, tam PAULUM, quam PHILONEM sedulo usum esse V. F., in quo, ut nemo nescit, innumera occurrunt effata de Dei *potentia*, *benignitate* atque *sapientia*, in operibus expressis (3),

---

(1) Haec *distinctio* atque *propria exsistentia* luculentissime effici possunt ex iis, quae p. 166 observavimus et ex dictis ib. not. 3 et 4 citatis; conf. DÄHN., *Geschichtl. Darst.*, I, p. 238 sqq. Philosophum Alexandrinum *τὸν λόγον* atque reliquas *vires et* aliis variis modis spectasse, *et* tamquam *personas* collaudasse, diserte exponit KEFERST., in op. l., p. 88 sqq., p. 192 sqq.

(2) Conf. e. g. CICERO, in *Tuscul. quaest.*, I, 13 (cll. THOL., in c. l., p. 86), qui de Dei virtutibus primariis, omnibus notis, perspicuam pronuntiavit sententiam; de *lege non scripta*, sed *natura* in omnibus atque ubique *vigente*, idem ille egregium protulit effatum, *de Republica*, III, 17 cll. LACTANT., *Div. inst.*, VI, 8, I, p. 451 sq.; conf. SOPHOCL., *Antigone*, v. 450 sqq. Alia dicta KREHLIUS citat, in c. l., p. 74 sq.

(3) *Job.* IX: 6 sqq., *Ps.* VIII, XIX: 2 sqq., *Jes.* XL: 12 sqq.,

in quo insuper inveniuntur dicta de *lege*, *intus* vigente, a *lege*, *scripto* consignata, diversa (1); in quo tandem disertissimae expressae sunt sententiae de miseria ejus, qui peccati *conscientia* cruciatur, de beatitudine hominis, qui Dei favoris sibi est *conscius* (2).

Censemus igitur, *Apostolum* cum PHILONE eam ob causam, si dicta nonnulla *per se* spectes, convenire, non quod ille ex philosophia Alexandrinorum Judaeorum sententias suas petiverit, sed quia, V. F. fuit fons, ut certum est, quo tam ille, quam hic usus est. — Discrimen, quod PAULUM inter et hunc *philosophum* intercedit, facile explicari potest, si tenemus, *illum* divina scripta explicuisse secundum suam cogitandi sentiendique rationem, CHRISTI spiritu illustratam, *hunc* secundum PLATONIS aliorumque philosophorum placita. Negare tamen nolumus, *Apostolum hic illic* in epistolis suis dicendi rationem, *et* alibi, *et* Alexandriae eo tempore usitatam, adhibuisse.

Ex communi illius fontis usu etiam explicari potest causa, nostro judicio, cur *pseudo*-SALOMONIS effata plus semel tantopere cum PAULI conveniant dictis.

---

21 sqq. etc. Ni fallimur ex hoc V. F. communi usu etiam repeti debet causa, cur PAULUS cum PHILONE et *pseudo*-SALOMONE adeo conveniat in polytheismi atque idololatriae descriptione. Conf. SCHNECKENB., p. 115 sqq. De hac convenientia in Cap. V paucis agemus.

(1) *Ps.* XXXVII: 31, *Prov.* VII: 3, *Jes.* LI: 7. — Conferri etiam potest dictum *Jer.* XXXI: 31 sqq. obvium, in quo describitur tempus, quo *lex* divina, nunc *externa*, Dei benignitate efficiente, evadet *interna*.

(2) *Ps.* XXV: 18, XXXII: 1 sqq., LI: 3 sqq., *Dan.* IX: 5 sqq. etc.

PARS II.

DE HOMINE PECCANTE.

INTROITUS.

A disquisitione, quae prima hujus dissertationis parte continetur, ea, quam in hac parte instituemus, prorsus differt. Hactenus nimirum disseruimus de iis, quae PAULUS statuit *cum* de natura, facultatibus atque peculiaribus *carnis* affectionibus, *tum* de explicatione hominis, his omnibus praediti. Nunc perscrutandum est, qualem conditionem revera exstitisse statuat noster, undenam eam repetat, quo tetendisse et quid effecisse eam existimet. Quodsi enim Apostoli scripta vel obiter perlustremus, detegimus, eum ubique atque constanter de depravatione humana agere, vel aliis nominibus insignita, vel etiam saepissime *ἁμαρτία* dicta, quae adeo sit communis, ut nemo ea immunis manserit (1). Alii nempe, Apostolo judice, in pessimam Supremi Numinis ignorantiam prolapsi sunt, omnique vitiorum

---

(1) *Rom.* III: 9 cll. vs. 10 sqq., 19, 23, V: 12 sqq.

generi sese tradiderunt (1); alii quidem Dei Hujusque voluntatis, scripto consignatae, cognitione haud prorsus destituti fuerunt, sed haec vel nullam efficacitatem, quod ad indolem vitamque attinet, exercuit, vel saltem veram probitatem atque integritatem adducere non valuit (2); verbo, omnes, ii adeo, qui per saeculorum decursum interna bonitate prae caeteris eminuerunt, tamen etiam *peccato* commaculati fuerunt (3).

Peccatum hocce simpliciter dici potest *aversio a Deo* (4); hac enim, ex PAULI mente, vel continetur, vel necessario efficitur omnis *pravitas indolis* (5). Nimirum, prouti jam satis exposuimus, prorsus a Deo pendet homo, et unica ratio, qua recta excelsaeque naturae congrua esse potest conditio terrigenae, haec est, ut is Supremum illum continuo quaerat, et secundum Illius sese componat voluntatem (6); hoc neglecto, consilium, quo vivit, turbat, et rite excoli nequit. Quia autem non recte excolitur, sponte oritur interna *perversitas*.

---

(1) *Rom.* I: 21 sqq., *Gal.* IV: 8, *Eph.* IV: 17 sqq., 1 *Thess.* I: 9 cll. *Act.* XIV: 16, XVII: 23 sqq. cll. vs. 30, XXVI: 17 sq. cll. vs. 20.

(2) *Rom.* II: 1 sqq. cll. vs. 17 sqq., III: 9 sqq., *Gal.* III: 22 cll. *Act.* XIII: 24, 27 sqq., 38 sqq., XXVI ll. ll.

(3) *Rom.* IV: 1 cll. vs. 5, vs. 6 sqq.

(4) *Rom.* VI: 10, 13, 22 sq. etc.

(5) *Rom.* I: 18 *impietas* erga Deum (ἀσέβεια) ab indolis vitaeque *perversitate* (ἀδικίᾳ) peculiarem ob causam distinguitur, plurimum tamen talis distinctionis haud tenax est PAULUS; prouti in Cap. IV et Cap. V videbimus.

(6) P. 60 sqq., 152 sqq.

PAULUM in *peccato* describendo disertum esse, non mirum est; etenim ipse istius vim *erat expertus*, et, cum ad CHRISTI pervenisset notitiam, clarissime sibi *conscius* est factus, qualis sit ille, qui sese non *totum* consecret Deo, et Hunc solum quaerere negligat. Hac *conscientia* ductus, generis humani, quale sese ipsi offerebat, miseriam *observavit*, et probe perspexit, quaenam istius *miseriae* esset causa, pariterque quaenam unica omnibus foret salus. Ut hanc penitus recipere possent homines, istam istiusque indolem ab omni parte detegere, explicare atque in clarissimam protrahere lucem necesse esse duxit; quo facto ostenderet, homines ad Illum, a quo prave deflexerant, sese denuo convertere debere; quod tum demum feliciter fieri posse censuit, si perspexissent alii, iique gentiles, ex operibus Illum cognoscere valentes, quam perniciosum sit Illum non agnoscere, vitamque sine Illius notitia sensuque agere, alii, iique Judaei, cognitione quadam externa Illius imbuti, quam vanum sit, sine fiducia continua, in Illo reposita, aliquid spectare atque velle, vel coram Illo factis nonnullis, praestantiae *humanae* prae se ferentibus *speciem*, gloriari.

Omnia, quae de *peccato* docet noster, ex iis, quae unicuique satis erant nota, ex rebus nempe in facto positis atque luculentissimis temporis acti suique testimoniis probat, adeo ut minime hac in re vel sua figmenta proferre, vel fervore abreptus a veritate hic illic deflexisse dici possit. Quam luculentissime hoc apparet ex tribus primis *epistolae ad Romanos* capitibus, in quibus ex ipsa historia iisque, quae unicuique ob oculos erant posita, vel ex V. F. disertis effatis constanter argumentatur. Idem luce cla-

rius effici potest ex orationibus illis omnibus, quas in Disquisitione praeparatoria recensuimus. Apostolum praeterea ex *sui conscientia* et in reliquis argumentis tractandis, et in *peccato* describendo progredi, ibidem observavimus (1), atque paullo superius de *hoc* speciatim significavimus.

Denique omnino tenendum est, PAULUM non *singula peccati* momenta, ordine quodam disposita, exhibere, sed potius, pro opportunitate data, mox ab hac, mox ab alia istud spectare parte. Semper igitur cavendum est unicuique, qui varias sententias, in epistolis orationibusque obvias, conjungere atque ordine disponere velit, ne singula nimis urgeat effata, neglectis caeteris, neve praesertim *principium*, ex quo summus Apostolus progreditur, vel umquam negligat.

(1) P. 63, quos ibi laudavimus fontes, ex quibus sua hausit placita PAULUS, in hocce Introitu continuo respeximus.

CAPUT IV.

DE CAUSA, CUR HOMO PECCARE POSSIT, DE PECCATI STIMULO EJUSQUE IN GENERE HUMANO ORTU.

§ 11.

De causa, cur homo peccare possit.

Primum nobis videndum est, quaenam, ex PAULI mente, in natura humana sit reposita *causa*, qua efficitur, ut homo *peccare* possit. Ut rite hac in re versemur, optimum esse censemus ad classica nonnulla effata, in quibus de *peccato* disserit noster, attendere, et ex illis, quid hicce de tali causa censuerit, efficere.

In *epistolae ad Romanos* exordio legimus, *Dei iram coelitus patefieri super omnem impietatem* erga Illum (*ἀσέβειαν*) *et improbitatem perversitatemve* (*ἀδικίαν*) *hominum, τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων* (1). Formula: *κατέχειν τὴν ἀλήθειαν*, nostro judicio, vocem *ἀσέβεια* spectat, prouti dictio: *ἐν ἀδικίᾳ*, *eandem* vocem, quae praecessit, respicit. Primum jam de

(1) *Rom.* I: 18.

illius formulae *hujusque* vocis sensu videamus, ut qua ratione *illa* et simul vox *ἀσέβεια* ab *hacce* discedat, mox exponamus.

Ἡ *ἀλήθεια*, quae a scriptore commemoratur, ea est *vera* Dei natura, quae in *operibus* expressa invenitur, et quae rectam Supremi Numinis *cognitionem* efficit (1); illam *veritatem*, quam homines, si velint, suscipiunt, *impediunt* (*κατέχουσι*) (2) ii *ἐν ἀδικίᾳ*. In hac nempe, quae eos occupavit, vigere illa non potest, id est, non ita sese exserere, ut eos plane illustret, et ad optima quaeque ducat; sed e contrario intus illa absconditur ab iis, et locum cedit *impietatis* erga Deum dominio. Quia autem eadem illa in hominibus vigere *posset*, et revera aliquando viguit, ipsi auctores sunt *haud excusandi* (3), ut *suppressa* teneatur. Nimirum, *cum Deum cognovissent* terrae incolae, in Unicum *illum non laudes contulerunt, vel gratias Illi egerunt, sed vani facti sunt ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν* (4). Significatur hoc dicto, homines cum *mentis* ope ad *veram Dei cognitionem* pervenissent, *penitus* eam non suscepisse, sed *vanas atque futiles* de Supremo Numine instituisse *ratiocinationes;* inde autem *ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία* (5). De *corde*, ut e praecedentibus effici potest, consulto mentio fit, quia *veritas*, quae aliquando ab hominibus *cogni-*

---

(1) Ib. vs. 19 sq.; vidd. ea, quae exposuimus p. 158 cll. p. 153 sqq.

(2) Verbum *κατέχειν* h. l. significare *impedire*, prouti 2 *Thess.* II: 7, satis probavit FRITZSCH., in c. l., I, p. 56 sq.

(3) *Rom.* I: 20.

(4) Ib. vs. 21.

(5) Ib. cll. vs. 22.

ta fuit, talem non effecit *intellectum*, quali ab illa facultate prorsus susciperetur, quae incitamentorum principiorumque est *sedes* (1), et ita *intime* suscepta veram efficacitatem exercere posset (2). De hujus rei sequela, *offuscatione cordis*, quod recti *intellectus* absentiam probaverat, et in quo perversae cupidines exstiterant, infra agemus (3).

Ex iis, quae disputavimus, ducimus, inter *veritatis suppressionem* et *improbitatem* (*ἀδικίαν*) tale intercedere discrimen, ut *illa* sit nefandus actus, isque internus, qui sponte atque necessario *impietatem* (*ἀσέβειαν*) sensim majorem et, ut sequentia docent (4), ipsam adeo *idololatriam* provocavit; *haec* autem dici mereatur *suppressionis* istius*causa*, id est, perversus internarum virium *habitus*,quo homines id, quod *mente* tenent, rectum *intellectum* non talem efficere curant, ut toto *corde* id suscipiant, sed quo e contrario vane *ratiocinari* praveque *cupere* incipiunt. Genuit, ut sequens capitis

---

(1) Conf. p. 133.

(2) Egregie KREHLIUS (in c. l., ad l. l., p. 43 cll. p. 44), postquam primum significavit, homines aliquando Deum cognovisse, haec dicit: „*Unstreitig nahm er* (PAULUS) *an, dasz sie über das göttliche Wesen auf eine verkehrte Weise räsonnirten, ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν: dieses geschah dadurch, dasz sie die Gotteserkenntnisz als eine Sache der Speculation, nicht des Herzens behandelten. Darauf deuten die Worte ἀσύνετος καρδία, insbesondere aber das Folgende hin: φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν. Hierbei konnte allerdings die Sünde und des Fleisches Gelüste im Hintergrunde lauern; wie es die Erfahrung bei Vielen von denen bestätiget, welche über das Wesen Gottes spekuliren oder vernünfteln.*"

(3) *Rom.* I: 24; conf. Cap. VI.

(4) Ib. vs. 23, 25, 28.

pars docet, *haec ἀδικία* mox diram ipsique naturae contrariam *libidinem* et summam *vitiositatem*, quae vicissim cum *ἀσεβείᾳ* ista atque *idololatria* indivulso, PAULO *judice*, cohaerent (1). Quomodo ipsa ista *ἀδικία* exstiterit, qua homines *veritatem* impediunt, *hîc* non ulterius exponit noster, satis ei est explicuisse, istam una cum *τῇ ἀσεβείᾳ* ipsi homini esse tribuendam.

Quam clarissime ob oculos ponit Apostolus, quid de homine peccante, in re, quam disquirimus, statuendum sit, hocce utens effato: *οὐκ ἐδοκίμασαν τὸν Θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει* (2). *Δοκιμάζειν* enim, ut supra jam observavimus (3), proprie de *judicandi* usurpatur facultate, sed tum ad *voluntatem* transfertur, adeo ut quis secundum id, quod *judicio* comprobaverit, sese *componat*. *Non probarunt* igitur homines, *non operae pretium duxerunt*, *respuerunt Deum tenere in accurata cognitione* (4), vel, ut CALVINI verbis utamur: „*significat* hoc dictum, *eos prava electione praetulisse Deo suas vanitates*, *atque ita voluntarium*, *quo decepti sunt*, *errorem fuisse*" (5).

In eadem epistola, ex qua ea, quae hactenus diximus, desumta sunt, *ἀναπολόγητον* istum dicit hominem PAULUS, qui de altero, perverse agente, *judicat*, at vero *in eo*, *in quo alterum dijudicat*, simul *semet ipsum condemnat*, propterea quod ipse ille *judex eadem facit*, de quibus contra alterum illum sententiam pro-

---

(1) *Rom.* I: 24, 26 sq., 28 sqq. cll. vs. 23, 25.

(2) Ib. vs. 28.

(3) P. 145.

(4) Conf. p. 158 sq.

(5) *Commentarii in* N. T.; - ed. THOLUCKII, 1833-1834, V, ad h. l.

nuntiat. Ita igitur *judicans* ostendit, se *et* ipsum id, quod bonum est, perspectum habere, ejusque *exsequendi* facultate haud destitutum esse, *et* se in altero talem notitiam facultatemque quoque agnoscere (1).

Notatu insuper digna sunt haec verba, quibus Apostolus Romanos Christianos alloquitur: *Num ignoratis, cui vosmet ipsos servos exhibetis, ut ei obediatis, vos revera atque plene servos esse ejus, cui obedientiam praestatis, sive peccati, in mortem* tendentis, *sive obedientiae*, Deo praestitae, *in justitiam* (2). Cum hisce verbis convenit effatum, paullo inferius expressum: *exhibuistis* aliquando *membra vestra serva* τῇ ἀκαθαρσίᾳ καὶ τῇ ἀνομίᾳ εἰς τὴν ἀνομίαν (3). In *epistola ad Thessalonicenses posteriore* illi describuntur, qui *fidem non habuere* absolutae illi *veritati*, in CHRISTO patefactae, *sed delectati sunt* (εὐδοκήσαντες) *improbitate* (ἐν τῇ ἀδικίᾳ) (4). In hoc dicto omnino attendendum est ad vim verbi εὐδοκεῖν, quo diserte ostendit scriptor, tales homines *ultro* peccato indulgere, atque in eo continuo versari (5).

Ex dictis, a nobis citatis, satis superque apparet, hominem peccare posse, quod *facultate* gaudet, cujus ope sese *libere* explicare et ad divina excelsaque omnia sese erigere valet (6). Ut enim *libere* ita sese excolere queat, pariter penes ipsum esse debet, ut a Supremo Numine deflectere et perversitati

(1) *Rom.* II: 1, 3.

(2) *Rom.* VI: 16; conf. 1 *Cor.* X: 5 sqq.

(3) Ib. vs. 19.

(4) 2 *Thess.* II: 12 cll. *Rom.* I: 32.

(5) Conf. p. 146.

(6) Conff. ea, quae p. 139 sqq. cll. p. 150 observavimus.

sese tradere possit, sive, quod eodem redit, *voluntas* illa, qua gaudet, sese exserat necesse est *eligendo* inter bonum atque malum.

Ne vero quis existimet, iis, quae h. l. exposuimus, contraria esse effata, quae Deum ipsum homines perversitati *tradere* atque eos *obdurare* evincere videantur (1), vel quae hominem *nolentem* peccato subesse primo obtutu probare appareant (2), tenendum est, ut infra videbimus, *illa* id, quod necessario ex peccato, semel exorto, sequitur, ob oculos ponere, *haec* peculiarem quandam conditionem hominis *peccantis* exhibere.

§ 12.

De peccati stimulo.

Liberae hujus *voluntatis* possessio, homini vindicanda, unice indicat, quomodo is peccare possit, non quomodo eo perveniat, ut revera peccet. Videndum igitur est, num secundum PAULUM in natura humana aliquid adsit, quod, ubi quis non summa vi ad optima quaeque tendat, peccati evadat stimulus.

Exposuimus antea, Apostoli dictis convenienter, hominem excelso pollere *principio* (τῷ πνεύματι), quod ita sese exserere valet, ut variarum facultatum ope illum prorsus ad Deum extollat; simul vero nobis apparuit, illum *inferioris* atque *sensualis partis*, *carnis*, esse participem; hanc arctissime cum τῇ ψυχῇ

(1) *Rom.* I: 24, 26, 28, IX: 18 cll. vs. 16 sq., 19 sqq., XI: 7 sqq. etc.; conf. Cap. VII.

(2) Ib. VII: 15 sq., 18 sqq.; conf. Cap. VI.

conjunctam (1), affectiones peculiares provocare, easque *naturales minimeque culpandas*, denique omnes omnino, quae eidem naturâ sunt propriae, *irritationes* tum rite egregieque dirigi, cum quis *spiritu ad Deum* est conversus (2). Jam vero fieri potest, ut homo *τῆς σαρκὸς πρόνοιαν* faciat *εἰς ἐπιθυμίας*, easque pravas, vel ut *carne* ad inferiora trahatur (3); quod si obtinet *ἐνέργεια* illa divina, qua pollet, efficacitatem suam exserere desinit, et facultates illâ non amplius diriguntur, sed ad *inferiora mereque humana* deflectuntur. Hanc esse Apostoli mentem, satis superque probare possumus. Ita e. g. dictionem: *εὑρίσκειν* (*εὑρηκέναι*) *κατὰ σάρκα*, de ea adhibet agendi ratione, qua quis suis ipsius viribus *inferioribus* nixus, *factis* (*ἐξ ἔργων*) suis, ad *rectam* cum *Deo rationem*, *τὴν δικαιοσύνην*, pervenire studet (4), et quae opposita est illi animi conditioni, qua quis *cuncta* a Deo repetit, et ab Hoc *solo* salutem quaerit (5). In *epistola ad Corinthios priore* genus humanum consulto hacce depingit formulâ scriptor: *ὅπως μὴ καυχήσηται πᾶσα σὰρξ ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ* (6), quia ille, qui *coram Deo gloriatur suis viribus* innititur *inferioribus*, dum ille, qui *in Deo* (*ἐν κυρίῳ*) *gloriatur*, Huic omnia accepta refert (7). Similis vocis *σὰρξ* usus in iis detegitur effatis, in qui-

(1) Cap. I, § 3 sqq.

(2) P. 147 sq., 150, 162.

(3) *Rom.* XIII: 14.

(4) Ib. IV: 1 sq., 4.

(5) Ib. vs. 3, 5 sqq.

(6) 1 *Cor.* I: 29.

(7) Ib. vs. 31.

bus genus humanum *sibi derelictum* spectat noster (1). Sed disertiora quoque adsunt dicta, id, quod nobis volumus, egregie probantia. Homo, ut observavimus, dum his in terris versatur, necessario, ex PAULI mente, *in carne vivere, obambulare, commorari* debet (2), eodem vero judice, ille *tum* peccato subest, *quum secundum carnem vivit*, animatus *est*, *obambulat*, *militat* (*κατὰ σάρκα ζῇ* (3), *ἐστι* (4), *περιπατεῖ* (5), *στρατεύεται* (6)), quum *carnis cupidinibus, affectionibus, studio, impulsibus* (*ταῖς ἐπιθυμίαις, τῇ ἐπιθυμίᾳ* (7), *τοῖς παθήμασι* (8), *τῷ φρονήματι* (9), *τοῖς θελήμασι* (10) *τῆς σαρκός*) regitur, quum in *ista* prorsus est demersus, atque ab *istius* veluti nutu pendet (*ἐν σαρκί, ἐν τῇ σαρκί* (11), *σαρκικός, σάρκινός ἐστι* (12)). Quin

---

(1) *Rom.* III: 20 cll. vs. 9 sqq., *Gal.* II: 16.

(2) Conff. ea, quae p. 94 attulimus.

(3) *Rom.* VIII: 12 sq.

(4) Ib. vs. 5.

(5) Ib. vs. 4, 2 *Cor.* X: 2.

(6) 2 *Cor.* X: 3.

(7) *Gal.* V: 24, *Eph.* II: 3, *Rom.* XIII: 14, *Gal* V: 16 cll. vs. 17 (*ἡ σάρξ ἐπιθυμεῖ*). In nonnullis dictis *pravae cupidines* vel non, vel haud diserte ad *carnem* referuntur (*Rom.* I: 24, VII: 7 sq., *Eph.* IV: 22, *Col.* 3: 5, 1 *Thess.* IV: 5, 2 *Tim.* II: 22, III: 6, IV: 3, *Tit.* III: 3: conf. usus verbi *ἐπιθυμεῖν* *Rom.* VII: 7, XIII: 9, 1 *Cor.* X: 6); eas vel sic tamen cum *carne* cohaerere, in Cap. V videbimus.

(8) *Gal.* V: 24; — *Rom.* VII: 5 *τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν* tum vigentia, cum homo *ἐν τῇ σαρκί* est, commemorantur.

(9) *Rom.* VIII: 6 sq. cll. vs. 5.

(10) *Eph.* II: 3.

(11) *Rom.* VII: 5, VIII: 8 sq.

(12) *Rom.* VII: 14, 1 *Cor.* III: 1, 3 sq. Forma *σαρκικός* a forma

adeo omnis omnino generis vitia, *carni* tribuit PAULUS (1), et peccati sedem eo, quo *et* mox, *et* in Capite VI indicabimus, sensu, isti haud obscure assignat (2). Ista homines, illo judice, prorsus dirigere potest, quando externe venditant sui abnegationem, et huic convenientia aliis obtrudunt *mandata* varia *praeceptaque*, talia adeo, qualia (*ἅτινα quaecunque*) *speciem quidem sapientiae* cujusdam sublimioris *prae se ferunt* (*ἅτινά ἐστι λόγον μὲν ἔχοντα σοφίας*), *tum* nempe, *cum* ejusmodi homines *cultum speciosum*, Deo praestitum (*schijn-godsdienst*), *submissum de se judicium studiumque*, in externa forma, *et duritiem contra corpus*

σάρκινος proprie ita differt, ut illa *conditionem directionemve* indicet, *carnem* redolentem, haec *materiam* ipsam, *qua quid constet;* attamen utraque forma a PAULO permutari videtur; etenim *Rom.* VII: 14, 1 *Cor.* III: 1 *σάρκινος* (prouti multi interpretes, codicum auctoritatem respicientes, legendum esse statuunt) invenitur eadem ratione, qua alibi *σαρκικός*. Censet vero FRITZSCHIUS (in c. l., II, p. 46) cum in N. F., tum in Patrum ecclesiasticorum scriptis, talem permutationem, ubi de peccato agitur, *librariorum errori* tribuendam esse, atque sine dubio formam *σαρκικός* recipiendam esse. MEYERUS e contrario (ad ll. ll.) formam *σάρκινος* strenue defendit, eamque consulto a PAULO adhibitam esse statuit, ut natura *mere* humana indicetur (*die rein menschliche Wesenheit*), quae, tamquam *talis*, *spiritui divino* contraria sit (*das unpneumatische Naturwesen*); formâ *σαρκικός* significari arbitratur idem interpres, *directionem*, *τῇ σαρκί* convenientem, *spiritui divino* renitentem. Talis vero distinctio nobis, praecipue ad *Rom.* VII: 21, 1 *Cor.* III: 3 attendentibus, improbanda videtur; verbo, quodsi ll. ll. forma *σάρκινος* legenda est, hujus vis ab altera illa, si quid videmus, vel parum, vel nihil discedit.

(1) *Gal.* V: 19 sqq.

(2) *Rom.* VII: 18 cll. vs. 25, VIII: 3.

(ἐν ἐθελοθρησκείᾳ καὶ ταπεινοφροσύνῃ καὶ ἀφειδίᾳ σώματος) affectant; qualia autem *mandata praeceptaque non in* vero *quodam* sunt *honore*, quia nimirum *ad carnem implendam* inserviunt (οὐκ ἐν τιμῇ τινί, πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκός) (1).

Causa, cur tam lata *carni* assignetur ditio, nostro judicio, haec est, quod ista hominis, qui non amplius Deo sese consecrat, evadit *vis movens*, illum totum dirigens. Hoc si tenemus, facile explicatur, cur ista etiam gignere censeatur vitia, quae primo obtutu cum *sensualitate*, strictiore sensu, non cohaerere videantur; sive, ut distinctius idem enuntiemus, ubi illud *principium excelsum*, quod, Deo volente, *superiores* agere debet *partes*, atque omnes facultates illustrare et incitare valet, negligentiâ ejus, qui *libera* voluntate est praeditus, succumbere incipit impulsibus affectionibusque, ex *inferiore* progressis *vi*, *haec* suffocat *illud principium illiusque* locum occupat.

Quia homo *carne* instructus cum *hacce* cohaeret terra, in PAULI epistolis interdum pro vocibus σάρξ,

---

(1) *Col.* II: 23 cll. vs. 18 sqq. In hac sententia explicanda secuti sumus HUTHERUM (in e. l., ad h. l.); v. d. GRIETH. (in disp. l., p. 73 sqq.), observans, vocem ταπεινοφροσύνη semper in N. F., etiam III: 12, *virtutem* designare, formulam: λόγον ἔχειν, interpretatur *rationem habere*, vocem ἐθελοθρ. vertit *Deum sponte colere*, dictione: ἀφ. τ. σ., boni quid indicari efficit ex 1 *Cor.* IX: 27, igiturque putat, τὰ ἐντάλματα καὶ διδασκαλίας τῶν ἀνθρώπων (*legis Mosaicae praecepta*) a PAULO laudibus ornari. Minus vero hoc probabile esse censemus propter rationem, qua Apostolus de iis vs. 20 sq. et etiam vs. 22 loquitur, praeterea ἡ ταπεινοφροσύνη (cll. vs. 18) non ipsa in nostra expositione tamquam vitium proponitur, sed ejusdem vana *species*, quam prae se ferebant falsi doctores.

σαρκικός, *σάρκινος* adhibentur voces *γῆ* atque *ἐπίγειος*; talis prodit usus in formulis: *τὰ ἐπὶ τῆς γῆς* (1), *τὰ ἐπίγεια φρονεῖν* (2). Ubi hîc illic vox *σάρξ* atque vox *κόσμος* inter se permutantur, haec designat *genus humanum*, in *terra* vivens atque vigens, *a Deo aversum* et hanc ob causam *inferioribus* quibusque *studiis* et *affectionibus*, *e carne ortis*, rectum (3). Vox *αἰών* (*ὁ αἰὼν οὗτος*) de *saeculo*, quo *hujusce mundi* homines vivunt, semel iterumque usurpatur (4). Dictiones denique: *κατὰ ἄνθρωπον περιπατεῖν* (5), *κ. ἀνθρ. ποιεῖν τι* (6), *con-*

---

(1) *Col.* III: 2 cll. vs. 5.

(2) *Phil.* III: 19.

(3) 1 *Cor.* I: 20 cll. vs. 21, 27 sq., II: 12; conff. I: 26, 29; ex quibus dictis inter se comparatis ratio, inter voces *κόσμος* atque *σάρξ* intercedens, satis perspicitur. Non dissimili ratione de *τῷ κόσμῳ* loquitur PAULUS *Rom.* XI: 12, 15, 1 *Cor.* V: 10, XI: 32, 2 *Cor.* V: 19, VII: 10, *Phil.* II: 15. — 1 *Cor.* VII: 31 admonet lectores noster, ut illi, qui *mundo utuntur*, *eum non prorsus consumant utendo* (conf. v. d. GRAT., in comm. l., p. 57), id est, ne ei, sese nimis tradant, propterea quod ejus *habitus praeterit*; intelligitur tum voce *κόσμος* praesens conditio hujus *mundi*, id est, hominum eorumque, quae hos spectant, mali notione haud adjuncta cll. ib. vs. 33 sq.; *Gal.* VI: 14 eidem voci inanitatis significatio adjuncta est. — *Tit.* II: 12 *τὰς κοσμικὰς ἐπιθυμίας* commemorat scriptor, id est, perversas *cupidines*, quales in *hoc mundo* inveniri solent.

(4) 1 *Cor.* I: 20, II: 6, 8, III: 18, *Rom.* XII: 2, 2 *Cor.* IV: 4, — *Gal.* I: 4 (*ὁ ἐνεστὼς αἰὼν πονηρός*), — 2 *Tim.* IV: 10 cll. 1 *Tim.* VI: 17, *Tit.* II: 12 (*ὁ νῦν αἰών*); *Eph.* II: 2 ignominia insignit scriptor *τὸν αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου*, quia in hac epistola saepius talibus pleonasmis delectatur.

(5) 1 *Cor.* III: 3.

(6) Ib. XV: 32. Alibi vox *ἄνθρωπος*, vel in singulari, vel in plurali posita, occurrit, ubi de homine, per se spectato, eoque non cum Deo conjuncto, cogitatur (*Rom.* II: 29, III: 4: IX:

veniunt cum formulis, in quibus vox *σάρξ* tali ratione expressa est; tum nempe de *homine*, qualis vulgo est, cogitatur *carnis* cupidinibus incitationibusque indulgente. Formulae: *κατὰ ἄνθρωπον*, *ἀνθρώπινον λέγειν*, de dicendi ratione inveniuntur, rebus excelsis divinisque haud consentanea, in hominum, *carnis* studio nondum prorsus liberatorum, commodum instituta (1).

Minime necesse esse, ut homo *carnis* dominio succumbat, supra jam satis expressimus, nunc autem disertissimis nonnullis effatis, ad rem, quam hìc exponimus, pertinentibus, ulterius confirmare possumus. Corinthios e. g. admonet noster, *ut semet ipsos puros praestent ab omni contaminatione et spiritus, et corporis* (2); Galatas excitat: *carnis cupidinem ne perficiatis* (3); — de *carnis* interitu, *spiritus* vigori atque saluti necessario, etiam mentionem facit (4), *eosque*, qui CHRISTO sese consecrarunt, *carnem cruci affixisse* (5) *una cum istius affectionibus cupidinibusque* pravis

---

20, 1 *Cor.* I: 25, II: 5, *Gal.* I: 1, 10 sqq., II: 6, 16), adeo ut illa vox affinis sit vocibus *σάρξ*, *κόσμος*, *αἰών*; conf. 1 *Cor.* II: 13, ubi de *διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις* sermo fit.

(1) *Rom.* III: 5, VI: 19; — 1 *Cor.* IX: 8 dictio: *κατὰ ἄνθρωπον λαλεῖν*, id designat, quod quis auctoritate *mere humana* profert; *Gal.* III: 15 formulam: *κατὰ ἄνθρωπον λέγειν*, usurpat scriptor, quia ad Deum id, quod apud homines obtinere solet, transfert. Distinctio, quam instituit MEYERUS (in c. l. ad *Rom.* VI: 19), *κ. ἀνθρ. λέγ. λαλ.* spectare *modum* dicendi, *ἀνθρώπινον λέγ.* *argumentum* ipsum, nobis nimis subtilis videtur.

(2) 2 *Cor.* VII: 1.

(3) *Gal.* V: 16 cll. *Rom.* XIII: 14.

(4) 1 *Cor.* V: 5.

(5) *Gal.* V: 24.

pronuntiat; haec autem duo posteriora dicta cum proprio sensu accipi nequeant, tum enim de suicidio cogitandum foret, unice indicant, *carnis* conditionem perversam removendam esse, adeoque satis probant, hominem, quamquam in *carne* vivit, ab ejus labe immunem esse posse, prouti unicus ille atque divinus homo, JESUS CHRISTUS, qui eandem habuit *carnem*, qua homines vulgares ad peccatum instigantur, qui *corpus* habuit *sensuale*, numquam istius incitationibus succubuit (1).

Hoc vero prouti luculentissime ex PAULI epistolis effici potest, ita ab altera parte simul nobis fatendum esse videtur, illum, *carnem* toties in peccato describendo commemorantem, revera agnovisse, esse affectiones, ex *inferiore natura* orientes, quarum rectum moderamen *studium* ab homine exigit, adeo *constans* atque indefessum, ut nemo, nisi perfectus Dei filius, ex Apostoli mente, vel istis resistere valuerit, *vel* aliquando istis deditus, dein autem per CHRISTUM earundem dominio liberatus, istas *statim* atque *penitus* superare efficax fuerit (2).

---

(1) *Rom.* VIII: 3, *Col.* I: 22, 1 *Tim.* III: 16; non prorsus dissimilem sensum, nostro jndicio, habet dictum *Eph.* II: 15 inveniundum; vid. Cap. VIII.

(2) De lucta Christianorum contra *carnis* vim perversam diserte agitur *Rom.* VIII: 12 sq., *Gal.* V: 13 cll. 14 sq., 16 sqq.; — *Rom.* VI: 19 PAULUS dicit, se *ἀνθρώπινον λέγειν διὰ τὴν ἀσθένειαν τῆς σαρκός* lectorum, id est, propterea quod hi, qui jam Christiani erant, etiamnum *debilitati morali*, ex *carnis* prava conditione repetendae, obnoxii erant. Formula ea (*δ. τ. ἀσθ. τ. σ.*) *Gal.* IV: 13 recurrit, sed hic nobis denotare videtur, Apostolum *propter calamitatem* quandam *physicam* (tali *calamitate efficiente*), cujus

Hocce autem minime difficile intellectu est. Homo enim hac in terra vivit, medium, quo in ea vivere potest, est *caro;* haec extrinsecus a rebus, quibus terrigena cingitur, accipit impulsus, qui eo facillime illum ducere possunt, ut ad terram solam sese convertere incipiat, et ea, *quae cernuntur* atque *in tempus modo exsistunt*, *spectet* prae iis, *quae haud cernuntur* atque *aeterna sunt* (1), utque ita rerum praesentium gurgite prorsus involvatur.

Qua ratione vero ad istos impulsus voluntate sua sese convertere incipiat homo, adeo ut incitationes

---

perpessione atqne sensu *caro* cruciatur (p. 147 sq. cll. 150), Galatiam adire et in hac regione commorari coactum, *id* instituisse, de qno in subsequentibus mentio fit, nempe *euangelium priore vice* (*τὸ πρότερον*) *annuntiare* Galatis; hi, prouti vs. 14 legimus, *tentamen illud*, quod iis tum erat positum *in misera ista carnis conditione* Apostoli (*τὸν πειρασμὸν ὑμῶν ἐν τῇ σαρκί μου*: conf. de hac lectione MEY. in c. l., p. 132), id est, Apostolum ipsum, ita *tentatum*, *non spreverant neque respuerant*, adeo nt illi, euangelii praeconi, non aures praebuissent, *sed* e contrario *illum receperant*, *tamquam Dei nuntium*, *tamquam* CHRISTUM JESUM. — V. d. GRIETH. (in disp. l., p. 91 sqq.) ab hac interpretatione recedendum esse putat, et formulam, l. l. obviam, de Galatis, *carne debilibus* (prouti *Rom.* VI l. l.), antequam PAULUM audivissent, intelligendam esse defendit, propterea quod, si de *calamitate* quadam *physica*, ab illo ipso perlata, cogites, et permutatio adsit vocum *σῶμα* et *σάρξ*, et *Praepositioni διά*, *post se habenti Accusativum*, sua non constet vis. Nentrum vero argumentum contra explicationem, quam exhibuimus, valet. Ille autem v. d. non satis tenet, aptius esse vocem *σάρξ* vs. 13, pronti vs. 14, ad *ipsum* PAULUM referre. Praeterea bujus versus 14 interpretatio, quam attulimus, melius simpliciusque nobis procedere videtur, quam ea, quae ab illo praebetur in disp. l., p. 93.

(1) 2 *Cor.* IV: 18.

cupidinesque pravae exsistant, sive quaenam sit *perversitatis prima genesis*, numquam explicatur ab Apostolo, cujus non erat philosophice de peccato disquirere, sed unice strenue admonere lectores, ut *carnem*, quae, experientiâ magistrâ, ad istud incitaret, recte moderarentur atque in optima quaeque dirigerent (1).

---

(1) Opposuere sese Theologi, nomine clari, sententiae, vocem *σάρξ* a PAULO, de *peccato* agente, usurpari de *sensuali* atque *inferiore* hominis *parte* sive *sensualitate*, ut ajunt. Ita REICHIUS (in c. l., I, p. 460 sq.) illam saepius indicare censet *peccatum* ipsum, *fleischlicher*, *sittlich-verwerflicher Sinn.* STIRMIUS (in comm. l., p. 19 sqq.) illam de *sui studio*, *sensualitatis* notione vel exclusa vel inclusa, haud raro accipiendam esse putat. NEANDER (in op.: *Gesch. d. Pfl. und Leit.* etc., II, p. 574 sq.) attendit ad vim dictionum: *κατὰ ἄνθρωπον περιπατεῖν* (1 *Cor.* III: 3) et *ψυχικὸς ἄνθρωπος* (ib. II: 14), idem, illo judice, indicantium, quod alibi *κατὰ σάρκα περιπ.* et *σαρκικὸς ἄνθρ.* Simul observat ille affinitatem notionum, quas habere judicat voces *σάρξ*, *κόσμος*, *πνεῦμα τοῦ κόσμου* (1 *Cor.* II, 12; conff. ea, quae diximus p. 190 *sq.*); inde autem ducendum esse putat, vocem *σάρξ*, *mali moralis sensum* habentem, designare *naturam humanam* ipsam, *a Deo aversam.* THOLUCKIUS (in c. l., p. 51 sq.) non multum ab hac sententia discedit, statuit nempe eandem vocem, *tali sensu* obviam, denotare, *hominem* (id, *quod* mere *humanum* est, das *Menschliche*), quatenus *divini spiritus ope haud vigeat*, *Deoque sese non consecret*, sed *sibi* soli *vivat.* MÜLLERUS praecipue disertus est in illa voce illustranda tam ex V. F. hujusque *libris Apocryphis*, quam ex N. F. toto (in op. l., I, p. 387 sqq.); illa autem in PAULI epistolis, ubi mali notione adjuncta invenitur (ib., p. 492 sqq.), *vel* denotari putat, istam hominis *directionem:* „*welche in Lust und Begierde den Gütern der Welt zugekehrt und darum von Gott abgewandt ist*," prouti in talibus formulis, quales p. 187, not. 3, 4, 5, 6, 11 et 12 attulimus, *vel*, ubi eadem vox opponitur voci *πνεῦμα*, *spiritum sanctum* tum ex MÜLLERI mente designanti: „*das Leben und Weben des Menschen in den Dingen der Erscheinungswelt* (*Gal.* V: 17, 24 cll. vs. 13 sqq., *Rom.* VIII:

Ea, quae in PAULI epistolis de *carne* occurrit, sententia in V. F. nusquam, si quid videmus, tam diserte atque enucleate adumbrata invenitur (1).

4-13 etc.)", *vel:* „*das gesammte erscheinende, offenbare Dasein des Menschen, das Leben desselben in der Welt nach allen seinen Beziehungen* (*Rom.* VII: 14-25)". Alios, qui vel antiquiore, vel recentiore tempore, vocem σάρξ aliud quid, quam *sensualitatem*, indicare censuerunt, citat MÜLLERUS (in op. l., I, p. 401 sq.). — Tali ratione procedunt viri illi egregii, quos laudavimus, quia ipsi maximopere alieni sunt a sententia, peccatum scaturire *e sensualitate*, et hanc ob causam summum Apostolum tale protulisse placitum ferre nequeunt (conff. ea, quae jam monuit AUGUSTINUS, *De civitate Dei,* XIV: 3, opp. ed. *ordinis* S. BENEDICTI etc. 1700-03, VII, p. 266 sq.; — vidd. REICH., l. l., STIRM, in comm. l., p. 17 sqq., NEAND., in op. l., II, p. 572 sqq., THOL., l. l., MÜLL., in op. l., I, p. 377 sqq. cll. p. 350 sqq.). Facile illis concedimus, peccatum, secundum PAULUM, non *ex tali fonte* originem ducere, sed, ut supra jam diserte exposuimus, unice istud referri posse judicamus ad hominem, libere a Deo sese avertentem, propterea quod τῆς σαρκός impulsus constanter rite moderari negligit; vocem autem σάρξ naturam hominis *inferiorem*, *terrenam*, *sensualem* designare statuimus, quia talis est vocis notio propria (p. 93 sqq.), quam non satis tenent viri illi docti. Quodsi autem ita placitum totum de τῆς σαρκός in peccato excitando vi, ex PAULI mente, accipimus, prouti fecimus, non valent contra nos argumenta, quae MÜLLERUS et qui cum eo faciunt protulerunt, ut sententiam profligarent, *peccatum ex sensualitate* secundum Apostolum derivandum esse.

(1) Putat GESENIUS (in *thes.*, in v. בָּשָׂר), dissentiente MÜLLERO (in op. l., p. 388), *Eccl.* V: 5, II: 3 peccatum ad *carnem* referri, prouti etiam v. d. GRIETH. (in disp. l., p. 17) statuit, tam in dictis ll. ll. expressis, quam in iis, quae *Eccl.* XI: 10, *Gen.* VI: 3 leguntur, *affectiones animi malas* ab *interpretibus Alexandrinis*, vocem בָּשָׂר Graece σάρξ reddentibus, respici. Nostro vero judicio *Eccl.* V: 5 cll. vs. 3, 4 *os*, *imprudenter votum* faciens, efficere dicitur, ut *caro peccet*, quia haec *fragilis* atque *indigens*

Idem affirmandum est, nostro judicio, de *libris Apocryphis* (1).

In N. F. e contrario haud pauca, eaque satis diserta, sunt effata, luculenter talem de *carne* sententiam exhibentia, qualem apud PAULUM invenimus.

Ita JESUS discipulis suis dicit, *spiritum quidem promptum esse* ad bonum peragendum, *carnem vero debilem* (2). In *euangelio Johanneo* idem coram NICODEMO profitetur: *id, quod ex carne natum est, caro est, et id, quod ex spiritu natum est, spiritus est* (3); indicat Dei filius hisce verbis, si ad prae-

---

plus exigit, qnam ut homo *votum nimium* praestare possit; — *Eccl.* II: 3 commemorat poëta decretum, quod capiebat, de *carne* marcescente, *vino sustentanda*, cum tamen *animum sapientiâ duceret*, id est, eo vini usu, *parti physice debili* necessario, non turbaret; — *Eccl.* XI: 10 jubet scriptor, *malum a carne removere*, hanc illud excitasse vel effecisse, non diserte ab illo ennutiatur; — *Gen.* VI: 3 vox בָּשָׂר, si ad verba praecedentia: *in aeternum*, *spiritus meus* (nempe Dei), attendimus, unice humanam *fragilitatem* indicat. Negare tamen nolumus, in nonnullis dictis illa voce ita debilitatem *physicam* expressam esse, ut impotentiae *moralis* significatio haud exclusa sit; vid. e. g. *Joël* III: 1 sqq.

(1) Conf. MÜLL., in op. l., p. 388 sq. *Jes. Sir.* XXIII: 16 vox *σάρξ* unice inservit ad *corporis fragilitatem* indicandam (vid. p 109), prouti apparet ex verbo *καταποθῇ*. Idem valet de dicto XXVIII: 5 obvio cll. vs. 1 sqq., praecipue vs. 3 sq., 6.

(2) *Matth.* XXVI: 41 cll. *Marc.* XIV: 38. Hoc monitum, si ea, quae praecedunt, respicimus (*Γρηγορεῖτε καὶ προσεύχεσθε*), non ad discipulos JESU *solos*, *gravi hocce temporis momento καθεύδοντας* (vs. 40), pertinet, prouti MÜLLERUS censet (in op. l., p. 378), sed in universum valet.

(3) *Joh.* III: 6 vernacule: „*Wat uit het vleesch geboren is, is een vleescheswezen, en wat uit den geest geboren is, is een geesteswezen.*" Si ita interpretamur hoc dictum, evitatur, ni fallimur, dif-

cedentia et proxime sequentia attendimus, hominem *generatione vulgari* participem factum esse *naturae inferioris atque sensualis*, ad *hunc terrenum ordinem* pertinentis, eumque, summa vi ad *sublimiora* adspirare respuentem, in *isto* solo *haerere;* eundem autem, *spiritu regeneratum*, hunc etiam plane *redolere*, et idcirco ad *τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ* sibi aditum praebere. *Carnis* igitur vis *tum*, ex JESU mente, perversa evadit, *quum* homo, qui libere ad excelsiora sese erigere valet, istius affectionibus impulsibusque constrictus manet, iisdemque se duci sinit (1). Ab hocce effato non prorsus differunt ipsius JOHANNIS verba: *Quotquot illum* (JESUM) *acceperunt, praebuit iis facultatem* (*potestatem*), *ut Dei evaderent liberi;*

---

ficultas, quam commemorat v. d. GRIETH. (in disp. l., p. 65), contendens: „*interpretes*, qui *his verbis natales vitae humanae autumant opponi natalibus vitae Christianae, in priore membro alteram notionem tribuere cogi Genitivo σαρκός, alteram Nominativo σάρξ*," — „*cum* tamen *in posteriore membro vocabula Πνεύματος et Πνεῦμα eandem notionem habeant.*" Ipse v. d. indicare arbitratur id dictum *vivendi rationem, ex pravis opinionibus et cupiditatibus exortam*, quibus quis *ita subjectus* sit, *ut eas omnino sequatur;* et sic etiam sequentia verba accipit *de vivendi ratione, a Spiritu profecta* etc. Huic vero explicationi nobis obstare videntur ea, quae vs. 3-5 cll. vs. 7 sq. leguntur; in hisce enim perspicue hominis *regeneratio* ejusdem *generationi* opposita cogitatur.

(1) MÜLLERUS autumat (in op. l., I. p. 378), hoc dictum nihil de peccati fonte afferre, et unice denotare, *nativitatem sensualem, sensualem vitam* provocantem, minime aditum homini largiri ad *regnum Dei*, sed *solam nativitatem ex sancto divinoque principio, novam divinamque vitam* efficientem. Quatenus vero voci σάρξ mali significatio h. l. adjuncta esse *possit*, jam expressimus. De notione vocis πνεῦμα in Cap. X videbimus.

iis nempe, *qui illum fide talem, qualis est, assumunt* (τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ), qui suum *ortum* divinum atque spiritualem *non repetiverunt ex sanguine proavorum* (οὐκ ἐξ αἱμάτων), *neque ex carnis impulsu* (οὐδὲ ἐκ θελήματος σαρκός), *neque ex viri cupidine* (οὐδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρός), *sed ex* ipso *Deo* (ἐκ Θεοῦ) (1). — In eodem *euangelio* JESUS Judaeos perstringit, κατὰ τὴν σάρκα *judicantes*, id est, in *judicando* pravis affectionibus opinionibusque, ex *carnis* vi perversa ortis, indulgentes (2). Similis vocis σάρξ usus luculenter quoque detegitur in hocce JOHANNIS dicto (3): *omne, quod in mundo est*, inquit, *carnis cupido* (4) *et oculorum cupido*, — qua prior ista sese manifestare solet (adeo ut quis *avidis* oculis

(1) *Joh.* I: 12, 13. Maxime nobis placet ea versus 13 interpretatio, quam attulit CALVINUS (in c. l., III, ad h. l.), qui censet, Euangelistam dictione: ἐξ αἱμάτων, perstrinxisse superbiam Judaeorum: „*qui semper generis sui dignitatem in ore habebant, quasi ex sancta progenie orti, naturaliter sancti essent;*" vocem αἷμα *in numero plurali positam* esse dicit a JOHANNE, *quo longam generis successionem melius exprimeret*; dictiones: ἐκ θελ. σαρκ., ἐκ θελ. ἀνδρ., idem secundum illum interpretem significant; etenim, illo judice, *rem unam diversis verbis repetens Euangelista, eam melius inculcat, et altius mentibus infigit.* Ab hac interpretatione discedit v. d. GRIETH., in disp. l., p. 65 sq.

(2) *Joh.* VIII: 15; conf. v. d. GRIETH., in disp. l., p. 65.

(3) 1 *Joh.* II: 16.

(4) Recte v. d. GRIETH. (in disp. l., p. 64) contra KÖSTLINUM (in op. l., p. 297) et MÜLLERUM (in op. l., p. 392) defendit, formulam: ἡ ἐπιθυμία τῆς σαρκός, h. l. *ejusdem esse amplitudinis, atque apud* PAULUM (*Gal.* V: 16, 24, *Eph.* II: 3); strictiorem illi vindicandam esse notionem, THOLUCKIUS (in c. l., p. 52) quoque statuit.

res *mundanas* adspiciat), — et *vitae* terrenae *luxuria*, non ex *Patre procedit, sed ex* ipso *mundo originem repetit.*

Quamquam vero JOHANNES atque JESUS *carni* stimulum ad peccandum assignant, procul tamen absunt a sententia, unumquemque, istius participem, *peccandi* teneri *necessitate.* Vel luculentissime hoc apparet ex dicto illo Euangelistae: ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο (1), quo indicat, Dei filium ejusdem prorsus *naturae* participem fuisse *inferioris*, qua homines vulgares ad perversas quasque cupidines duci videas; ista vero, prouti significat JOHANNES, JESU fuit medium, quo *ille* inter *homines hac in terra* σκηνοῦν valuit, *suumque splendorem* (τὴν δόξαν αὐτοῦ) *conspiciendum* praebere potuit. — Ab hoc hujus vocis usu non multum differre videtur ratio, qua JESUS ipse, in eodem euangelio cum Judaeis disputans, de *pane*, *quem largiturus esset* loquitur, id est, de *carne sua*, *quam*, tamquam *panem*, se *daturum esse* dicit *pro mundi vita.* Cum hisce conveniunt ea, quae in eadem disputatione affert Dei filius de *carne sua edenda atque sanguine suo bibendo*, ut *quis vitam aeternam* vereque spiritualem in se habere posset (2). Intelligit, haec adhibens dicta, vitam suam ipsius prorsus spiritualem atque divinam, quam per *carnem*, nulla peccati labe contaminatam, *terrae* incolarum oculis subjiciebat, et in eorum commodum *hîc* agebat; hanc *vitam* ut percipere et in se recipere possent homines, sese intime cum ipso, qui σάρξ

---

(1) *Joh.* I: 14 cll. 1 *Joh.* IV: 2, 2 *Joh.* vs. 7.

(2) *Joh.* VI: 51, 53 sqq; retinemus verba: ἣν ἐγὼ δώσω (vs. 51), quae e textu eliminant LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS.

ἐγένετο, conjungere, ipsius *carnem* veluti *edere sanguinemque bibere* debebant. Talem esse JESU mentem, facile percipimus, si observamus, illum *vitam suam*, *quam per Patrem* se *agere* profitetur, excelsam divinamque, comparare cum *vita*, redundatura in hominem, *ipsum edentem* (1). Sed vel clarissime ille ea quae antea dixit, illustrat verbis: *Spiritus est*, *qui vitam gignit*, *caro* per se *nullam affert utilitatem*, *verba*, *quibus vos allocutus sum*, *spiritus sunt atque vita sunt*, id est, illa effata ad *spiritum* in vobis efficiendum *vitamque spiritualem* gignendam unice inserviunt, propterea quod illa, ex talibus progressa fontibus, a me pronuntiantur (2).

---

(1) Ib. vs. 57.

(2) Ib. vs. 63. Causa, cur Dei filius de *carne sua edenda*, tamquam *pane*, loquatur, petenda est ex iis, quae vs. 26 et 27 de *cibo*, quem ille *τῷ ὄχλῳ* praebuerat (vs. 5 sqq.), leguntur, et quae vs. 31 et 32 de *cibo*, *coelitus* descendente (*manna*), quo Israëlitae aliquando in deserto erant fruiti, inveniuntur. In *tota* hacce disputatione (inde a vs. 27) JESUS *vitam suam*, origine *coelestem*, quam *his in terris* agebat, spectat. Assentimur hanc ob causam viro d. GRIETH. (in disp. l., p. 86 sqq.), qui dictionem: *Καὶ ὁ ἄρτος δὲ, ὃν ἐγὼ δώσω κτλ.* (vs. 51), non de morte JESU intelligi posse defendit, et *Futurum δώσω explicandum esse* statuit ex *Futuro versus* 27, „*unde*" inquit „*tota haec oratio Allegorica initium cepit;*" *Praesens* autem *εἰμι* (in initio versus 51, *ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος κτλ.*) *perspicue significare* censet, JESUM *se talem proposuisse*, *qualis tunc et esset et futurus esset iis*, *qui fidem suam in eo collocarent* (cll. vs. 29, 35, 37, 45, 47). Addit hisce v. d., *cum ex vs.* 35 *aliisque locis*, *tum ex principio hujus collocutionis vs.* 27, *luculenter apparere*, *vocabulum ἄρτος ad tempus Praesens esse referendum*, igiturque *huc quoque vocabulum σάρξ*, *quippe ei respondens*, *referri debere;* denique exponit, *nexum*, quo ea, quae vs. 51 sqq. leguntur,

In *epistola ad Hebraeos* ea τῆς σαρκός notio, in qua explicanda versamur, haud deest. Consulto enim scriptor, miseriae affectiones, quas CHRISTUS hisce in terris sustinuit, describens, incipit a commemoratione *dierum carnis;* ut hac dictione significantius adumbret, illum Dei filium, miserrimam sortem experientem, *sollicitationibus inferioris naturae* non fuisse liberum, et tamen istius *vi perversa* numquam fuisse contaminatum; sed e contrario illum ope *eorum, quae perpessus est, obedientiam didicisse, et ad perfectionem* summam *esse progressum* (1). In eadem epistola legimus, JESUM nobis *instaurasse aditum, ad sancta* sive coelos ducentem, *tamquam viam recentem atque vivam* διὰ τοῦ καταπετάσματος, τοῦτ᾽ ἔστι τῆς σαρκὸς αὐτοῦ. Quod dictum indicat, Dei filium, in terra agentem patientemque, suam *carnem* ab omni *mali* labe immunem servasse, atque *istius* ope suam praestantiam exseruisse, adeo ut per *istam,* tamquam per

---

cum iis, qnae vs. 61 sq. inveninntur, *conjuncta sint*, *impedire*, *quominus* putemns, CHRISTUM mortem suam formulâ: τ. σ. διδ., spectasse; jndicat nimirum, *Pronomen* τοῦτο (vs. 61) *ad omnem disputationem sυperiorem respicere*, seqnentia autem: ἐὰν οὖν θεωρῆτε κτλ. (vs. 62), ad *mortem* JESU, adeo nt haec verba *argumentum* ab eo, qnod snpra expositum est, diversnm contineant, non vero in hisce *gradatio fiat ab audiendo ad videndum*, pronti nonnulli interpretes arbitrantur. — In ipsa dictorum allatorum interpretatione a nobis eatenus discedit v. ille d., quatenus, postqnam vs. 51 cll. vs. 53 sqq. vocem σάρξ indicare statuit *pietatis virtutisque studium*, *in* JESU *carne vitiositatis experte conspicuum*, vs. 63 *mali* notione adjnncta eandem accipit de iis, qui, JESU audito, *perseverare* eligerent *in carnis suae*, *Spiritui* non subjectae, *opinionibus et cupiditatibus*,

(1) *Hebr.* V: 7 sqq. cll. II: 14.

velum, praebuerit viam, qua nos incedentes coelos intremus; ad quos CHRISTUM, tamquam *prodromum*, nos praecessisse judicat scriptor (1).

In epistolis, PETRO tributis, similis vocis **σάρξ** usus non desideratur, prouti effici potest ex dicto: ***Χριστοῦ οὖν παθόντος (ὑπὲρ ἡμῶν) σαρκί, καὶ ὑμεῖς τὴν αὐτὴν ἔννοιαν ὁπλίσασθε, ὅτι ὁ παθὼν (ἐν) σαρκὶ πέπαυται ἁμαρτίας*** (2). Ubi CHRISTUM *passum esse carne*, perhibet Apostolus, indicat, illum talem exantlasse vexationem, mortem nempe in cruce, quali omnis illum inter atque *sensualem inferioremque naturam* desierit ratio; eodem modo, quo supra *illum necatum* esse dicit idem scriptor *carne*, *vivum vero factum spiritu* (3), id est, *illum vitâ privatum* esse, *istam* si spectes, a cujus labe prorsus purus manserat per vitam terrenam, *hujus* vero ratione habita, novam prorsusque *spiritualem* incepisse *vitam*. Ubi in eodem dicto Christianos excitat PETRUS: *eadem*, qua CHRISTUS, *vos instruatis*, sive *armetis cogitatione*, *propterea quod is*, *qui carne passus est*, *peccare desiit*, sive *destitit a peccato*, significat, perversas *carnis cupidines*, *bellum gerentes* ***κατὰ***

---

(1) Ib. X: 20. V. d. GRIETH. (in disp. l., p. 85 sq.) recte autumat, in hac sententia non cogitari *de velo removendo*, id est, de *morte*, sed *de aditu praebendo* cll. *Joh.* X: 2; adeo ut scriptor ab hujus *mortis* commemoratione, cum in praecedentibus, tum in fine vs. 19 facta, ad *totius* vitae JESU sanctae celebrationem transeat; iis omnibus, quae CHRISTUS, in terra versans, passus est, inclusis.

(2) 1 *Petr.* IV: 1 voces ὑπὲρ ἡμῶν et ἐν, utpote suspectae fidei, uncis inclusimus; conf. v. d. GRIETH., in disp. l., p. 68.

(3) Ib. III: 18. Dativus vocum σάρξ atque πνεῦμα h. l., prouti IV l. l. vocis σάρξ, nobis explicandus videtur: *in betrekking tot*; conf. WIN., in op. l., p. 244.

τῆς ψυχῆς (1), a *Christianis*, in Dei filii mortem intuentibus crudelem, tolli debere, ut ita, sublato *stimulo* peccati, *hoc* et ipsum sponte evanescat; quamquam *in carne vivere* (*ἐν σαρκὶ βιῶσαι*) (2) pergere Christianos, censet Apostolus. Addi potest dictis, jam citatis, aliud effatum a PETRO prolatum, in quo contendit, *euangelium νεκροῖς esse annuntiatum*, *ut* hi *judicarentur*, *sicuti homines*, *carnis ratione habita* (*κατὰ ἀνθρώπους σαρκί*), — id est, pro vita, quae his in terris *carnis* ope agitur, — *vivant vero*, *sicuti Deus*, *spiritu*, et illud igitur *κρίμα* iis, qui jam *mortui* sunt, non cesserit in *κατάκριμα* (3).

---

(1) 1 *Petr.* II: 11 coll. 2 *Petr.* II: 18.

(2) 1 *Petr.* IV: 2.

(3) Ib. IV: 6. In tota hacce sententia explicanda seqnor ORIMMIUM (in comm., p. 81, not. 1, l.), prouti etiam in vi dictionis: *κρίν. κ. ἀνθρ. σ.*, definienda, de qua ille hoc observat (p. 629): „*dem Fleische*, *d. h. dem irdischen*, *leiblich-sinnlichen Wesen und Leben nach gerichtet werden*" — „*nach dem*, *wie einer im ird.*, *leibl.-sinnl. Daseyn gelebt hat*, *gerichtet werden.*" — Si hane sententiam, ab illo viro docto aliisqne multis interpretibus atque dogmaticis deflectens, de JESU *descensu ad inferos* intelligere nolis (vid. p. 81, not. 1), unice, nostro judicio, cogitari potest de iis, qui, enangelii praedicatione audita, Christiani facti erant, et, Apostolo hanc epistolam scribente, non amplins *in vivis erant;* de quibus mentionem injicit PETRUS propter ultima verba vs. 5. — V. d. PRINS (in cens., p. 81, not. 1, l., p. 661 sq.) dictionem: *κρίν. κ. ἀνθρ. σ.*, accipit de Christianis, qui sententia jndiciali *apud homines* morte damnati essent *carne sola;* sed ita neqne praepositioni *κατά* sua constat vis, neqne vox *σάρξ* rite in lucem protrahitur. — Eadem effata, quae *ex priore epistola* PETRI recensuimns, exponit qnoque v. d. GRIETH. (in disp. l., p. 66 sqq.), a cujus tamen explicationibns hic illic recessimns.

Alibi isti commemorantur *ἄδικοι: qui sequuntur carnem, concupiscentia pollutionis infames* (*οἱ ὀπίσω σαρκὸς ἐν ἐπιθυμίᾳ μιασμοῦ πορευομένοι*), *et qui dominationem* divinam *despiciunt* (1). Quo dicto, si ad *Sodomorum* atque *Gomorrae* urbium commemorationem, paullo superius factam, attendimus (2), intelligi videtur *libido* naturae *contraria*, adeo ut vox *σάρξ* (*caro virilis*) consulto, *contemtus* notione adjuncta, expressa sit. Eo redire hujus dicti sensum, effici quoque potest ex JUDAE *epistola*, in qua *Sodoma atque Gomorra et circumjacentes urbes* (*αἱ περὶ αὐτὰς πόλεις*) *cum* hae, *aeque atque istarum* urbium incolae (*τὸν ὅμοιον τούτοις τρόπον*), *scortatae sint et abierint ὀπίσω σαρκὸς ἑτέρας*, dicuntur *propositae esse in exemplar, ignis aeterni poenam sustinentes* (3). In subsequentibus hujus epistolae scriptor de istis hominibus, de quibus supra mentionem facere incepit, contendit, istos, simili etiam modo *somniantes carnem polluere* (4); et-

---

(1) 2 *Petr.* II: 10 cll. vs. 12 sqq.

(2) Ib. vs. 6 sqq.

(3) *Jud.* vs. 7. Pronomen *τούτοις* ad voces *Σόδ. καὶ Γόμ.* referimus, id est, ad harum urbium *incolas*, de quibus scriptor cogitans per *enallagen* (vid. WIN., in op. l., p. 164 sq.) masculino genere utitur; pro pronomine *αὐτός* ille pronomine *οὗτος* usus esse videtur *emphaseos* gratia (cll. *Luc.* XIX: 2; vid. WIN., in op. l., p. 185 sq.).

(4) Vs. 8 cll. vs. 4. JUDAS voce *σάρξ*, non prouti PAULUS *Rom.* I: 24, voce *σῶμα* uti videtur, quia indicare vult, ex *natura inferiore* vim, ad *libidinem* incitantem, hominum pravorum culpâ, procedere; conf. 2 *Cor.* VII: 1, quamquam ibi dictione: *καθαρίσωμεν ἑαυτοὺς ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς κτλ.*, non de sola libidine, sed de omni vitiorum genere cogitatur. — V. d. GRIETH. (in disp. l., p. 72) 2 *Petr.* II l. l. et *Jud.* vs. 8 *humanam naturam debilem oppositam esse* censet *potentiae divinae*, illic voce *κυριότης*, hîc vocibus *κυ-*

enim *haec*, ex illius mente, perversa cupidine flagrat, et ita ad libidinem abominandam perpetrandam fert. In eadem denique epistola Christianos adhortatur JUDAS, ut *nonnullos* homines metu incutiendo (*ἐν φόβῳ*) *servent, eos* veluti *ex igne,* id est, summo periculo *rapientes, odio* vero *prosequentes vel tunicam, a carne pollutam* (*μισοῦντες καὶ τὸν ἀπὸ τῆς σαρκὸς ἐσπιλωμένον χιτῶνα*) (1). Expetit hisce verbis a lectoribus scriptor, *ut non tantum caveant a vitiorum contactu, sed insuper, ne qua ad eos contagio pertingat, quicquid affine est ac vicinum,* quin adeo ipsum veluti *vestimentum* hominum libidinosorum, *fugiendum esse admonet, quemadmodum, si de impudicitia sermo habetur, dicemus, tollenda esse omnia libidinum irritamenta* (2).

Tandem verbulo etiamnum monemus, JOHANNEM et JESUM, ubi hic ab illo Euangelista inducitur, uti voce *κόσμος* de hominibus, in *inferiore hocce rerum ordine* viventibus, in quibus *spiritum* a Deo aversum adesse atque humilia quaeque regnare censent, et quibus *Ἄρχοντα*, tamquam mali *Principem*, praeesse statuunt (3). Similis ejusdem vocis usus cum ali-

---

ριότης et *δόξαι* expressae. *Jud.* vs. 7 eadem ratione vocem *σάρξ* accipiendam esse putat v. d., etenim judicat, *Praepositionum* (*ἀπό*, *ἐκ*) *vim in Participiis* compositis, *quae praecedunt* (*ἐκπορνεύσασαι* et *ἀπελθοῦσαι*), hanc esse, *ut Deum desertum esse significent.* Nos vero, ad sententiarum laudatarum contextum attendentes, praestare censemus; eo, quo supra fecimus, illas explanare modo.

(1) *Jud.* vs. 23.

(2) Sequimur h. l. magna ex parte CALVINI interpretationem (in c. l., VII, ad h. l.), quae nobis sese simplicitatis nomine commendare videtur, prae ea, quam affert v. d. GRIETH., in disp. l., p. 69 sq.

(3) *Joh.* I: 10 (cll. vs. 9) 29, III: 16, 17, 19, VIII: 12, 23, 26,

bi (1), tum in JACOBI *epistola* (2) quoque invenitur. — Saepius insuper in *sacrorum Virorum scriptis* ad inferiorem conditionem indicandam, in qua homines eaque, quae hos spectant, versantur, inveniuntur dictiones: *ὁ αἰών*, *ὁ αἰὼν* (*ὁ καιρὸς*) *οὗτος*: *excelsior* conditio, aliquando adfutura, designatur tum dictionibus, rarius in PAULI epistolis obviis: *ὁ αἰὼν ὁ ἐρχόμενος*, *ὁ αἰὼν ὁ μέλλων*, *ὁ αἰὼν ἐκεῖνος* (3). Vox *ἄνθρωπος* in N. F. reliquo, aeque atque in PAULI epistolis, *hominem*, *inferioribus*, *perversis* etiam, *studiis* deditum saepius denotat (4).

Si in hujusce § clausula quaerat quispiam, cur in V. F. hujusque *libris Apocryphis* saepius adsit notio vocis *σάρξ physica*, in N. F. insuper notio *moralis* toties inveniatur; respondendum est, nostro judicio, in *illis* scriptis praecipue spectari Deum, tamquam

---

XII: 25, 31, 46 sq., XIV: 30, XVII: 16 (conf. usus vocum *γῆ*, *ἐπίγειος* *Joh.* III: 31, 12); 1 *Joh.* II: 15 sqq., V: 4 sq., 19 etc.

(1) Ita in dictis JESU tributis *Matth.* V: 14, *Luc.* XII: 30: — conf. *Matth.* XVI: 26 cll. *Marc.* VIII: 36, *Luc.* IX: 25, ubi vox *κόσμος* omnia complectitur, quae blandimenta et dulcedinem afferant terrae incolae, inferioribus studiis dedito. — Vidd. insuper *Hebr.* XI: 7, 38, 2 *Petr.* I: 4, II: 20. — De aliis hujus vocis notionibus conf. BRETSCHN., in *lex.* l., in v.

(2) *Jac.* I: 27, IV: 4.

(3) *Matth.* XII: 32, XIII: 22, *Marc.* IV: 19, X: 30, *Luc.* XX: 34 sq. — *Eph.* I: 21 formula: *ἐν τῷ μέλλοντι* (*αἰῶνι*), occurrit; ib. II: 7 formula: *ἐν τοῖς αἰῶσι τοῖς ἐπερχομένοις*: conf. de hisce dictionibus UST., in op. l., p. 344 sq.

(4) Saepissime in plurali, interdum in singulari ponitur haec vox *Matth.* XVI: 23 cll. vs. 17, *Marc.* VIII: 33; *Luc.* XVI 15, *Joh.* I: 4 cll. III: 19, V: 34, 41, 2 *Petr.* I: 21.

omnipotentem rerum Auctorem atque Rectorem, oppositum creaturae *debili* atque *inani;* in *hocce* Illum describi, tamquam Patrem, *amore sanctissimo* insignem, oppositum homini, *indignitate morali* infami. Hoc si verum est, perspicua etiam est causa, cur PAULUS saepissime voce σάϱξ, *morali* notione, adjuncta, uti soleat; etenim ille prae caeteris Dei *justitiam* (quae ex ejus mente est *sanctitas*), conjunctam cum *amore gratuito*, in lucem protrahere solet. — Non mirum insuper est, eos, qui in N. F. dicentes scribentesque occurrunt, tam *latam* assignasse *carni* ditionem. Etenim agnoverunt illi cognationem hominis cum Deo, quae unice ad *spiritum* atque *spiritualia* pertinere potest; jam vero necessario statuere debuerunt, *in inferiori* hominis *natura*, qua is ad hanc *terram* pertinet, adesse *vim*, quae, si quis strenue atque continuo ad sublimia sese erigere negligat, peccati evadat stimulus et conjunctionem cum Deo impediat. Perducere iidem terrae incolas voluerunt ad *vitam aeternam* expetendam, strenui autem studii, *illam* spectantis, impedimentum summum esse perspexerunt perversam explicationem hominis, efficientem, ut hic, *inferioris naturae* impulsibus vel maxime obseqnens, constrictus maneat hujusce vitae limitibus, et hac sola frui gestiat. Denique hominum conjunctionem intimam, eamqne *spiritualem*, efficere volnerunt, cui obstare censuerunt affectiones *humiles*, eo tendentes, nt quis sua unice sectari commoda, alios homines despicere, et horum salutem pro nihilo facere soleat. Quia tandem *sacri* illi *Viri* cum *universos*, tum *singulos* homines *eo tempore* viventes, inanium fragiliumque rerum studio teneri, atque hisce sese *totos* dare

perceperunt, facile causa intelligi potest, cur de *τῷ κόσμῳ*, de *τῷ αἰῶνι*, de *τῷ ἀνθρώπῳ*, *τοῖς ἀνθρώποις* eo, quo diximus, sensu, locuti sint.

§ 13.

De peccati in genere humano ortu.

Disquirendum nobis etiamnum est, a quonam inde tempore PAULUS peccatum in genere humano ortum cepisse statuat, et qualem hic ortus, ex illius mente, habuerit vim atque efficacitatem.

In *epistola ad Romanos* luculentissime docet Apostolus, *primum hominem*, simul fuisse *primum peccatorem* (1); etenim contestatur, *per unum hominem peccatum*, tamquam vim dominantem, *in mundum intrasse*, *atque per peccatum mortem*, *et hac via* (*καὶ οὕτως*) *ad omnes homines transiisse* sive *penetrasse mortem* (2);

---

(1) *Rom.* V: 12 sqq. Loquitur h. l. PAULUS de ADAMI *facinore*, non de EVAE *deceptione*, prouti 2 *Cor.* XI: 3, 1 *Tim.* II: 14, quia ille fuit generis humani conditor, et quia ille CHRISTO apte opponi potest.

(2) *Rom.* V: 12; recte FRITZSCHIUS lectionem: *διῆλθεν ὁ θάνατος*, tuetur (in c. l., I, p. 298). Minus recte idem v. d. (in c. l., I, p. 289) h. l. *τὴν ἁμαρτίαν personam induci* censet, et ea voce designari *actionem pravam* addit. REICHIUS (in c. l., I, p. 364) atque MEYERUS (in c. l., ad l. l.) ab hac interpretatione non multum recedunt, *ille* enim eadem voce denotari arbitratur: *actuale peccatum* (*wirkliche Sünde*), hic: *die* (*factische*) *Sünde als solche* cll. 1 *Joh.* III: 4. Sed talis *τῆς ἁμαρτίας* notio, a pondere totius sententiae abest, in qua sine dubio PAULUS *peccatum* describere voluit, quatenus, ab ADAMI *delicto* exorsum, in toto genere humano *et* intus adsit, *et* pravis factis sponte sese exserat; conf. Cap. V.

propter id quod (ἐφ ᾧ) (1) *omnes* ἥμαρτον. Diserte ostendit haec ratiocinatio, qualem *mortis*, talem etiam *peccati* fuisse progressionem, nempe universalem ab ADAMI inde tempore; etenim vocula οὕτως indicat: διὰ τοῦ εἰςεληλυθέναι τὴν ἁμαρτίαν εἰς τὸν κόσμον, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας τὸν θάνατον (2); de tali igitur agi introitu peccati, ut ab hocce nemo liber manserit, jam effici potest ex dicto: *mors*, peccati sequela, *ad omnes penetravit; directe* vero id enuntiatur verbis, in versus citati fine legendis. Denique etiamnum in subsequentibus versibus, peccatum *semper* adfuisse, probat noster ex dominatu *mortis* haud interrupto. *Haec*, prouti observat, grassata est eo etiam tempore, quo lex Mosaica nondum viguit, neque igitur transgressio adfuit mandati, *extrinsecus* diserte a Deo dati, contra quale ADAMUS quoque peccavit (3). Clare tandem verba: *propter id, quod omnes peccarunt*, evincunt, tam peccatum, quam mortem hominum ipsorum culpa semper et ubique regnasse.

---

(1) Conf. de dictionis: ἐφ᾽ ᾧ, significatione FRITZSCH., in c. l., I, p. 299 sq. Illam *in quo*, nempe ADAMO, indicare, nemo hisce diebus ORIGENI, AUGUSTINO, BEZAE aliisque concedet; conff. de horum sententiis MEY., in c. l. ad l. l., FRITZSCH., in c. l., I, p. 303 sqq. — ROTHIUS (in opusc.: *Neuer Versuch einer Auslegung der Paulinischen Stelle Rom.* V: 12-21, 1836, p. 17 sqq.), multis allatis argumentis, probare studuit, dictionem: ἐφ᾽ ᾧ, positam esse non pro ἐπὶ τούτῳ ὅτι, sed pro ἐπὶ τούτῳ ὥστε, adeo ut denotet: „*unter der näheren Bestimmtheit, dasz,*" et ita arctum vinculum inter ADAMI delictum et posterorum peccatum accuratius indicatum sit; sed vidd. ea, quae de hoc interpretamento observavit NEAND., in op.: *Gesch. der Pfl. und Leit.* etc., II, p. 580.

(2) Conf. ROTH., in opusc. l., p. 13.

(3) *Rom.* V: 13 sq. cll. *Gen.* II: 16 sq.

Quo melius Apostoli sententiam intelligamus, attendere etiam ad sequentia volumus. *Unius delicto* ita legimus, *innumeri* (**οἱ πολλοί**) *mortui sunt* (1); — *judicium* Dei minans, *ex uno*, id est, per unum, qui peccavit, cessit *in condemnationem* (2); — *unius delicto* efficiente, *mors regnavit per hunc unum* (3); — *per unum delictum* judicium minans cessit *erga omnes homines* (**εἰς πάντας ἀνθρώπους**) *in condemnationem* (4); — *per inobedientiam unius hominis innumeri* (**οἱ πολλοί**) *peccatores constituti sunt* (5), id est, experti sunt peccati poenam, et ita peccatores sunt *declarati* (**κατεστάθησαν**), aeque atque *primus peccator* (6).

---

(1) Ib. vs. 15. H. l., prouti etiam vs. 19, dictione indefinita: *οἱ πολλοί*, utitur PAULUS; vs. 18 ell. vs. 12 dictione: *εἰς πάντας ἀνθρώπους*, propter vim comparationis, quam ADAMUM inter atque CHRISTUM instituit; conf. Cap. X.

(2) Ib. vs. 16. Hoc Dei *κρίμα*, *mortem* peccatori minans, expressum est *Gen.* II: 17; delicto ab ADAMO perpetrato, idem evasit *κατάκριμα Gen.* III: 19 (conf. FRITZSCH., in c. l., p. 332). Post *ἐξ ἑνός* optime, nostro judicio, suppleri potest *ἁμαρτήσαντος* (lectio enim *ἁμαρτήματος* in initio versus rejicienda videtur). Insuper etiamnum verbum *ἐγένετο* h. l. post *κατάκρ.* inseri debet cum FRITZSCHIO (in c. l., I, p. 332) aliisque interpretibus, prouti etiam vs. 18 (*τ. κρ. ἐγ. εἰς κατάκρ.*); vel h. l. *ἀπέβη* (*εἰς κατάκρ.*, impers.) cum WINERO (in op. l., p. 658).

(3) Ib. vs. 17; conf. de lectione, quam secuti sumus, FRITZSCH., in c. l., I, p. 335 sq.

(4) Ib. vs. 18; vocem *ἑνός* neutrius esse generis censemus, non masculini, tum enim aptius *τοῦ ἑνός* legeretur, prouti vs. 17.

(5) Ib. vs. 19.

(6) Recte MÜLLERUS (in op. l., II, p. 467) observat, verbum *καθιστάναι* (*καθίστασθαι*) in N. F. ubique fere, si *Act.* XVII: 15 excipias, indicare: „*Jemanden zu einem Amte bestellen, Jemanden oder*

In omnibus hisce dictis ADAMI *delictum* (ἡ παράβασις, τὸ παράπτωμα, ἡ παρακοή) spectatur tamquam fons *poenae* (τοῦ κατακρίματος, τοῦ θανάτου), a reliquis omnibus perlatae; eos, proavi ad instar, libere atque suo ipsorum peccato efficiente *istam* perpessos esse, non dicit Apostolus, quia in praecedentibus id jam satis pronnntiavit, et quia idem luculentissime perspicitur ex comparatione, quam in tota hac capitis parte instituit inter *miseriam*, ex ADAMO in posteros progressam, et *salutem*, a CHRISTO allatam; hujus autem neminem *coacte*, sed unumquemque *libere* participem reddi, infra videbimus.

Frustra igitur ex PAULI dictis, quae recensuimus, petat quis placitum de *peccato haereditario*, quod generi humano per *originem* ex primo peccatore *naturâ* inhaereat; tale placitum ab iis, quae cum alibi saepius, tum in primo capite *epistolae ad Romanos* de hominibus *libere* peccantibus leguntur, prorsus abhorret. Ab altera vero parte negari non potest, Apostolum, tam diserte atque continuo ADAMI *delictum* commemorantem, hoc inter et reliquorum peccatum revera agnovisse vinculum quoddam; quae snspicio augetur, si tenemus, in *epistola ad Corinthios priore* etiam arctissimam conjunctionem, inter ADAMUM, generis humani conditorem, et posteros, ex eo prognatos, naturâ intercedentem, data opera describi (1), et

---

etwas in einer bestimmten Eigenschaft darstellen," adeoque magis exprimere: *„eine deklarative, als eine reell verursachende Thätigkeit;"* conff. *Tit.* I: 5, *Luc.* XII: 14, 42, 44, *Act.* VI: 3 etc.

(1) 1 *Cor.* XV: 45 sqq.

omnes homines *in conjunctione* sua *cum proavo* (*ἐν τῷ Ἀδάμ*) *mori* dici (1).

Quod primum ad causam attinet, cur Apostolus tantam assignare possit vim uni primi hominis delicto, illa exinde est derivanda, quod in isto indoles ipsa humana in pejus mutata, atque *τῆς ἁμαρτίας*, in posterum regnaturae, veluti primitiae prodierunt (2). Quomodo vero et quatenus posterorum peccatum cum isto proavi delicto interne cohaereat, numquam data opera explicat PAULUS. Forsan hic in auxilium vocandum est placitum de *τῇ σαρκί*, quae, ex illius mente, a parentibus in liberos naturae lege transfertur (3); ista autem facilius etiam peccati stimulus evadere potuit, postquam ii, qui nascuntur, ortum debent hominibus, *carnis* pravis affectionibus cupidinibusque se duci sinentibus, et postquam genus humanum universum propagatum est ab homine peccante, qui, prouti ex tota Apostoli de peccato cogitandi ratione nobis conjicere licet, primus *carnis* impulsus haud rite moderatus esse, et ita a Deo descivisse dicendus est. Praesidium accipit haec conjectura ex iis, quae in *epistolae ad Romanos* capite septimo afferuntur de ratione, quae adest peccatum inter et legem Mosaicam, de qua PAULUS, utpote natalibus Judaeus, ea contendere solet, quae de quacunque lege morali valent, prouti infra indicabimus. *Lex* illa *per se* non *prava*,

---

(1) Ib. vs. 22 cll. vs. 21.

(2) De vi primi hujusce *delicti*, tam quod ad ADAMUM, quam quod ad hujus posteros attinet, agit KRABBE, *Die Lehre von der Sünde und vom Tode*, 1836, p. 129 sqq. cll. p. 121 sqq.

(3) Conff. ea, quae p. 95 sq. observavimus.

sed summis laudibus digna esse perhibetur, prouti illius *mandatum* in optima quaeque tendere dicitur (1). *Sed* (*ἀλλά*) *peccatum non cognovissem*, inquit Apostolus, *nisi per legem; etenim cupidinis nescius fuissem*, *nisi lex diceret:* „*Ne concupiscas*" (2). Indicat hocce dicto noster eam legis vim, qua homini notitiam discriminis, quod bonum inter atque malum adest, largitur, ejusve *conscientiam* excitat; at vero simul atque homo talem accipit *notitiam* (3), peccatum etiam adest; quod ut probet PAULUS, in dicto citato ad *cupidinem* attendit pravam, perversam hominis directionem ejusdemque a Deo aversionem vel luculentissime arguentem; contra *istam* disertum est legis vetitum, attamen hocce homo non ab *ista* deterretur, sed e contrario hocce ipso ad *istam* excitatur. Quî vero talis legis vetantis effectus cogitari possit, nisi quid in hominem irrepserit, quo hic ad divina sanctaque aspernanda, ad peccatum amplectendum *pronus* sit? Conspirant cum illo effato subsequentia. In iis enim ἡ ἁμαρτία, —

---

(1) *Rom.* VII: 7, 10 cll. vs. 12 sqq.

(2) Ib. vs. 7. Secundum THOLUCKIUM (in c. l., ad h. l.) conjunctio ἀλλά explicanda est: „*vielmehr*," adeo ut sequentia verba legis laudem contineant, sed merito observat DE WETTIUS (in c. l., ad h. l.), Apostoli consilium non esse, h. l. legis laudem consulto ab hac parte praedicare, sed potius ejus miseram vim ob oculos ponere, ita tamen, ut eam *per se* defendat.

(3) „*Der Apostel spricht nicht*," ita DE WETTIUS (in c. l., ad l. l., de verbis: *τ. ἁμ. οὐκ ἔγνων*), „*von der ἐπίγωσις ἁμαρτίας* (III: 20), *welche Sache des* nachfolgenden Gewissens *ist*, *sondern von dem* dem vorhergehenden G. *angehörenden Bewusstseyn dessen*, *was Sünde sei oder nicht*, *also von dem innern Zwiespalte der Erkenntniss und des vermöge des sündlichen Hanges sich gegen das erkannte Gesetz entscheidenden Willens.*"

in primo vitae stadio sese nondum exserens, — *simulatque impetum nacta sit, per ipsum mandatum in homine omnem cupidinem effecisse* perhibetur *pravam* (1). Miser hicce effectus etiam unice explicari potest ex placito Apostoli, in ADAMI posteris *proclivitatem* quandam inveniri ad peccandum. Clarius id etiamnum derivari potest ex dictis: *sine lege peccatum mortuum est; ego aliquando vivebam sine lege*, — in aetate nempe prima, cum discriminis, quod bonum atque malum inter adest, nescius essem (2), — *adventante vero ad me hujus mandato, peccatum ἀνέζησεν.* In hisce diserte affirmat Apostolus, in homine ab origine inde inveniri *dispositionem*, ut ita dicam, quae facillime evadat *conditio* perversa. Talis sententia Apostoli tum demum intelligi potest, si rite teneas, genus humanum originem repetivisse ex proavo peccante; huncce enim ipsum, cum nondum deliquisset, prorsus ab omni peccato liberum fuisse, diserta docent verba: *per unum*

---

(1) *Rom.* VII: 8, quam ob causam Apostolus vs. 7-25 continuo de *semet ipso* loquatur, in Cap. VI videbimus.

(2) Ib. vs. 8 sq. Censet DE WETTIUS (in c. l., ad vs. 9), Apostolum sese cogitatione transferre in conditionem ADAMI ante lapsum, ita vero ut cogitatio adjuncta sit de eo, quod constanter etiamnum *aliquatenus* fieri soleat apud homines, in primo vitae stadio versantes; quod nobis omnino probabilo videtur, si tenemus, in V. F. hic illic dictiones: *bonum eligere*, *malum rejicere*, denotare, hominem ad eam pervenisse aetatem, in qua ad conscientiam moralem evigilaverit (*Jes.* VII: 15 sq.); quales dictiones sine ullo dubio effatum *Gen.* III: 5 coll. II: 17, III: 22 obvium respiciunt. *Simpliciter* de primo vitae cogitandum esse stadio censent cum alii, tum MEYERUS diserte profitetur (in c. l., ad vs. 9). Caeterum conf. Cap. VI.

hominem ἡ ἁμαρτία in mundum intravit. Id autem ipsum, quo quis tam cito, postquam ad conscientiam boni malique pervenit, huic sese tradit, nobis, tam ad pravae *cupidinis* commemorationem, quam ad rationem, qua PAULUS *et* in iis, quae praecedunt, *et* in iis, quae sequuntur, peccatum describit, attendentibus (1), esse videtur *carnis vis*, ab origine hominis inde praevalens, et adeo difficilem reddens contra peccatum luctam, ut omnes omnino homines, si unum CHRISTUM excipias, in illa succubuerint, quamvis fieri potuisset, ut illi, utpote libera voluntate praediti, vim *carnis praevalentem* superassent, atque ab istius contagione prorsus sese puros servassent. Diserte hoc monere negligit noster in sententiis, quas citavimus ex *epistolae ad Romanos* capite septimo, quia non exponere vult id, quod fieri potuisset, sed id, quod, experientia docente, obtinere solet.

Invenitur in PAULI epistolis unum alterumque effatum, quod probare videatur, hominem cum ipso peccato nasci; ita in *priore ad Corinthios epistola* dicit scriptor, *virum haud Christianum* (ἄπιστον) *sanctificari in conjunctione cum muliere* Christiana (ἐν τῇ γυναικί), et vicissim *mulierem haud Christianam sanctam evadere in conjunctione cum viro Christiano* (ἐν τῷ ἀδελφῷ); *nam*, haec adduntur, *si res sese aliter habeat, liberi vestri*, ex tali matrimonio nati, *impuri sint* necesse est, *nunc autem sunt sancti* (2). *Sanctitas* autem et *impuritas*, quae hoc loco significantur, non de interna dicuntur conditione, sed de externo statu, in

---

(1) Ib. vs. 5, 14, 18, 25.

(2) 1 *Cor.* VII: 14.

quo homo nascitur, adeo ut hic, dummodo *vel* pater *solus*, *vel* mater *sola* Christianam profiteatur religionem, ab initio inde *propter hanc originem* Deo sit consecratus (1). In *epistola ad Ephesios* homines, *nunc* Christiani, aliquando *τέκνα φύσει ὀργῆς* fuisse perhibentur, prouti etiamnum esse dicuntur *reliqui* omnes, nondum Christiani facti (*ὡς καὶ οἱ λοιποί*); sed omnino tenendum est, illorum conditionem peculiarem, cum, perversa *naturae* explicatione effectrice, peccato essent dediti, et hanc ob causam Dei *irae*, poenarum fonti, subjecti, opponi illi, ad quam *nunc*, Dei *gratia* moderatrice, eos pervenisse, putat noster (2). Caeterum facile patet, prorsus Apostoli menti

---

(1) V. d. GRAT. (in comm. l., p. 29) merito urget, pronomen *ὑμῶν* l. l. *respicere ad eos, qui in matrimonio mixto vivunt.* DE WETTIUS atque RÜCKERTUS (in cc. ll., ad l. l.) illud de *omnium* Christianorum liberis usurpari putant; haec vero interpretatio, si ad praecedentia attendas, nimis quaesita nobis videtur. MÜLLERUS (in op. l., II, p. 368 sq.) tali, quali *hi interpretes*, modo pronomen illud exponit, et insuper ex hocce versu repetit, Apostolum *vitam* hominum *naturalem*, a nativitate inde, tamquam impuram, contemplari. Talem sensum tum quoque prodire addit v. d., cum dictionem: *τ. τ. ὑμ.*, de liberis, ex *mixto matrimonio* natis, accipias, etenim PAULUM cogitare non potuisse censet de impuritate *naturali*, ex *tali* demum *origine* repetenda.

(2) *Eph.* II: 3. Dictionem: *ἡμεῖς πάντες*, in initio versus de omnibus omnino Christianis, exclusis Ephesiacis, accipimus, quia tum oratio egregie procedit (conf. DE WETT., in c. l., ad h. l., ed. I — et II, 1847); etenim vs. 1 sq. scriptor de perdita Christianorum *Ephesi* versantium conditione *pristina* egit; nunc docet, nullam omnino fuisse exceptionem; in fine versus 3 (*ὡς καὶ οἱ λοιποί*) omnes omnino, nondum Christianos factos, miserrimos esse dicit. In verbis: *τέκν. φύσ. ὀργ.* (ita enim legendum est, non *φύσ. τέκν. ὀργ.*,

contrarium esse, si statuas, exsistere *vitium naturae*, *cum quo homo*, ex ADAMO ortus, *nascatur* (1), vel *nos omnes naturaliter damnationi esse obnoxios* (2), dummodo teneas, PAULUM urgere, peccatum liberae voluntatis abusui esse tribuendum (3), et eundem lectores suos admonere: *τῇ κακίᾳ νηπιάζετε* (4). Non mirum igitur est, MÜLLERUM, hanc libertatem voluntatis in peccando *cum* a PAULO, *tum* in toto N. atque V. F. doceri agnoscentem (5), simul vero corruptionem *naturae*

---

quae lecti oemendationem redolet), explicandis, sequimur *cum* alios, tum praesertim DE WETTIUM, qui statuit, vocem *φύσις Rom.* II: 14 *legis θέσει* esse oppositam, *hic* vero Dei *gratiae* (conf. vs. 4 sqq.), et illam vocem *illic* denotare judicat: „*die innere Natur* (*natura magistra*)," — *hic* (prouti *Gal.* II: 15): „*den durch Geburt und Geschichte* (*durch Gesetz oder Gesetzlosigkeit*) *bestimmten* natürlichen Zustand, *in welchem die erlösende Thätigkeit Gottes die Völker fand.*" Conf. *Sap. Sal.* XIII: 1. — Ab hac interpretatione prorsus discedit MÜLLERUS (in op. l., II, p. 369 sq.), qui, HARLESSII interpretationem (in c. l., ad h. l.) praecipue sequens, primum agi arbitratur de Christianis ex gentilibus (vs. 1 sq.), et vs. 3 doceri putat, Judaeo-christianos, quos dictione: *ἡμεῖς πάντες*, designari opinatur, ex PAULI mente, aliquando fuisse *φύσει*, non vero *θέσει*, irae Dei subditos, id est, Judaeo-christianos, — si miseram istorum naturam respicias, non si ea spectes, quae essent *peculiari patefactione* atque *gratia divina* effectricibus (*Rom.* IX: 4), — propter peccatum *naturale* culpam sibi aliquando contraxisse, quod etiamnum de Judaeis atque gentilibus valeat.

(1) Ita AUGUSTINUS, *Sermo* CCXCIV (*De baptismo parvulorum*), V, 1, p. 830; conff. *Retractat.* I, 10, 3, I, p. 12, *De libero arbitrio*, III, 19, 54, I, p. 469.

(2) Ita CALVINUS, in c. l., VI, ad *Eph.* II l. l.

(3) Conff. ea, quae p. 180 sqq. attulimus.

(4) 1 *Cor.* XIV: 20.

(5) In op. l., II, p. 19 sq.; vidd. insuper ea, quae in op. l.,

humanae in iisdem scriptis depingi arbitrantem (1), confugisse ad sententiam, homines, jam antequam hanc vitam egerint, libere a Deo deflexisse, et exinde peccati *originem* esse repetendam; profitetur quidem vir summus, talem sententiam in C. S. non *inveniri*, quippe cujus non sit placita *mere* philosophica (*speculativa*) afferre, sed tamen dicta, quae hominis *im-*

I, p. 224 sqq. cll. p. 220 sqq. de *culpae* notione in C. S. inveniuntur, et quae ib. p. 264 sqq. afferuntur, ut pateat, a *Scriptoribus sacris* peccatum non ad Deum referri solere.

(1) In V. F. peccatum homini *naturâ* esse proprium doceri, putat MÜLLERUS (in op. l., II, p. 364 sqq.) *Ps.* LI: 7; nobis vero haec sententia optime explicari posse videtur de matris *perversitate* atque *peccato*, adeo ut poëta hoc fere sibi velit: *omnes homines peccatores sunt*, *ego a muliere*, *peccato subdita*, *conceptus et in lucem editus sum;* quam explicationem etiam DE WETTIUS, tamquam aptissimam, laudat (*Commentar über die Psalmen* etc., ed. IV, 1836). Ex effatis, in *Jobi libro* obviis, *impotentiam moralem* hominis, ex muliere nati, exhibentibus, recte nullas ducit sequelas MÜLLERUS (ib., p. 366); etenim illa tribuenda sunt BILDADO atque ELIPHASO, dure atque injuste loquentibus (conff. XV: 14, 16, XXV: 4, 6 etc.); dictum XIV: 4 obvium ita explicari posse concedit ille v. d., ut *origo impuritatis*, omnibus hominibus propriae, non indicetur. Verba denique *Gen.* VIII: 21 inveniunda perverse nobis a MÜLLERO in rem suam adhiberi videntur (ib., p. 366 sq.), quum vox נְעוּרִים de *juventute* in universum, id est, tam de pueris, quam de adolescentibus atque juvenibus usurpetur; conf. WIN., in *lex.* l., in v. — In N. F. impuritatem *naturalem Joh.* III: 6 haud diserte atque *immediate* doceri, statuit MÜLLERUS (in op. l., II, p. 367), sed ex effatis ib. vs. 36 et *Rom.* III: 19 obviis repetit (ib., p. 370), homini aliquid esse proprium, quod ira Dei feriatur; unice vero, si quid videmus, indicatur ll. ll., homines, cum *ipsi* peccatores sint, *irae* Dei subjectos adeoque reos esse. Tandem arbitratur v. d. *Eph.* II: 3 *unicum* esse disertum effatum, in quo doceatur, homines propter perversitatem *naturalem* esse *poenae* subjectos.

puritatem, *a natalibus inde*, et *poenam*, cum *ea* conjunctam, exhibeant, ita lucem accipere censet (1).

Verbo nobis agendum est de quaestione, ex quonam fonte PAULUS *placitum* de peccato, ex *uno* homine progresso, hauserit; et insuper breviter videndum, num *illud* etiam alibi inveniatur. Nonnulli viri docti probare studuerunt, illum tale *placitum* repetivisse ex Judaeorum theologia (2). Nostro judicio nihil impedit, quominus statuamus, Apostolum

---

(1) In op. l., II, p. 96 sq., p. 537 sq. cll. p. 486 sqq. Ad talem confugit hypothesin MÜLLERUS, quum varias sententias, quae prolatae sunt de peccati origine (in op. l., I, p. 314 sqq.), de libera voluntate hujusque explicatione (in op. l., II, p. 7 sqq. cll. p. 1 sqq.) dijudicavit, et placitum, varie enucleatum atque prolatum, de peccato haereditario, culpam efficiente, taxavit atque rejecit (p. 409 sqq.). Conff. porro II, p. 97 sqq., 195 sq., p. 203 sqq., 210 sqq., 362 sq., p. 348 sqq. cll. p. 342 sqq., ubi sententiam suam ulterius explicat MÜLLERUS, et quid lucis ex illa in gravissimis rebus intelligendis peti possit ostendit. Simul v. d., — observans *mortis dominationem* exhibere *conturbationem* quandam *internam* hominis, eam porro *conturbationem* manifeste ubique adesse, et tamquam *haereditariam*, vel definitius, „*in ihrer allgemeinen, überall anzutreffenden Grundbestimmung*," tamquam *propagatam* a generis humani conditoribus sese prodere (*Gen.* III: 16-19, *Rom.* V: 12), — agnoscit (p. 528 sq. cll. p. 465 sq., 278): „*dasz mit dem Sündenfall der Stammältern eine Verderbnisz ihres psychisch-physischen Lebens, eine (von der ursprünglichen Abweichung des Willens*, ante hancce vitam, *noch zu unterscheidende) Störung seiner ursprünglichen Harmonie eintrat, die sie dann durch die Zeugung auf ihre Nachkommen, diese wieder auf die ihrigen fortpflanzten.* In sequentibus hujus *naturae* humanae *conturbationis* (*Störung*) indolem esse dicit: „*eine verkehrte Ordnung der Kräfte, eine Neigung der sinnlichen Triebe die Impulse des Geistes zurückzudrängen und sich gegen sein heiliges Gesetz zu empören.*"

(2) Vid. Cap. VI.

illud ex institutione sua, cum nondum ad CHRISTI pervenisset notitiam, reservasse, et idem dein CHRISTI spiritui convenienter explicuisse; simul vero tenendum, Judaeos doctores talis *placiti* exponendi ansam habuisse in V. F., in quo tam lapsus primorum hominum hujusque tristes effectus, quam horrendi peccati progressus (1) disertissime adumbrantur, pariterque legitur, omnes omnino homines esse peccatores (2). In *libris Apocryphis* de eo, quod primi homines deliquerunt, et de vi hujus delicti in posteros, plus semel ita agitur, ut diserte V. F. spectetur (3). Inter illos, qui in N. F. dicentes scribentesque occurrunt, PAULUS solus est, qui diserte de *tali* peccati ortu agit, prouti vero hic, ita etiam illi luculentissime omnes homines peccatores esse fatentur (4).

(1) *Gen.* III sq., VI.

(2) *Ps.* CXLIII: 2, *Eccl.* VII: 20. Conff. dicta *Ps.* XIV: 1 sqq. cll. *Ps.* LIII: 1 sqq. obvia, quibus PAULUS *Rom.* III: 10-12 utitur, ut Judaeos sui temporis etiam peccatores esse probet; probabile vero est, poëtam suum modo spectasse aevum; idem valere videtur de effato *Gen.* VI: 5 obvio. — ADAMI *lapsus* ab iis, qui in V. F. dicentes scribentesque occurrunt, cum de hominum peccato agunt, non diserte spectari solet, etenim *Job* XXXI: 33 כְּאָדָם (quod in *vers. Al.* non redditur) forsan indicat *hominum ratione*, — prouti *Ps.* LXXXII: 7 (in *vers. Al.* ὡς ἄνθρωποι), — et ita quoque *Hos.* VI: 7 (in *vers. Al.* ὡς ἄνθρωπος); vid. NITZSCH, in op. l., p. 223.

(3) *Sap. Sal.* VII: 1 cll. X: 1 sqq.; — *Jes. Sir.* XXV: 24 a *muliere initium peccati* esse perhibetur; unice vero haec sententia expressa videtur, ut viris prudens erga mulieres agendi ratio commendetur (conf. vs. 8 sqq., 25 — XXVI: 1 sqq.).

(4) Conf. KLAIBER, *Die neutestamentliche Lehre von der Sünde und Erlösung*, 1836, p. 45 sqq., qui hoc in toto N. F. diserte doceri ostendit.

Quam brevissime in hujus § clausula observandum est, quid PAULUS de Diaboli pravorumque daemonum vi in peccato vel excitando, vel promovendo docuerit. Primum monemus, illum narrationem istam *de serpente*, in *Geneseos libro* obviam, semel iterumque ita tangere, ut quomodo istam accipiat, non clare pateat, utque nullas omnino ex ista ducat sequelas (1). Porro memorabile esse censemus, illum in iis epistolarum partibus, in quibus data opera et disertissime de peccato agit, vel Diaboli vel pravorum daemonum non facere mentionem (2), et omnia insuper, quae alibi de istis affert valde indefinita esse (3), atque selecta pro ratione argumenti, de quo agit. Tandem

(1) Voce ὄφις 2 *Cor.* XI: 3 a PAULO significari Diabolum sive Satanam haud improbabile est (coll. vs. 13 sqq.); sed tamen, quamvis hoc statuas, non exinde sequitur, PAULUM narrationi, *in Geneseos libro* obviae, magnum tribuisse pretium, etenim *Rom.* V: 12 sqq. de ista silet, et h. l. istam obiter hoc consilio tangit, ut lectores moneat, ne fidem habeant dolis atque machinationibus *falsorum Apostolorum* (coll. vs. 4 sqq.) Eandem narrationem 1 *Tim.* II: 14 adhibet, ubi tamen de *serpente* non loquitur.

(2) Conff. e. g. *Rom.* I: 18 sqq., V: 12 sqq., VII: 7 sqq., 14 sqq.

(3) REICHIUS (in c. l., I, p. 461), STIRMIUS (in comm. l., p. 23) et MÜLLERUS (in op. l., I, p. 384 sq. conf. AUG., *De civ. Dei* XIV: 3, VII, p. 266) provocant ad PAULI placitum de Diabolo daemonibusque, corpore *sensuali* haud instructis, ut probent, peccatum non ex *sensualitate* repetendum esse. Tale autem argumentum non valet, ubi de *hominis* peccato agitur, et praeterea, quale sit Diaboli daemonumque peccatum, qualesque sint ipsi, PAULUS numquam explicat.

vel maxime tenendum esse judicamus, Apostolum istis nullam vim perversam assignare, nisi in homines, jam pravitati deditos (1), et eundem diserte pronuntiare, istorum tentamina profligari posse (2).

Hisce observationibus addimus, PAULUM saepius ita de Diabolo sive Satana deque pravis agere daemonibus, ut utrum ipsum peccatum, inter homines et in toto hocce mundo grassans, intellexerit, an de *personis*, revera exsistentibus, cogitaverit, definire nequeas. In *epistola ad Romanos* e. g. de Satana loquens, diserte respicit pravorum hominum studia atque tentamina, de quibus in superioribus disputavit (3); **τὸν Θεὸν τοῦ αἰῶνος τούτου** (4) eodem sensu commemorat, quo alibi **τὸ πνεῦμα τοῦ κόσμου**, *spiritum in mundo regnantem* (5), perversos homines ducentem, vel **τὸν αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου**, *aevum hujusce mundi perversum* (6).

Ubi noster **τοὺς ἄρχοντας τοῦ αἰῶνος τούτου** affert, intelligit Judaeorum *proceres*, vel solos, vel saltem primario loco; horum perversitate, illo judice, CHRISTUS cruci affixus est, et iidem, nefandum hocce scelus

---

(1) 2 *Cor.* IV: 4 cll. vs. 3, *Eph.* II: 2 cll. vs. 1.

(2) *Eph.* VI: 11 sqq. cll. 1 *Cor.* X: 13.

(3) *Rom.* XVI: 20 cll. vs. 17 sqq. cll. 1 *Thess.* II: 18. Ubi Apostolus 1 *Cor.* V: 5 formulam adhibet: *παραδοῦναι τῷ Σατανᾷ*, intelligit, nostro judicio, excommunicationem, qua Christianus prave agens ex ecclesia removeatur, et mundo, in quo mali vis regnat, tradatur; conf. 1 *Tim.* I: 20; vid. omnino MATTH., in c. l., ad h. l.

(4) 2 *Cor.* IV: 4.

(5) 1 *Cor.* II: 12.

(6) *Eph.* II: 2; conf. p. 190, not. 4.

perpetrantes, veluti typi fuerunt, in quibus cerni posset, quantopere omnes homines, eo aevo potentia prae ceteris insignes, abfuerint a Dei sapientia, in divino illo homine exposita, rite capienda (1). In alio dicto **τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας** inducit Apostolus, *quas Deus* (2), ut dicit, *postquam eas vi privavit* (*exspoliavit*), *palam ignominiae publicae tradidit* (**ἐδειγμάτισεν ἐν παῤῥησίᾳ**) (3), *quippe qui eas in triumpho duxerit in* CHRISTO, eoque *cruci* affixo, id est, tum, cum CHRISTUS de *cruce* penderet (4). Inter eas, quae hîc occurrunt, *ἀρχὰς* et *ἐξουσίας daemonicas* sive *diabolicas* et *inter principes hujus aevi*, de quibus in superiore dicto disserit PAULUS, revera intercedere videtur ratio arctissima; *hi* enim CHRISTUM cruci affixisse dicuntur, *illae* eo hominum crimine prorsus devictae esse perhibentur; docet igitur, ni fallimur, utriusque sententiae comparatio, eandem peccati vim, per quam CHRISTUS morte truculenta affectus est, hac ipsa morte effectrice, de throno suo esse dejectam. Ubi PAULUS de **τῷ Ἄρχοντι τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος** loquitur, quem in subsequentibus **τὸν Ἄρχοντα τοῦ πνεύματος, τοῦ νῦν ἐνεργοῦντος**

---

(1) 1 *Cor.* II: 6, 8, cll. vs. 7.

(2) *Col.* II: 15. Subjectum orationis est ὁ Θεός, prouti satis perspicitur ex vs. 12 sqq.

(3) Censemus, verbum *δειγματίζειν* l. l. eandem vim habere, atque verbum *παραδειγματίζειν* *Matth.* I: 19, *Hebr.* VI: 6; conf. HUTH., ad *Col.* II l. l.

(4) Dictio: *ἐν αὐτῷ*, l. l., si praecedentia spectamus, indicat: *ἐν τῷ σταυρῷ*; melius vero forsan est illam accipere pro *ἐν Χριστῷ* (conff. DE WETT. et HUTH., in cc. ll., ad h. l.); quod si fit, tamen etiam de morte, a CHRISTO in *cruce* exantlata, cogitandum est, quia de ea disputat PAULUS.

ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας, esse significat (1), et quem imperare judicat *τοῖς πνευματικοῖς τῆς πονηρίας, ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, daemonibus in aëris tractibus versantibus* (2), manifeste loquendi rationem adhibet, quae tempore, quo vivebat, invaluerat. Idem judicium in totum Apostoli de Diabolo pravisque daemonibus cogitandi dicendique modum quadrare videtur. Praecipuum igitur semper hoc est, ut teneamus, illum, talibus dictionibus summam peccati potentiam ob oculos ponere voluisse, qua id suam sibi ditionem assignet, et homines, nisi summa vi et constanter perversitati resistant, totos occupet sibique subjiciat.

---

(1) *Eph.* II: 2.

(2) Ib. VI: 12. Paulus ita loqnitur, nt qnam disertissime mentcm suam ennntiet, et quam efficacissime lectores suos ad certamen accingat; hanc in rem primum dicit, non certandum esse contra *debiles* homines (*πρὸς αἷμα καὶ σάρκα*), *ἀλλὰ πρὸς τὰς ἀρχάς, πρὸς τὰς ἐξουσίας, πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκό- τους τούτου*, et tum adjnngit formulam: *πρὸς τὰ πνευματικὰ τ. πον., ἐν τ. ἐπ.* Forma *τὰ πνευματικά* rite cnm forma *τὰ δαιμόνια* conferri potest (vid. WIN., in op. l, p. 271); dictionem: *ἐν τοῖς ἐπουρανίοις*, *h. l.* de *tractibus aëris* intelligendam esse, si attendas ad *Eph.* II: 2, rite observant MEYERUS atqne DE WETTIUS (in cc. ll., ad l. l.). Iidem interpretes (ad *Eph.* II l. l.), cxemplis satis mnltis allatis, probant, sententiam de daemonibus *in aëre* versantibns cum apnd alios inveniri, tum apnd PHILONEM et praesertim apnd Rabbinos; quorum *nonnulli* diserte eam produnt; conf. insuper *Luc.* X: 18. — Baurus (in op. PAULUS etc., p. 433 sq.) strenuum atque emphaticum vocis *αἰών* usum cum alibi, tum in dictione: *ὁ αἰὼν τ. κ. τ.*, — formulas insuper: *οἱ κοσμοκρ. τ. σκ. τ.*, — *ὁ Ἄρχ. τ. ἐξ τ. ἀέρ.*, — *τ. πν.*, *τ. (ν.) ἐνεργ.*, — *τὰ πνευμ. τ. πον. (ἐν τ. ἐπ.)*, ad Gnosticismi refert vestigia, quae in *epistola ad Ephesios*, prouti etiam in ea, qnae ad Coiossenses scripta est, inveniunda sint (vid. ib., p. 423 sqq., conf. SCHWEGL., in op. l., II, p. 331, 327). At vero criticus ille

§ 14.

Conclusio.

Ex PAULI igitur mente, peccatum adesse potest, quia libera *eligendi* facultate est instructus homo, qua huic optio datur, utrum in conjunctione cum Deo perfectionem sectari, an a verae vitae Auctore discedere velit. Quia tali pollet homo facultate, satis patet, eum, si *naturam* respicias, nulla instructum esse vi, *necessario* peccatum efficiente. Attamen is, Apo-

---

ea ratione in argumentando versatur, ut ex Gnosticorum opinionibus progressus voces phrasesque citatas illustret, et non satis teneat, eas aptius explicari posse, si ad temporis, quo PAULUS vivebat, usum et ad dicendi rationem, in primariis epistolis obviam, attendimus; ita vox *αἰών* semel iterumque, non aliter quam 1 *Cor.* II: 7, deuotat certam *periodum*, pronti *Eph.* III: 11, 21 cll. *Col.* I: 26, mali notione haud adjuucta, vel etiam hac adjuncta, pronti in dictione: *ὁ αἰὼν τ. κ. τ.*; conf. p. 190, uot. 4; ita, prouti paullo superius observavimus, seuteutia de *aëre*, pravorum daemounm domicilio, Apostoli jam tempore satis trita fuit; idem de dictione: *οἱ κοσμοκρ. τ. σκ. τ.*, affirmandum videtur, et insuper eodem jure hac in *epistola ad Ephesios* uti potuit PAULUS, quo in *epistola ad Corinthios posteriore* formula: *ὁ Θ. τ. αἰῶν. τ.* — KÖSTLINUS (in op. l., p. 375 sq.) censet, *epistolam ad Ephesios* ad JOHANNIS euangelium eateuus accedere (conff. ea, quae p. 13 sq., uot. 1 vidimus), quateuus Diabolus, tamquam Princeps mali, iu illa *summa* potestate insignis depingatur, prouti iu hocce *ὁ Ἄρχων*, quod ducendum sit ex unica veritate atque sublimitate, quae in hocce atque in illa rei Christianae tribuantur. Attameu simul coufiteri cogitur v. d., *vel maxime* a se iuvicem discedere iu re, quam disquirimus, illius epistolae scriptorem et JOHANNEM; cum ille Diabolum stipatum describat magna daemonum caterva, hic de talibus prorsus silere soleat, et unice de

stolo judice, in *terra* vivere potest ope *carnis*, quae prouti impulsibus incitationibusque suis istam spectat, ita vicissim istâ afficitur, et quae igitur terrigenam, si summa virium intentione atque sine intermissione naturae convenienter vivere, sublimia quaeque sibi exsequenda proponere Deoque sese totum consecrare negligit, ad *inferiora* atque *terrena* facillime trahit, eundemque eo ducit, ut in *istis* solis vitae ponat tabernaculum. Ubi autem facultates ita ad humilia deprimuntur, vitiorum quorumcunque nascuntur monstra. — Denique, ut vidimus, ab ADAMO inde peccatum, tamquam dirus morbus, regnavit; quod forsan, ex PAULI mente, ita explicandum est, ut a *primo parente* in posteros transierit *proclivitas* quaedam ad peccandum, e *carnis majore vi* repetenda; quamquam nemo vel *hac*, vel *vi* quadam *externa cogente*, peccat.

---

pravis bominibus, *τῷ Ἄρχοντι* obsequentibus, loquatur. — DE WETTIUS, qui *epistolam ad Ephesios* PAULO abjudicat (vid. p. 11), ut hoc judicium eo magis confirmet, provocat (in c. l., ed. II, p. 91 sq.) ad voces dictionesque, ab Apostolo ipso, de iisdem agente argumentis, baud adhiberi solitas, prouti: *τὰ πνευμ.*, — *τὰ ἐπουρ.*, — *διάβολος* (quam vocem non, nisi in *utraque* ad TIMOTHEUM *epistola*, item spuria, occurrere dicit), — *κοσμοκρ.* Insuper v. d. allegat voces, quae in illa epistola alias babeant notiones, quam in authenticis scriptis; ad eas refert vocem *αἰών* (II: 2). — Sed, ut nobis ad prius critici argumentum respondendum videtur, nemo minus quam PAULUS certae stabilique vocum copiae adstrictus est, prouti exinde quoque apparet, quod in epistolis, sine ullo dubio genuinis, mali *Principem* vel *principium* nominibus insignit, qualibus semel modo utitur (cll. p. 222. not. 4 et 5). Vocis *αἰών* notionem (l. l.) ab Apostoli dicendi ratione haud abborrere, jam vidimus.

CAPUT V.

DE PECCATI INDOLE, MANIFESTATIONE ATQUE PROGRESSU.

§ 15.

De peccati indole.

Quod nos saepius ponere solemus in vita quotidiana *discrimen* inter religionem atque virtutem *(tusschen Godsdienst en deugd of zedelijkheid)*, adeo ut non absimus a cogitatione, hominem, Deum non ubique et semper venerantem, recte intus constitutum esse riteque agere posse, prorsus ignorant illi, qui tam in V., quam in N. F. dicentes scribentesque occurrunt. Ex illorum enim mente, nemo sincero virtutis studio tenetur, quin simul Deum intime colat atque veneretur; et vicissim, iisdem judicibus, unusquisque Deum negligens, eo ipso neglectu efficiente, jam est peccator.

Quod ad PAULUM attinet, hic plus semel diserte pronuntiat, gentilium *perversitatem* cum Supremi Numinis *neglectu*, iisdem proprio, tam indivulso vin-

culo conjunctam esse, ut hic sine illa cogitari nequeat (1), vel ut prorsus *eodem* hic atque illa redeant (2). Nostrum ea, quae de istis affert hominibus, ex Judaeorum Alexandrinorum philosophia repetivisse, vel saltem hujus rationem habuisse, cum SCHNECKENBURGERO statuamus, minime necesse est (3).

---

(1) *Rom.* I: 23 sqq., *Eph.* IV: 17 sqq.

(2) *Gal.* V: 20, cll. vs. 19, 21, 1 *Thess.* IV: 5.

(3) In comm. l., p. 104 sqq., p. 115 sqq. Comparat v. ille d. PAULI dictum: *μετήλλαξαν τὴν ἀλήθειαν τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ ψεύδει* (*Rom.* I: 25), cum effato, in quo PHILO de ABRAHAMO contrarium perhibet (*De mundo*, II, p. 602 cll. *De nobilitate*, II, p. 442). Quae Apostolus de mutuo vinculo, inter *impietatem, improbitatem* atque *internam offuscationem* deprehendendo, observat (conff. loci, not. 1 et 2 laudati), confert idem v. d. cum iis, quae apud PHILONEM et *pseudo*-SALOMONEM occurrunt, effatis. Philosophus nempe ille Unius Dei neglectum describens, *apud varios varium*, *τὴν ἀσέβειαν, ἀδικίαν, ἀπόνοιαν*, in isto cernendas, depingit; nefandum istum Dei neglectum disertissime ipsorum hominum culpae tribuit, quippe qui facillime Supremi Numinis cognitionem accipere queant (*De dec. or.*, II, p. 190 sqq. cll. p. 189, *De mon.*, II, p. 221 sq.; conff. dicta *Sap. Sal.* XIII: 1 sqq., XIV: 11 sqq., 21 sqq. inveniunda). *Fastum* et aliorum quorumcunque vitiorum dicit *δημιουργόν* idem philosophus, *et* ad eundem istum refert *incuriam de rebus divinis*, qua homines sua *figmenta* colere, summa prosequi veneratione atque pro unico Deo innumerum Deorum numerum inducere censet (*De dec. or.*, II, p. 181 sq). Prouti PAULUS magno cum contemtu loquitur de hominibus, qui *ἤλλαξαν τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου Θεοῦ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου κτλ.* (*Rom.* I: 23), ita PHILO atque *pseudo*-SALOMO imaginum cultum vehementissime perstringunt, et statuariorum atque pictorum artificia hanc ob causam magnum attulisse damnum arbitrantur (*De dec. or.*, p. 191 sq., *Sap. Sal.* XIII: 10 sqq., XIV: 18 sqq., XV: 4 sqq.). Eadem ratione, qua PAULUS istos, qui *ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν τῇ*

Judaeorum perversitatem, eadem ratione atque gentilium, secundum PAULUM *aversionem a Deo* esse nuncupandam, in hujusce partis *Introitu* obiter jam monuimus. Illi quidem, peculiari patefactione beati, Dei et naturam veram et voluntatem sanctam noscebant; attamen nullius haec notitia frugis erat apud multos, quin adeo unice horum *arrogantiam* excitabat, qua in aliorum hominum vitia invehebantur, dum simul ipsi iis erant contaminati. Opinabantur nimirum,

---

κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα (*Rom.* I: 25) infamiae nota insignit, PHILO quoque homines culpat, *qui*, ut dicit, *γένεσιν πρὸ τοῦ ἀγεννήτου colunt* (*De somn.* 1, II, p. 632), *qui mundum magis quam mundi auctorem admirantur* (*De opificio mundi*, I, p. 2), *qui τὸ γενόμενον simile reddiderunt τῷ πεποιηκότι* (*De Abr.*, II, p. 11; conff. ea, quae observat *pseudo*-SALOMO, XIII: 1 sqq.). Quae in *epistola ad Romanos* dicuntur creaturarum genera superstitiose honorata esse (I: 23), eadem a PHILONE plus semel spectantur; hic nempe vel cultum Aegyptiorum regibus praestitum (*Legatio ad Cajum*, II, p. 566) atque imperatorum Romanorum apotheosin (*Leg. ad Caj.*, II, p. 556 sq., 567 sq., 576 sqq. cll. p. 573 sqq.), vel animalium adorationem summo cum vituperio describit (*Leg. ad Caj.*, II, p. 566, *De dec. or.*, II, p. 193 sq.). *Pseudo*-SALOMO de hominum animaliumque cultu diserte etiam agit, et causam investigare studet, qua *illorum* veneratio exstiterit (XV: 18, XIV: 15 sqq.). — Invenitur etiamnum apud PHILONEM atque *pseudo*-SALOMONEM sententia, apud PAULUM non obvia, eos nempe, qui solem, lunam, mundum coelumve, vel horum partes praecipuas venerentur, minus esse culpandos, quam ii sint, qui ex lignis, lapidibus, argento aurove imagines signaque sibi fingant (*De dec. or.*, II, p. 191 sq., *Sap. Sal.* XIII: 6 sqq. cll. vs. 1 sqq., ib. vs. 10 sqq.). Accurate praecipue PHILO in variis neglectus Dei gradibus describendis versatur (*De dec. or.*, II, p. 190 sqq.). — Quod vero ad convenientiam inter effata, ab hocce philosopho Alexandrino atque *pseudo*-SALOMONE prolata, et inter ea, quae PAULUS expressit, atti-

se propter nudam Dei hujusque voluntatis cognitionem longe prae gentilibus eminere; aliorum *imperitorum* sese venditabant *institutores*, illisque legis vetita inculcabant, sed ipsi *legem transgredientes Deum vilipendebant*, et perversa agendi ratione, indolem pravam redolente, efficiebant, ut *sanctum Supremi Numinis nomen apud gentiles ignominia afficeretur* (1).

Pluribus probare, Apostolum, prouti gentilibus, ita etiam Judaeis *aversionem a Deo* assignasse, supervacaneum est. Hocce enim cum ex multis dictis sponte derivari potest (2), tum exinde vel luculentis-

---

net, haud negligendum est, triumviros eos fuisse monotheismi tenaces, eosque igitur polytheismi atque idololatriae vanitatem atque stultitiam non potuisse fugere, et simul eosdem ex gentilium multorum perdita vita facillime Dei neglectus cum vitiis sceleribusque conjunctionem intimam efficere valuisse. Accedit huc, quod de hac conjunctione, prouti jam significavimus, in V. F. diserte mentio fit, *Ps.* XIV: 1 sqq., *Jes.* LVII: 3 sqq., LIX: 13 sqq., *Ez.* XIV: 1 sqq. cll. 6, et quod in eodem idololatria haud raro ludibrio habetur, *Jes.* XLVI: 6 sqq., *Jer.* X: 3 sqq. etc. Quin adeo occurrunt vestigia, PAULUM e. g. *Rom.* I: 25 V. F. respexisse, vidd. *Deut.* IV: 16 sqq. cll. *Ex.* XX: 4 sq., *Jer.* II: 11; prouti luculentissime patet, *pseudo*-SALOMONEM illo usum esse, ita XIII: 10 sqq. cll. *Jes* XL: 18 sqq.

(1) *Rom.* II: 17 sqq., cll. vs. 1, 3. Censemus cum plurimis hujusce temporis interpretibus, PAULUM jam vs. 1, dictione utentem: ὦ ἄνθρωπε κτλ., Judaeos perversos perstringere, non cum OLSHAUSENO (in c. 1, ad h. l.) hîc cogitare Apostolum de melioribus gentilibus, quibus *plurimi* Judaei similes sint, vel cum NEANDRO (in op.: *Gesch. d. Pfl. und Leit.* etc., II, p. 586 sq.) de alia gentilium classe, quam in praecedente capite.

(2) Conff. e. g. omnia dicta, p. 177, not. 2 citata, et insuper 1 *Cor.* I: 21 (cll. p. 156, atque ib. not. 3). — *Gal.* II: 15 PAULUS

sime apparet, quod utrique *Deo inimici* esse dicuntur (1).

Prouti peccatum *negative* est *aversio a Deo*, ita *positive* dici meretur *directio carni conveniens*, quae semper cum ista *aversione* est conjuncta. Hoc quia jam satis superque enucleavimus (2), nunc provocare sufficiat ad unum dictum, clarissime Apostoli mentem exhibens: *τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς Θεόν* (3).

Ubi homo ita *Deum deseruit*, et *carni* sese tradidit, *sibi soli* vivere incipit, sive *sui studio* ducitur. De semet ipso, intime cum CHRISTO conjuncto, profitetur PAULUS: *ζῶ οὐκέτι ἐγώ* (4), *Christiani* in universum *μηκέτι ἑαυτοῖς ζῆν* ab illo perhibentur (5); quae dicta satis evincunt, quaenam tam horum, quam illius ipsius esset directio, cum nondum a CHRISTO illustrarentur. Observandum insuper est, quot quantisque laudibus Apostolus *amorem erga proximos*, quo quis sese

---

potius Judaeorum opinionem praejudicatam, quam suam ipsius pronuntiat sententiam.

(1) *Rom.* V: 10, XI: 28, *Col.* I: 21; in hisce dictis vocem *ἐχθρός active* accipiendam esse de hominibus, Deum *inimicitia* prosequentibus, in Cap. IX verbulo monebimus. Ubi *Rom.* I: 30 gentiles dicit *Θεοστυγεῖς* Apostolus, intelligit, istos esse *Dei osores*, non *Deo exosos;* etenim in tota hac hujus capitis parte *istorum* hominum recensentur nefanda vitia; praeterea haec interpretatio, si *analogiam* vocis consulas, defendi potest; conf. THOL., in c. l., ad h. l.

(2) Cap. IV, § 12.

(3) *Rom.* VIII: 7.

(4) *Gal.* II: 20.

(5) 2 *Cor.* V: 15, *Rom.* XIV: 7.

CHRISTI, perfecti hominis, ad instar aliis *devovere*, *semet ipsum abnegare* velit (1), ubique in epistolis ornet. *Illius* elogium in *epistola ad Corinthios priore* praebens, cum alia, tum hoc diserte testatur: *οὐ ζητεῖ τὰ ἑαυτῆς* (2); hominem, *proximum amantem*, *totam legem implevisse* dicit, et *mandato*, *amorem talem* injungente, *totam legem absolvi* pronuntiat (3); *vanae* e contrario *gloriae captationem*, *superbum de se judicium studiumque*, *litigandi*, *ulciscendi altercandique cupidinem*, omnia denique ea peccati genera, quae in *actionem* prodeuntia quam *clarissime* evincunt, aliquem *sese* solum spectare, alios *sibi* devovere, alios *prae se* despicere et flocci facere, acerrime perstringit noster (4). Alia peccati genera, in epistolis descripta, eadem ratione ad *sui studium*, tamquam fontem, referri possunt, atque *in actionem* prodeuntia istud etiam redolere solent, quamquam sese magis ad certas res personasve dirigunt, adeoque *mediate per hasce* se suaque commoda spectant peccatores. Adest istud studium in hominibus, qui *non domino* CHRISTO, *sed ventri suo serviunt* (5), *quorum Deus est venter* (6), qui igitur suas delicias humiles, sua blandimenta vilia indefesse sectantur, et hisce nihil superius norunt; ad-

---

(1) 2 *Cor.* VIII: 1 sqq. cll. vs. 9, *Rom.* XV: 1 sq. cll. vs. 3, *Phil.* II: 1 sqq. cll. vs. 5 sqq. etc.

(2) 1 *Cor.* XIII: 5.

(3) *Rom.* XIII: 8 cll. vs. 9 sq., *Gal.* V: 14.

(4) *Rom.* XII: 3 cll. vs. 10, vs. 9 sq., vs. 16 cll. vs. 17 sqq., *Gal.* V: 13, 15. 1 *Cor.* III: 3 sq. etc.

(5) *Rom.* XVI: 18.

(6) *Phil.* III: 19.

est istud in hominibus, qui *τῇ πλεονεξίᾳ* ducuntur, sive semper plura *ad se* trahere cupiunt (1); verbo, magis minusve explicite adest istud studium in omnibus peccatoribus, qualibuscunque deditis vitiis. Ut quam luculentissime appareat, quantas in peccato partes *sui studio*, *varie directo*, assignet PAULUS, provocandum etiam est ad recensionem perditorum hominum, quam exhibet; primum in ea affert istos, qui sunt *φίλαυτοι*, et tandem istos, qui sunt *φιλήδονοι* magis quam *φιλόθεοι* (2). Denique summopere memorabile est, Apostolum, cum *anti*-CHRISTUM sive *τὸν ἄνθρωπον τῆς ἁμαρτίας*, *τὸν υἱὸν τῆς ἀπωλείας*, *τὸν ἀντικείμενον*, *τὸν ἄνομον*, aliquando ante CHRISTI *παρουσίαν* sese patefacturum, DANIELIS *vaticiniis* utens depingit, pronuntiare, in isto *sui studium* tale culmen attingere, ut *sui apotheosis* evadat (3).

---

(1) Cum Apostolus 2 *Cor.* IX: 5 vocem *πλεονεξία* voci *εὐλογία* opponit, *illa* significare videtur donum, *avaritiam* ejus, qui *dat*, referens, adeoque *donum exiguum; hac* donum, *benedictionem* ejus, qui *accipit*, afferens, adeoque *donum largum. Col.* III: 5 *ἡ πλεονεξία* dicitur *εἰδωλολατρεία*, quia homo isti deditus res inanes veluti *adorat; Eph.* IV: 19, V: 3 cll. *Col.* III, l. l. *ἡ πλεονεξία* commemoratur una cum eo peccati genere, quo homines sese quam maxime contaminant, et quod igitur *directione* ab ista differt *πλεονεξίᾳ*, qua aliis obsunt atque detrimentum afferunt.

(2) 2 *Tim.* III: 2, 4.

(3) 2 *Thess.* II: 3 sq., 8 sqq.; conf. MÜLL., in op. l., I, p. 151 cll. p. 150. Obiter monemus, argumenta, quae BAURUS (in op.: PAULUS etc., p. 485 sqq.) protulit, ut ostenderet, hanc *anti*-CHRISTI descriptionem a PAULO proficisci haud potuisse, minus valere, si reputamus, Apostolum *summum* pretium *quibusvis* V. F. *vaticiniis* tribuere, et, *quacunque apta* opportunitate data, haec in rem suam adhibere; si insuper tenemus, illum tali causa

E disquisitione, in hacce § instituta, minime ducendum est, *triplicem* esse peccati *indolem*, ex PAULI mente. Nam, prouti satis expressimus, sive istud dicas *aversionem a Deo*, sive *directionem carni convenientem*, res eodem redit. Ita quoque *sui studium* cum *hac illaque* prorsus convenit. Nimirum is, qui a Deo desciscit, *suam* voluntatem *suaque* consilia *Illius* opponit voluntati consiliisque, ita autem *sibi* vivere incipiens, simul *carni* sese mancipat, nam *spiritus* tum demum rite vigere potest, cum terrigena Deum quaerit, et cum Hoc conjunctus divinam illam ἐνεργείαν sustentat atque alit.

§ 16.

De peccati manifestatione.

Ex iis, quae cum alibi, tum praesertim in praecedente § attulimus, jam perspicitur, peccatum, secundum PAULUM, non esse complexum *factorum*, sed haec ab illo discedere, prouti effectus a causa, sive, illud esse *conditionem* perversam, haec hujus conditionis

---

motum (vs. 1, 2), qualis 1 *Cor.* XV: 23 sqq., 51 sq. *minime* aderat, hanc de *anti*-CHRISTO sententiam proferre; si tandem observamus, illum istius *patefactionem*, tamquam mox adstantem et *brevissime* CHRISTI ipsius παρουσίαν antecedentem (vid. omnino 2 *Thess.* II: 7, 8), sibi effingere. — Ante BAURUM jam KERNIUS ex hac descriptione argumentum petivit, ut *epistolam ad Thessalonicenses posteriorem* PAULO abjudicaret; quae tamen ab illo sunt prolata refutavit DE WETTIUS; conff. ea, quae observavimus p. 11, not. 4 cll. p. 15, not. 1.

continere *manifestationem*. Confirmare hanc sententiam possumus perspicuis dictis afferendis. Ita profitetur noster, Deum homines, ab Ipso *aversos*, *tradidisse εἰς ἀδόκιμον νοῦν, ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα* (1), vel homines Deo *inimicos* fuisse *τῇ διανοίᾳ ἐν τοῖς ἔργοις τοῖς πονηροῖς* (2). Luculentissime ostendunt haecce dicta, *mentem* rejectaneam, *voluntatem* regentem (3), fontem esse talium factorum, *qualia perpetrare haud decet*, vel *perversam cogitandi rationem*, in *voluntatem* vim suam exercentem (4), *prava facta* procreare.

Ubi de *carne* mentio fit in epistolis, mali notione adjuncta, saepius respicitur *conditio* perversa sola (5), vel *haec* una cum *factis*, quibus sese *manifestat* (6), vel denique talia *facta* sola significantur (*τὰ ἔργα τῆς σαρκός*) (7).

Sui studium in omnibus adesse peccatoribus, adeoque etiam in perversis *factis* magis minusve perspicue *vulgo* cerni posse, supra jam observavimus (8).

Inter voces, quae ad humanam perversitatem, quaecunque sit, designandam inserviunt, *aliae* inveniuntur, quae *interdum* pravam *conditionem* indicant, numquam non, data opportunitate, sese *manifestantem*, *inter-*

(1) *Rom.* I: 28.

(2) *Col.* I: 21.

(3) Conf. p. 120.

(4) Conf. p. 123.

(5) Conff. dictiones, p. 187 (cll. not. 4, 11 et 12) citatae.

(6) Vidd. dictiones, p. 187 (cll. not. 3 et 5) allatae.

(7) *Gal.* V: 19 sqq.; dictio: *κατὰ σάρκα στρατεύεσθαι*, 2 *Cor.* X: 3 cll. vs. 4 sqq., si contextum respicimus, indicare videtur *facta dictaque inania humiliaque*.

(8) Vid. p. 233.

dum etiam *facta*, quae ex illa *conditione* proveniunt; *aliae* ubique de *factis* usurpari solent.

Illae sunt voces: *ἁμαρτία peccatum* (1), vel *malum facinus* (2): — *ἀσέβεια impietas* (3), vel *factum impium* (4): — *ἀδικία improbitas* (5), vel *factum im-*

---

(1) Hanc vocem, quae proprie *aberrationem a scopo* indicare videtur (conf. BUTTMANNI *Lexilogus*, I, p. 137), plus semel cum in PAULI epistolis, tum in reliquo N. F. *conditionem* pravam sive *habitum* perversum designare, merito contra REICHIUM (in c. l., I, p. 359 sqq.), qui tamen sibi non satis constat (cll. ib., p. 359, not. 52), FRITZSCHIUM (in c. l., I, p. 290 sqq.) et BRETSCHNEIDERUM (in op.: *Die Grundl. des ev. Pietismus*, p. 144, 176, cll. *lex.*, in quo etiam autumat hic v. d., *τὴν ἁμαρτίαν numquam* significare *vitiositatem*) defendit MÜLLERUS (in op. l., I, p. 203 sq.), qui provocat cum ad alia effata, in N. F. obvia, tum ad dicta, ex PAULI epistolis vel omnium disertissima *Rom.* VII: 8-11, 17-20, 23, in quibus, ut recte judicat, peccatum proponitur tamquam potentia, quae in *homine habitat agitque* et de *personificatione*, qualis apud *poëtas* occurrit, cogitare abs re est; conf. etiam THOL., in c. l., p. 366 sq. Insuper recte observat MÜLLERUS, verbum *ἁμαρτάνειν* de *factis* perversis (*Thatsünden*) usurpari; haec tamen semper, nostro judicio, e *τῇ ἁμαρτίᾳ*, tamquam fonte, procedunt; conf. e. g. *Rom.* V: 12.

(2) *Rom.* XIV: 23, 2 *Cor.* XI: 7. Facta perversa tum praecipue spectantur, cum haec vox in plurali invenitur, *Rom.* IV: 7 (pro voce Hebraica חֲטָאָה, *Ps.* XXXII: 1 sec. *vers. Al.*), 1 *Cor.* XV: 3, 17 etc.

(3) *Tit.* II: 12 cll. 2 *Tim.* II: 16, ubi *ἀσεβείας* optime accipitur tamquam genitivus, pendens a *πλεῖον*: conf. MATTH., in c. l., ad h. l.

(4) *Rom.* XI: 26, ubi haec vox in plurali legitur pro voce Hebraica פֶּשַׁע (*Jes.* LIX: 20, sec. *vers. Al.*).

(5) *Rom* II: 8, VI: 13, 2 *Thess.* II: 10, 12, 2 *Tim.* II: 19.

probum (1): — *ἀπείθεια inobedientia*, vel etiam hujus *manifestatio* (2): — *ἀνομία conditio*, *legi* divinae *contraria* (3), vel *factum*, *legi haud congruum* (4).

---

(1) 2 *Cor.* XII: 13. Ἡ *ἀδικία* propric is est *habitus*, varia peccata provocans, *quo* quis *a Deo* est *aversus*, vel *factum*, tali *habitui* congruum, ἡ *ἀσέβεια* ipsa est *a Deo abalienatio*, per se spectata, vel *factum*, ei consentaneum; hanc ob causam utraque vox in dictis, quae nuper laudavimus, eodem redit; — *Rom.* I: 18 (vid. p. 180 sqq.) utriusque notio quidem differt, sed tamen res, quae utraque voce designantur, indivulso sunt conjunctae. Adjectiva *ἀσέβης* atque *ἄδικος* notione a se invicem vel parum vel nihil differre, effici potest ex *Rom.* V: 6 cll. vs. 7, IV: 5 cll. 1 *Cor.* VI: 9 sqq.

(2) *Rom.* XI: 30 cll. vs. 32 voce *ἀπείθεια* et *conditio inobedientiae*, et simul hujus *manifestatio* spectari videtur; — *Eph.* II: 2, V: 6, *Col.* III: 6 *interna directio* perspicue designatur, cum mentio fit de τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας: sunt enim hi isti, qui ab *inobedientia* quasi prognati sunt, et hanc igitur *indole* referunt, ex qua tum facta dictave *inobedientiae* profluunt.

(3) *Rom.* VI: 19 Christiani dicuntur aliquando *membra sua exhibuisse serva* τῇ ἀκαθαρσίᾳ καὶ τῇ ἀνομίᾳ εἰς τὴν ἀνομίαν. In hocce effato voce *ἀκαθαρσία* intelligitur *principium* talium peccati generum, qualibus quis semet ipsum polluit, voce *ἀνομία principium* talium peccati generum, qualibus quis alios laedit (conf. DE WETT., in c. l., ad h. l.); dictione: *εἰς τὴν ἀνομίαν*, denotatur, ut mox videbimus, *manifestatio* conditionis perversae. — De perversitate in universum, tamquam *conditione*, vox *ἀνομία* intelligenda est 2 *Cor.* VI: 14, 2 *Thess.* II: 7 cll. vs. 8. Caeterum hac voce utens plurimum non speciatim de lege Mosaica, sed de quacunque norma, secundum quam homo sese componere debet, cogitat PAULUS.

(4) *Rom.* IV: 7, ubi haec vox in plurali ponitur pro voce Hebraica פֶּשַׁע (*Ps.* XXXII: 1 sec. *vers. Al.*); — dictionem: *ἀπὸ πάσης ἀνομίας*, *Tit.* II: 14 obviam designare: *ab omni facto*, *legi contrario*, e *καλῶν ἔργων* commemoratione, quae paullo inferius fit, efficimus.

Voces, quae semper *facta* indicant illicita, sunt: **ἁμάρτημα** id, quod *delictum* est (1): — **παράβασις** *transgressio* vel mandati, *extrinsecus* dati (2), vel legis Mosaicae (3), vel legis cujuscunque *externae* (4): — **παράπτωμα**, quae vox proprie *lapsum* significat, sed cum in N. F. reliquo, tum in PAULI epistolis definitius *factum*, quo quis *a Deo deflectit*, Huic sese *obedientiam denegare* ostendit (5), aeque atque **παρακοή** (6), designat.

Antequam ulterius progredimur, breviter nobis videndum est, quomodo, PAULO judice, prava facta *intus formentur*, et tum *extrinsecus prodeant.* Haec res, ni fallimur, ita sese habet. Ubi homo peccato

---

(1) *Rom.* III: 25, 1 *Cor.* VI: 18.

(2) *Rom.* V: 14, 1 *Tim* II: 14.

(3) *Rom.* II: 23.

(4) *Rom.* IV: 15.

(5) Vidd. *Rom.* XI: 11 sq., 2 *Cor.* V: 19, *Gal.* VI: 1; conf. MÜLL., in op. 1, I, p. 86, qui hanc esse hujus vocis notionem probat, observando, *Hebr.* VI: 6 *ἅ. λ.* *παραπίπτειν* indicare *desciscere a Deo* CHRISTOve, et in *versione Alexandrina* substantiva פֶּשַׁע, מַעַל, quibus *deflectionis* a Deo Hujusve Foedere notio inest, interdum alia ratione reddi, plurimum vero substantivo *παράπτωμα.* — ADAMI *delictum* *παράβασις* fuit, *Rom.* V: 14, ratione habita mandati, ab illo violati (p. 209, et ib. not. 3), *παράπτωμα* idem fuit, ib. vs. 15 sqq., ratione habita Dei, qui tale mandatum dederat. Qua de causa ib. vs. 20 vox *παράπτωμα* occurrat, in Cap. VII indicabimus. — *Eph.* II: 1 de *τοῖς παραπτώμασι καὶ ταῖς ἁμαρτίαις* mentio fit, quo distinctius perversae *conditionis manifestatio* designetur.

(6) *Rom.* V: 19; ita etiam 2 *Cor.* X: 6 dictio: *ἐκδικῆσαι πᾶσαν παρακοήν*, *punire omne id* denotat, quo quis sese erga Deum vel CHRISTUM *inobedientem* praestat.

indulgere incepit, ea, quae hisce in terris adsunt, *carne effectrice*, perversam in illum exercent vim, mens falsis decipitur imaginibus, dum simul intus pravae directiones, saepius *cupidines* (*αἱ ἐπιθυμίαι*) dictae, sese exserere incipiunt (1), quae ita hominem occupant, ut *πάθη* (2), *παθήματα* (3) perversa, id est, affectiones, quibus quis prorsus subjectus est, evadant. Ex hisce *directionibus* sive *cupidinibus affectionibusque*, *voluntatem occupantibus*, varia peccati genera, arctissime conjuncta (4), sese evolvunt, quae data opportuni-

---

(1) Exinde nobis dnceudum videtur, *cupidines pravas*, quamquam non ubique diserte ad *carnem* referuntur ab Apostolo, tamen semper, hocce judice, cum *ea* cohaerere (conff. dicta, pag. 187, not. 7 citata). Cansa, cur in *istis* commemorandis de *carne* interdum sileat PAULUS, iude forsau repeteuda est, quod tum *istarum* praesentiam solam, uou vim, qua exsistant, in lucem protrahere vult; vel quia *carnis* in *istis* excitandis vis sponte derivari potest ex iis, quae in praecedentibus vel subsequentibus de tota hominis conditione *σαρκικῇ* observat, prouti *Rom.* VII: 7 sq., cll. vs. 5, 14, 18, 25. Quo sensu pravae *cupidines Rom.* I: 24 *cordi* assignari et tamen simul cum *carne* cohaerere possint, in Cap. VI indicabimus.

(2) Vox *πάθος Rom.* I: 26, *Col.* III: 5 et 1 *Thess.* IV: 5 libidinosam *affectionem* denotat. *Col.* III l. l. primum mentio fit de *πάθει*, tum de *ἐπιθυμίᾳ κακῇ directione libidinosa*, ex qua ista *affectio* sese evolvit; *utramque* cum hominis conditioue *terrena* sive *σαρκικῇ* (vid. p. 189 sq.) arcte conjunctam esse, effici potest ex versus initio (vid. infr.). 1 *Thess.* IV l. l. dictio: *ἐν πάθει ἐπιθυμίας*, legitur, id est: *in affectione*, quae *cupidinis* est, iu quam *cupido* transiit.

(3) Conf. p. 187, not. 8.

(4) Haec varia peccati genera iutus residere, antequam in lucem edantur, effici potest ex *Rom.* I: 29, ubi Apostolus homines dicit *πεπληρωμένους πάσῃ ἀδικίᾳ*, id est, intus *impletos omni improbitatis genere*, vel *μεστοὺς φθόνου, φόνου κτλ.*

tate, foras erumpunt *τοῦ σώματος* hujusque *membrorum* ope. *Τὸ σῶμα* enim, prouti jam exposuimus, tam in *versione Alexandrina* V. F. *librisque* hujus *Apocryphis*, quam in PAULI epistolis et N. F. reliquo instrumentum est, ea, quae intus sunt recondita, manifestans (1); sed sententiam, in omnibus hisce scriptis obviam, nunc multis repetere minime opus est, unice dictiones, ab Apostolo usitatae, breviter nobis sunt spectandae. Ad hasce si oculos convertimus, *τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας* organon est *τοῦ παλαιοῦ ἀνθρώπου*, id est, *hominis*, a CHRISTO nondum *illustrati* et idcirco *peccato dediti; hic* cum CHRISTO veluti cruci affigi debet, ut *illud corpus καταργηθῇ vi sua privetur*, adeoque peccatum *prodere* desinat (2).

---

(1) P. 96 sqq., 105 sqq., 108 sqq., 110 sq.

(2) *Rom.* VI: 6 cll. *Col.* II: 11, ubi mentio fit de *τῇ ἀπεκδύσει τοῦ σώματος τῆς σαρκός*, de *exuendo corpore*, impulsus sequente *carnis*, cujus vi perversa omnes homines, CHRISTO excepto (*Col.* I: 22), se duci patiuntur. Minime nobis, utriusque loci contextum respicientibus, opus esse videtur cum MÜLLERO (in op. l., I, p. 398 sq.) vocem *σῶμα* metaphorice interpretari, adeo ut *Rom.* VI l. l. *massam peccatorum* designet, *Col.* II l. l. *das alte Sündenwesen*, dum vox *σάρξ* in hocce dicto significet *vitam humanam, quae hisce in terris agatur* (aeque atque *Col.* I l. l.). Ita interpretatur MÜLLERUS, quia, ipso judice, si vocem *σῶμα* priore loco sensu proprio accipias, simulque ad ea, quae proxime praecedunt et vs. 7 sequuntur, attendas, verbum *καταργεῖν* aptius de morte physica explicaretur (prouti 1 *Cor.* VI: 13), de qua substantivum *ἀπέκδυσις* (aeque atque 2 *Cor.* V: 4 verbum *ἐκδύσασθαι*) posteriore loco necessarie accipiendum esse dicit. Hoc vero minime necessarium esse, in Cap. IX videbimus; nunc addimus, interpretationem utriusque dicti, quam nos exhibuimus, commendari cum aliis effatis, mox citandis, tum iis, quae *Rom.* VI: 11 sqq. leguntur; conf. praecipue vs. 12: *Ne regnet peccatum*, inquit Apo_

Eodem sensu mentio fit de **τῷ παλαιῷ ἀνθρώπῳ σὺν ταῖς πράξεσιν αὐτοῦ** (1), quae etiam **αἱ πράξεις τοῦ σώματος** nuncupantur (2); alibi legimus de *membris*, quae **ὅπλα** *praestantur improbitatis in peccati commodum* (3), vel quae *serva exhibentur* **τῇ ἀκαθαρσίᾳ καὶ τῇ ἀνομίᾳ**, tamquam perversis *principiis*, **εἰς τὴν ἀνομίαν**, id est, ad *facta* quaecunque, conditioni, legi contrariae, congrua, perpetranda (4). Haud alia ratione agitur de **τοῖς παθήμασι τῶν ἁμαρτιῶν**, quae *operantur* in *membris* (5), quia nempe per haec foras prodeunt; de **τῷ νόμῳ τῆς ἁμαρτίας**, de *lege* peccati, quae in *membris* residet, et per haec erumpit (6); de **τοῖς μέλεσι, τοῖς ἐπὶ τῆς γῆς**, sive de *membris*, varia peccati genera, quae *hisce in terris* vigere solent, manifestantibus (7); cum Apostolus ad

---

stolus, *in mortali vestro corpore*, ex quo *sublimius* sese aliquando evolvet (vid. p. 98 sq. cll. not. 1), *adeo ut isti obediatis* (εἰς τὸ ὑπακούειν αὐτῇ, id est, τῇ ἁμαρτίᾳ: conf. de hac lectione FRITZSCH., in c. l., I, p. 401 sq.).

(1) *Col.* III: 9.

(2) *Rom.* VIII: 13. Dictio haec ambitu minime convenit cum dictione, in versus initio legenda: κατὰ σάρκα ζῆν, quae tam perversam directionem, quam hujus *manifestationem* indicat (conf. p. 235 cll. not. 6). Rite etiam hae *corporis actiones* distinguendae sunt a τοῖς ἔργοις τῆς σαρκός, quae sunt facta, ex *carne*, tamquam *vi efficiente*, progredientia (conf. p. 235 cll. not. 7).

(3) *Rom.* VI: 13.

(4) Ib. vs. 19 cll. p. 237, not. 3.

(5) *Rom.* VII: 5.

(6) Ib. vs. 23.

(7) *Col.* III: 5. MÜLLERUS (in op. l., I, p. 399) censet, varia peccati genera, h. l. recensita, commemorari *tamquam membra „des alten, dem Irdischen hingegebenen Menschen.“*

haec *μέλη* etiam refert *πάθος* et *ἐπιθυμίαν κακήν*, significat, *affectionem cupidinemque pravam*, intus explicitas (1), per *membra* in conspectum prodeuntes.

§ 17.

De peccati progressu.

Quia peccatum est *conditio* sive directio perversa, non potest non, quamdiu se ei homo tradit, incrementa, in dies majora, capere, aeque atque recta conditio, tum vigens, cum quis continuo sese ad Deum effert, in dies altiores agit radices, et sensim magis progreditur. Quia praeterea peccatum sese *manifestat*, facile intelligi potest, homines, in *societate* conjunctos, semet invicem irritare, et omnibus, quae dicant agantve, perversitatem sensim majorem inter se procreare atque elicere. — Quam vere haec sint dicta, unusquisque, qui vel obiter cum alia PAULI effata, tum praesertim primum *epistolae ad Romanos* caput inspexerit, intelligere poterit (2).

Quodsi distinctius quaeritur, quinam, ex PAULI

---

(1) Vid. p. 239.

(2) *Rom.* I: 21 sqq. De hominibus, semet invicem ad prava agenda incitantibus, vid. ib. vs. 32. De vi peccati contagiosa agitur etiam 1 *Cor.* V: 6 (cll. vs. 1 sqq.), ubi Apostolus, proverbio utens. *μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ*, indicat, unius hominis *perversum exemplum* reliquorum Christianorum damnum efficere, prouti *Gal.* V: 9 (cll. vs. 7 sq., et 10 sqq.) idem illud adhibens inculcat, nonnullorum doctorum perversam doctrinam quam citissime ad alios sese extendere et in hos exercere vim perniciosissimam; conf. 2 *Tim.* II: 17 cll. vs. 16 et 18.

mente, sint varii peccati *gradus*, intus vigentes et extrinsecus prodeuntes, respondendum est, *nonnullos* homines peccato quidem esse subjectos, sed tamen simul de tempore in tempus meliorem conditionem *vehementer desiderare*, quia evigilavit *sublimioris naturae* vis (1); *alios* tali desiderio non gaudere, sed in tristi quadam *ignorantia* atque *obduratione* (πωρώσει) versari, et hanc ob causam multo pejores atque miseriores esse (2); *alios* denique, qui sunt omnium pessimi, vel perversitate *delectari* (3), vel sese Deo iisque, quae divina excelsaque sunt, opponere, sive propter nefandam σκληρότητα omnia, quibus in melius dirigi possent, pertinaciter rejicere (4). De singulis hisce *gradibus* in sequente Capite paullo accuratius nobis agendum est.

(1) *Rom.* VII: 14 sqq.
(2) *Rom.* XI: 7 sqq., *Eph.* IV: 18 cll. vs. 17, 19 etc.
(3) *Rom.* I: 32, 2 *Thess.* II: 12 cll. vs. 10 sq.
(4) *Rom.* II: 5, IX: 18 cll. vs. 17.

CAPUT VI.

DE VI, QUAM PECCATUM IN HOMINIS NATURAM ATQUE FACULTATES EXERCET, DEQUE PECCATI SEQUELA, CUM ISTA VI ARCTISSIME CONJUNCTA.

§ 18.

De vi, quam peccatum in hominis naturam atque facultates exercet.

Exposuimus supra, Apostolum in homine agnoscere duo *inferiora*, *animam* atque *carnem*, et duo *superiora*, *spiritum* atque *corpus* (1). Ubi homo peccato subest, *spiritus* non amplius vim suam exserit, sed *obdormiscit* (2), et *caro*, ἡ σάρξ, prouti jam saepius diximus, hominem totum regit, qui hanc ob causam dicitur σαρκικός, σάρκινος, vel, quia *caro* vivit atque viget *animae*, τῆς ψυχῆς, ope, ψυχικός etiam nominatur, tum, cum non adeo vis ad perversitatem incitans, sed magis vita interna misera

(1) P. 115.

(2) Hoc facile derivari potest ex sententia *Rom.* VIII: 10 obvia (cll. p. 76, not. 6), prouti in Cap. X videbimus.

per se spectatur. Talis homo *non recipit* (οὐ δέχεται) *illa, quae ad spiritum pertinent* sanctum, *nam stultitia isti sunt,* quippe qui in humilibus quibusque versetur, *et non potest illa cognoscere* idem iste, quia, *suo spiritu* suppresso, *alterius illius* haud particeps est factus (1). *Corpus* peccatoris, *carnis animaeque* vi directi, evadere instrumentum, perversam conditionem, *intus* vigentem, *palam* faciens, jam satis in praecedente Capite (2) exposuimus.

Singulae facultates totius naturae humanae conditioni congruunt; etenim, *negative* si rem spectes, *spiritu* non amplius incitantur, et hanc ob causam in rebus excelsis divinisque non vigent; quin adeo, quamdiu peccatum dominatur, ad illas suspiciendas agnoscendasque ineptae sunt. — De hominibus, qui *cognitione* de Deo accepta ita abusi sunt, ut hanc unice *mente* leviter tenuerint, et idcirco in *vanas* de Supremo Numine prolapsi sint *ratiocinationes*, contendit Apostolus, *τὴν ἀσύνετον αὐτῶν καρδίαν offuscatam esse* (3), id est, *cor*, aliquando recti *intellectus* ope non ita *illustratum*, ut *grati* isti homines fuerint Deo (4), *te-*

---

(1) 1 *Cor.* II: 14.

(2) P. 240 sqq.

(3) *Rom.* I: 21.

(4) Conff. ea, quae diximus p. 181 sq. Apte PAULUS τὴν καρδίαν *intellectu* destitutam (ἀσύνετον) commemorat; etenim τῆς συνέσεως ope res *mente* agitatae cognitaeque firmiter percipiuntur (conf. p. 128). Ille igitur *intellectus* si *mentis cognitionem* veluti suscepisset et hanc in *cor* transtulisset, talis exstitisset hominis conditio, qualem p. 157 descripsimus. Vs. 31 scriptor homines dicit ἀσυνέτους, ut indicet, eos *constanter* ad sancta divinaque *percipienda* ineptos fuisse.

nebris oppletum esse. Inde autem factum est, nt excelsa illa cognitio omnem efficacitatem amiserit, et miseris erroribus summaeque perversitati locum cesserit, prouti in subsequentibus ostendit Apostolus. *Dum praetendebant*, inquit, isti *sapientiam*, *desipuerunt*. Id exinde apparuit, qnod, cum aliquando *ex operibus* adscendissent ad *Opificem*, nunc, *inversa* ratione, a *Creatore* descenderunt ad *creaturas*, atqne in harum apotheosi substiterunt; simul *cor* pravis flagravit *cupidinibus*, quae, Deo ipso moderante, talem provocarunt *impuritatem*, talia *πάθη ἀτιμίας*, qualibus *inversus* est naturalis ordo, sexus masculini atqne feminini conjunctionem spectans (1). Hisce explicitis, commemorat noster *ἀδόκιμον νοῦν*, cui Deum istos homines *tradidisse* jndicat (2); cnjus dictionis quaenam sit vis, snpra jam indicavimus (3).

Qualem hic praebet PAULUS descriptionem efficacitis peccati in facultates humanas, talem etiam in *epistola ad Ephesios* exhibet, quamquam singula verba haud prorsus conveniunt. Loquitur primum scriptor de *ματαιότητι τοῦ νοός gentilium* (4); ὁ *νοῦς* autem *vanitati* deditus, aeque atque in sententia ex *epistola ad Romanos* laudata *ἀδόκιμος νοῦς*, complectitur *inanem cogitandi cognoscendique rationem*, simulque *voluntatis directionem*, ei convenientem; prouti effici potest ex verbis snbsequentibns: *qui* (nempe gentiles) *offuscati sunt quod ad cogitandi actionem attinet*

(1) *Rom.* I: 22 sqq.

(2) Ib. vs. 28.

(3) Vid. p. 235.

(4) *Eph.* IV: 17.

(*ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ ὄντες*), simulque, si *voluntatem* et ex hac orientem *agendi modum* spectes, *abalienati a vita Dei* (*ἀπηλλοτριωμένοι τῆς ζωῆς τοῦ Θεοῦ*), id est, a *vita*, quae e *Deo* orta *in conjunctione cum Hoc* agitur (1); *offuscationis* atque *abalienationis istius* causa ducitur ex *ignorantia*, de Deo nempe iisque, quae Hunc spectant; *ea* denique *ignorantia* refertur ad *cor*, *callo* veluti *obductum* (*διὰ τὴν ἄγνοιαν, τὴν οὖσαν ἐν αὐτοῖς διὰ τὴν πώρωσιν τῆς καρδίας αὐτῶν* (2)), quod in subsequentibus etiam respicitur, ubi legimus, homines istos, *cum sensum exuissent* (*οἵτινες ἀπηλγηκότες*), nefandis *sese tradidisse* vitiis (3). Ultima igitur causa miserae conditionis *rationalis* atque *moralis* (*ματαιότητος τοῦ νοός*) ex *corde* quam disertissime repetitur. Alibi mentio fit *hominum διεφθαρμένων τὸν νοῦν καὶ ἀπεστερημένων τῆς ἀληθείας*. Hos perversas sibi effingere *cogitationes*, secundum quas *sese componant*, ipse indicat scriptor, verba haecce subjungens: *νομιζόντων πορισμὸν εἶναι τὴν εὐσέβειαν* (4). Quantopere denique homo, Deo sese consecrare respuens, a rebus excelsis divinisque (*τοῖς τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ*) rite *cognoscendis dijudicandisque* distet, vel luculentissime effici potest ex

---

(1) Ib. vs. 18.

(2) Ib. vs. 18; post *ἐν αὐτ.* comma nobis delendum videtur; quod si fit, et vis participii *τὴν οὖσαν* intelligitur, et tota sententia egregie procedit.

(3) Ib. vs. 19.

(4) 1 *Tim.* VI: 5; conf. 2 *Tim.* III: 8 (cll. vs. 6, 2 sqq.), ubi isti commemorantur, qui *ἀνθίστανται τῇ ἀληθείᾳ, ἄνθρωποι κατεφθαρμένοι τὸν νοῦν, ἀδόκιμοι περὶ τὴν πίστιν.*

psychici hominis descriptione, quam exhibet (1) noster.

Prouti Apostolus denegat *cogitandi*, *percipiendi*, *judicandi*, *cognoscendi*, *sentiendi volendique* virium talem usum peccatoribus, quali hi ad Deum divinaque sese erigere queant, ita simul significat, pessimam esse eorundem *conscientiae* conditionem. Vis *ejus* facultatis, propter malum peractum hominem haud prorsus perversum reprehendentis (2) eidemque conditionem ipsius moralem detegentis (3), eatenus quidem supprimi potest, quatenus *ejus* vox condemnans non amplius auditur, sed tamen *ea* tacite testimonia sua reservat. Isti, qui **ἐν ὑστέροις καιροῖς ἀποστήσονται τῆς πίστεως**, **προςέχοντες** simul **πνεύμασι πλάνοις καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων** versaturi esse dicuntur **ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων**, **κεκαυτηριασμένων τὴν ἰδίαν συνείδησιν**, quae ultima verba indicant, *conscientiae inusta* esse *scelera*, adeo ut haec illi indelebili modo atque constanter insint (4). Alibi ita legimus: *impuris* et *infidelibus nil purum est*, **ἀλλὰ μεμίανται αὐτῶν καὶ ὁ νοῦς καὶ ἡ συνείδησις**: **ὁ νοῦς** nempe, prava *impuraque* cogitans atque *voluntatem* dirigens,

---

(1) 1 *Cor.* II: 14 cll. vs. 15; vid. p. 245.

(2) *Rom.* XIII: 5; conf. p. 129 sq.

(3) Vid. p. 130. 2 *Cor.* I: 12 cll. 2 *Tim.* I: 3, ubi verba: **ᾧ λατρεύω ἀπὸ προγόνων ἐν καθαρᾷ συνειδήσει**, optime nobis a MATTHIESIO (in c. l., ad h. l.) explicari videntur: „*Er* (PAULUS) *dient Gott nach dem religiösen Muster der Vorfahren (nach altherkömmlicher heiliger Sitte und Pflicht): — in reinem Gewissen, mit dem Selbstbewusstsein lauterer Gesinnungen und Bestrebungen.*"

(4) 1 *Tim.* IV: 1 sq.; conf. MATTH., in c. l., ad h. l.

et *conscientia*, malae conditionis moralis malorumque factorum sensu obruta, efficiunt, ut cuncta, quibus isti homines utantur, omniaque, quae instituant, *impura* pravaque reddantur (1). Eodem sensu, quo in hocce dicto, de *τῇ συνειδήσει* alibi quoque loquitur noster, ubi *illam* cum *τῇ πίστει* tam arcte conjungit, ut, *illius* puritate amissa, *hujus* quoque jacturam fieri pronuntiet (2); etenim, ubi *conscientia* judicium tenet, hominem intus impurum esse praveque agere, non potest non *fides* perire, efficiens, ut quis cum Deo conjunctus vivat, resque divinas firmiter teneat (3).

Ut id, quod in hacce § exponimus, melius etiam perspiciatur, breviter nobis attendendum est ad eam conditionem, quam PAULUS *τῆς πωρώσεως* (*vereelting*) nomine insignit (4). In dicto, quod ex *epistola ad Ephesios* laudavimus (5) ista refertur *ad cor*, et ex hocce progrediens vim suam letalem exercere dicitur; in aliis effatis luculentissime quoque, qualis sit eadem, docetur. — Ii ex Judaeis, qui salutem, quam divina gratia in CHRISTO exhibet, haud consecuti erant, PAULO ju-

---

(1) *Tit.* I: 15; indicat h. l. scriptor, si vs. 14 respicimus, mandata, a falsis doctoribus commendata, de nonnullorum ciborum *impuritate*, de abstinentia a matrimonio similibusque; conf. 1 *Tim.* IV: 3 sqq.; hanc ob causam igitur significat, ejusmodi res *per se* neque *puras* neque *impuras* esse, sed ab hominibus *tales* reddi, pro conditione interna, *pura* vel *impura.*

(2) 1 *Tim.* I: 19 cll. III: 9.

(3) Vid. Cap. IX.

(4) Vid. p. 243.

(5) Conf. p. 246 sq.

dice, *ἐπωρώθησαν* (1). Qualis haec sit conditio, illustrat noster dictis e V. F. desumtis, quae pro more suo libere adhibet et interpretatur. *Dedit iis Deus*, ita legimus, *spiritum torporis* (*πνεῦμα κατανύξεως*), *oculos, qui non viderent, et aures, quae non audirent* (mentem hebetem, percipiendi sentiendique facnltatem obtusam) *ad hodiernum usque diem* (2). *Et* DAVIDES *dicit* prophetae ad instar: *fiat mensa eorum*, iis *in laqueum et in venationis* scopum *et in muscipulam atque* ita *in vindictam* (3). Indicant haec verba: *eorum heluatio* vel *lucri studium* (utrumque enim vitium voce *τράπεζα* denotari potest) eos ita perdat, ut *aucupem alias bestias laqueis irretire, alias venatorem venabulo transverberare, alias* eundem *muscipula opprimere* videas (4); et hac via justa iis sit *remuneratio.* Hisce dictis etiamnum addit Apostolus: *offuscentur eorum oculi, qui-*

---

(1) *Rom.* XI: 7 cll. vs. 5 sq.; talem *πώρωσιν*, si ad vs. 8 attendimus, PAULUS refert ad Deum; at vero lnde minime ducendum est, homines ipsos *istam* sibi haud contraxisse, prouti in Cap. VII videbimus.

(2) *Rom.* XI: 8 cll. *Deut.* XXIX: 4 (sec. *vers. Al.*): *καὶ οὐκ ἔδωκε κύριος ὁ Θεός ὑμῖν καρδίαν εἰδέναι, καὶ ὀφθαλμοὺς βλέπειν, καὶ ὦτα ἀκούειν ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης*: pro dictione: *καρδ. εἰδ.*, PAULUS ex *Jes.* XXIX: 10 desumsit formulam *πνεύμα κατανύξεως*: ultimam dictionem: *ἕως τ. ἡμ. τ.*, pro qna *Rom.* XI l. l. *ἕως τ. σήμερον ἡμ.* legitur, Apostolus accepisse videtur de misera ista conditione, in hunc usqne diem multis Jndaeis propria.

(3) *Rom.* XI: 9 cll. *Ps.* LXIX: 23 (sec. *vers. Al.*): *γενηθήτω ἡ τράπεζα αὐτῶν ἐνώπιον αὐτῶν εἰς παγίδα, καὶ εἰς ἀνταπόδοσιν καὶ εἰς σκάνδαλον*: diras hisce verbis, prouti etiam seqnentibus (vs. 24 sqq.), profert poëta contra inimicos exsecrationes, quibus PAULUS simul vaticinia contineri censuisse videtur.

(4) Vid. FRITZSCH., in c. l., II, p. 456.

bus non cernant, *eorumque dorsum* o Deus! miseriae onere *semper incurva* (1). Nulla sane excogitari potest descriptio magis horrida hominum *obduratorum; caeci* hi atque *muti* in *perniciem* ruere dicuntur.

Interdum haecce πώρωσις ad *mentem cogitantem* refertur, ita *in posteriore ad Corinthios epistola* de Israëlitis, MOSIS tempore haud percipientibus, *ministerium Veteris Foederis*, igiturque *hoc* etiam *ipsum*, interitui destinatum esse, legimus: ἐπωρώθη τὰ νοήματα αὐτῶν (2): cum PAULUS de Judaeis, suo tempore in eadem ignorantia versantibus, deinde contendit: κάλυμμα ἐπὶ τὴν καρδίαν αὐτῶν κεῖται (3), consulto hîc de *corde* loquitur, non, prouti supra, de τοῖς νοήμασι: etenim indicare vult, istius ignorantiae causam interiorem repetendam esse ex *corde*, sese ad CHRISTUM, in quo ἡ παλαιὰ διαθήκη καταργεῖται, convertere respuente; ubi vero talis est τῆς καρδίας conditio sponte intelligitur, τὰ νοήματα *callo obducta* esse, et vicissim haec ubi talia sunt, *cor* tegumento veluti *obtectum* esse; arctissime enim, ex PAULI mente, singulae hominis facultates inter se cohaerent

---

(1) *Rom.* XI: 10 cll. *Ps.* LXIX: 24.

(2) 2 *Cor.* III: 14.

(3) Ib. vs. 15. MOSES tegumentum super faciem suam (fulgentem *splendore intereunte*, qui, PAULO judice, erat signum ipsius *Veteris Foederis* sive *legis ministerii interitui destinati*) posuisse perhibetur, πρὸς τὸ μὴ ἀτενίσαι τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ εἰς τὸ τέλος τοῦ καταργουμένου (vs. 13 cll. *Ex.* XXXIV: 29 sqq.). Haec verba minime indicant, MOSEN consilium habuisse decipiendi Israëlitas; sed, si ad vs. 7 attendimus, ille, ex Apostoli mente, ita egerat, quia Israëlitae *splendorem* ipsius *faciei* ferre non potuerant. Hoc autem si potuissent, percepissent, illum *splendorem*, adeoque ipsum *mi-*

Comparari possunt cum hisce dictis ea, quae in eadem epistola legimus; postquam nempe dixit Apostolus: *ὁ Θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου ἐτύφλωσε τὰ νοήματα τῶν ἀπίστων*, de se suisque Dei *luce* intus *collustratis*, ut hac alios *collustrarent*, profitetur: *ὁ Θεὸς — ἔλαμψεν ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν*: *in corde* nempe, prouti infra videbimus, *lux* laetissima primum semper exoritur, et in illo exorta dein etiam *mentem cogitantem* illuminat (1).

Ab *obduratione* tali, de quali hactenus disseruimus, ita differt *durities* (*ἡ σκληρότης*), ut *hujus* magis sit *activa* atque *energica*, *illius* vero *passiva* notio. *Callo obductus* dicitur homo, ubi proponitur ineptus ad Deum cognoscendum agnoscendumque, et ad res excelsas divinasque rite suscipiendas, *durus* nuncupatur, ubi de industria emendationem respuit (2). Cum

---

nisterium Veteris Foederis esse *τὸ καταργούμενον* (cll. vs. 11). Tegumentum autem a MOSE adhibitum, *ne* oculos converterent Israëlitae ad *finem ministerii intereuntis*, repraesentatio esse videtur *obdurationis τῶν νοημάτων*, *qua* fiebat, ut *splendorem* illum non ferre, adeoque ad *finem* illum oculos convertere non possent. Praesidium accipit haec explicatio ex subsequentibus, in quibus Apostolus *probat*, talem *tunc* fuisse gentis conditionem, ex conditione, *suo tempore etiamnum* detegenda; primum dicit: *nam in hodiernum usque diem τὸ αὐτὸ κάλυμμα ἐπὶ τῇ ἀναγνώσει τῆς παλαιᾶς διαθήκης μένει, μὴ ἀνακαλυπτόμενον* (*cum non detegatur* Judaeis), *ὅτι ἐν Χριστῷ καταργεῖται*: tum addit: *sed* (e contrario) *in hodiernum usque diem quando praelegitur* MOSES (*ἡνίκα ἀναγινώσκεται Μωϋσῆς* conf. de hac lectione MEY., in c. l., p. 46), id est, hujus lex, *κάλυμμα ἐπ. τ. κ. αὐτ. κεῖτ.*: — *κάλυμμα* h. l. non *τὸ αὐτὸ κάλυμμα* dicit PAULUS, quia ab impropria oratione in propriam transit.

(1) 2 *Cor.* IV: 4, 6.

(2) Conf. p. 243 cll. not. 4.

hac *duritie* comparari potest, prouti jam monuimus, is peccati gradus, in quo homines versantes malo *delectantur* (1).

Negative igitur, ut satis enucleavimus, peccatoris facultates ineptae sunt, quamdiu conditio perversa adest, ad vera divinaque cernenda, suscipienda, efficienda: *positive* eaedem illae, per *carnem*, ad inania humiliaque detorquentur. Ita commemorat PAULUS hominem, *φυσιούμενον ὑπὸ τοῦ νοὸς τῆς σαρκὸς αὐτοῦ:* hac dictione utitur, postquam indicavit, quid talis homo *arroganter sibi velit*, et qua ratione id, *quod sibi velit*, exsequatur (2): quaenam iste insuper sublimia se *vidisse* (*percepisse*) venditet, et quomodo frustra in talia *visa penetrare*; sive ea cognoscere atque

---

(1) Vid. p. 243 cll. not. 3.

(2) *Col.* II: 18. Monet h. l. PAULUS lectores suos, ut caveant a falsorum doctorum tentaminihus: *Μηδεὶς*, inquit, *ὑμᾶς καταβραβευέτω*, indicat haecce dictio: *Nemo vobis certaminis*, quod est vita Christiana, *praemium abjudicet*, sive: *Nemini* talem concedatis potestatem, ut *judicis condemnantis partes erga vos agat*, *qui* hoc (nempe *καταβραβεύειν*) *vult ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων*, id est: hac ratione, ut *animum demissum* prae se ferat atque *cultum angelis praestitum* urgeat, quia nempe Deus *sublimior* sit, quam ut sine *illorum* ministerio a Christianis colatur; conf. omnino HUTH., in c. l., ad h. l. — V. d. GRIETH. (in disp. l., p. 75 sq.) putat, *vocabulum ταπεινοφρ.* h. l. *in bonam sumendum esse partem* (conf. id, quod diximus p. 189, not. 1) et dictione: *θρησκ. τ. ἀγγ.*, intelligi autumat *Dei colendi rationem*, *ab Angelis acceptam*, *cum disputationis praecedentis* (vs. 14 et 16) *causa*, *tum propter Judaeorum opiniones de lege Mosaica*, *per Angelos lata* (*Act.* VII: 38, 53, *Gal.* III: 19, *Hebr.* II: 2 cll. I· 4 sqq.). Hoc tamen si voluisset PAULUS, ni fallimur, clarius mentem suam enuntiasset.

perspicere tentet (1). Designat igitur dictio: *ὁ νοῦς τῆς σαρκός*, *mentem carne* directam, *voluntatem* regentem (2). Alibi formulae: *εἰδέναι*, *γινώσκειν κατὰ σάρκα*, occurrunt, quae denotant, homines in generis sui sociis ipsoque adeo CHRISTO cognoscendis *inanibus humilibusque* duci *opinionibus*, intimam spiritualemque conjunctionem impedientibus, atque efficientibus, ut tales homines constanter *sibi solis* vivant (3). Sic etiam sunt, PAULO judice, *σοφοὶ κατὰ σάρκα*, id est, ii, qui *mentem judiciumque* ad *humilia* atque *vana* convertunt (4), et hanc ob causam a Dei *sapientia*, quae in CHRISTO cernitur, perspicienda prorsus sunt remoti (5). Est porro *studium carnis* (*τὸ φρόνημα τῆς σαρκός*), sive directio, qua quis *τὰ τῆς σαρκὸς φρονεῖ*, ad vilia *mente* agitanda atque *voluntate* exsequenda sese

---

(1) Ib.: *ἃ ἑώρακεν ἐμβατεύων εἰκῆ*: vocula *μὴ* (vel *οὐκ*, ut alii habent codices), quam tuetur DE WETTIUS (in c. l., ed. II, ad h. l.), ante *ἑώρ.* e textu eliminanda videtur (conff. HUTH. et STEIG., in cc. ll. ad h. l.); *εἰκῆ* optime cum participio *ἐμβατεύων* conjungitur (vidd. DE WETT. et STEIG., in cc. ll., ad h. l.), non cum participio *φυσιούμενος* (ita HUTH., in c. l., ad h. l.). Caeterum formula: *ἃ ἑώρακεν*, si ad dictionem praecedentem attendimus, optime vertitur: *ea*, quae de iis, quae ad *angelos* pertinent, *intus vidit* sive *percepit*, non: *quae de rebus Christianis vidit*, prouti interpretatur v. d. GRIETH., in disp. l., p. 76.

(2) Minus recte voce *νοῦς* hic, pronti etiam *Rom.* I: 28 (vid. p. 246), v. d. GRIETH. denotari censet *sentiendi rationem* (in disp. l., p. 76 sq).

(3) 2 *Cor.* V: 16 cll. vs. 14 sq.

(4) Vid. p. 127.

(5) 1 *Cor.* I: 26 cll. vs. 18 sq., 20 sqq., 24 sq., 27 sqq., II: 1 sq., 4 sqq.

convertit (1); sunt denique *carnis cupidines* (2), *affectiones*, *voluntates* (3), quae peccatorem occupant. Ex hisce, nisi fallimur, plene intelligitur, quo sensu tantam *carni* assignare possit PAULUS vim, et peccati adeo *sedem* ad *istam* referre queat. *Ista*, tamquam *vis movens* (4), ad omnes facultates *penetrat*, sive *mentem voluntatemque* sibi subjicit, et praecipue etiam *in corde* regit, prouti vel luculentissime apparet ex commemoratione *cupidinum affectionumque carnis*, quae sine *cordis* efficacitate adesse haud possent (5), et insuper exinde, quod homo *corde suo* sese primum *a Deo avertere* incipit (6), cum hujus vero *aversionis* initio, simul adest *directionis carni convenientis* ortus (7); unde merito derivari potest, *carnem* per *cor* veluti *ad reliquas facultates* sibi transitum praebere.

Ex iis vero, quae hactenus diximus, minime ducendum est, naturam facultatesque peccatoris ita corruptas esse, ut omnem vim, qua iterum ad bonum converti possint, amiserint, sive, ut ajunt, *imaginem divinam*

(1) *Rom.* VIII: 5 sqq. cll. p. 144.

(2) Vid. p. 187, not. 7.

(3) Vid. p. 187, not. 8 et 10.

(4) Vid. p. 189.

(5) Conff. ea, quae p. 131 sq. vidimus. Pravae igitur *cupidines cordi* assignari (*Rom.* I: 24) et simul cum *carne* cohaerere possunt (p. 239, not. 1); idem etiam de pravis *affectionibus* valere effici potest ex eo, quod p. 239 diximus. Ni fallimur res ita, ex PAULI mente, est proponenda: sunt *irritationes carnis*, τῆς ψυχῆς ope vigentis, haud culpandae (p. 147 sq. cll. p. 150); sunt *cupidines carnis* perversae, quae in *corde* regunt.

(6) P. 181 sq. cll. p. 245 sqq.

(7) P. 231.

amissam esse. Talis sententia apud PAULUM frustra quaeritur. Dicit hic quidem, omnes homines peccasse et **ὑστερεῖσθαι τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ** (1); sed vox **δόξα** h. l. *non* indicat *splendorem*, homini *naturâ* proprium, sed *honorem*, a Deo in hominem redundantem, qui Illius voluntati convenienter sese componere velit: egregie cum hac vocis **δόξα** notione convenit verbum **ὑστερεῖσθαι**, utpote proprie „*in cursu relinqui,*" *eoque* „*posteriorem fieri*" *notans;* tum *quoniam pone rem relictus re caret, serioribus scriptoribus* „*destitui, carere*" *valet* (2). Ita etiam alia effata, quae primo obtutu tali opinioni favere videantur, ubi rite explicantur, omni probandi vi carent (3). Quin adeo sunt dicta, luculenter evincentia, Apostolum in homine peccato dedito etiamnum sublimioris naturae vim agnoscere. Ita, ut alia omittamus (4), in *epistolae ad Romanos* capite septimo agit ille de conditione hominum, sub lege gementium, et liberationem, quam lex illa afferre non valet, enixe appetentium: in hacce descriptione luculenter ex *sua ipsius experientia* proficiscitur, cum *nondum* Christianus esset factus; etenim constanter *prima* utitur *persona* (5), sive, ut Rhetorici

---

(1) *Rom.* III: 23.

(2) Sunt verba FRITZSCHII, in c. l. I, p. 187.

(3) Ita *Col.* III: 10 cll. *Eph.* IV: 24 unice spectatur homo, qui, per CHRISTUM regeneratus, summae perfectionis capax redditur; minime autem cogitatur de homine *ante lapsum;* conf. MÜLL., in op. l., II, p. 476 sqq.

(4) *Act.* XVII: 28 sq. cll. vs. 26, conf. p. 48 cll. ib. not. 3; vid. etiam MÜLL., in op. l., II, p. 480 sq.

(5) Conf. p. 243 cll. p. 212 sqq. Varias interpretationes loci gravissimi *Rom.* VII: 7-25 cum alii attulerunt atque in examen

dicunt, *ἰδίωσιν* adhibet (1). Postquam miseram legis, *per se bonae*, vim in hominem descripsit (2), causam,

---

vocarunt, tum THOLUCKIUS (in c. l., p. 353 sqq. cll. p. 347 sqq.), et accurate praesertim viri venerabiles FOCKENS et BERGSMA (in commentationibus: *Over het zevende Hoofdstuk van den Brief van* PAULUS *aan de Romeinen; uitg. d. h. H. Gen.* etc., 1833; *ille* p. 18 sqq. cll. p. 228 sqq., *hic* p. 6 sqq.). Uterque, vel parum vel nihil, si rei summam spectes, a nostra interpretatione recedens, statuit, PAULUM legis miseram vim adumbrare voluisse, et pronomine ἐγώ utentem personam agere hominum, durum legis jugum ferentium, sua ipsius experientia, cum nondum Christianus esset, minime exclusa (*ille* p. 168 sqq., 212 sqq., 222 sqq., 254 sqq. cll. p. 141 sqq., *hic* p. 213 sqq. cll. p. 188 sqq.). Insuper v. v. BERGSMA diserte monet, Apostolum vs. 9 primum vitae stadium respicere (in comm. l., p. 197, 216 sq., 222 sq.; conf. id, quod diximus p. 214, not. 2). — THOLUCKIO (in c. l., p. 360 sq. cll. p. 359) largiri haud possumus, Apostolo, inde a vs. 14 tempus praesens adhibenti, conditiones (*Zustände*) ob oculos versari, quae *interdum* atque *obiter*, non vero *vulgo* atque *constanter*, in *regeneratos* quadrent; etenim praesens hocce tempus optime explicari potest, si tenemus, PAULUM sese totum transferre in dierum praeterlapsorum memoriam, quod v. ille d. negat: praeterea explicationi, quam attulimus, maximopere favent ea, quae occurrunt *Rom.* VIII: 1 sqq., *Gal.* V: 16 sq.; vid. Cap. X.

(1) Talis schematis *hanc* esse *rationem* docet FRITZSCHIUS (in c. l. II, p. 24), *ut vim ac vigorem orationi conciliaturus in te transferas, quae vel in neminem non vel in certum hominum genus conveniant;* simul observat d. interpres, *metaschematismi* nomen, a *permultis* ad tale schema designandum adhibitum, haud aptum esse. Immerito vero ille urget, Apostolum suam experientiam prorsus exclusisse. Ipse ille pronomen ἐγώ interpretatur ratione, quae nobis parum cum dictorum PAULI ardore congruere videtur (in c. l., II, p. 23 sqq. cll. p. 28 sq.); vidd. omnino ea, quae FRITZSCHIO, prouti etiam REICHIO, satis mire hunc locum interpretanti (in c. l., II, p. 26 sqq.), objecit THOLUCKIUS (in c. l., p. 349 sqq.).

(2) *Rom.* VII: 7 sqq.

cur talem habeat vim, ita profert: *Οἴδαμεν γάρ, ὅτι ὁ νόμος πνευματικός ἐστιν· ἐγὼ δὲ σάρκινός εἰμι, πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν* (1). Quia igitur lex *indole* sua *spiritualis* dici meretur, — sive talis, ut non nisi ab illo, qui ipse *spiritualis* sit, observari queat, — homo vero, directionem *praevalentem* si spectes, *carnalis* est, et ideo *servus venditione* veluti *subjectus* peccati *arbitrio* (2), is quaecunque legi illi contraria sunt agit, sive *directio* ista, ex *carne* profecta, sese continuo „*manifestat*;" hanc ob causam PAULUS etiam *de lege*, divinae legi opposita, *quae in membris est*, *de lege peccati*, quae *in istis residet*, loquitur, vel de **τῷ σώματι τοῦ θανάτου τούτου**, de *corpore, mortem*, peccati sequelam, *prodente* (3). Directioni autem isti perversae sese opponit *voluntas* quaedam *debilis*, *sublimiori hominis naturae* (**τῷ ἔσω ἀνθρώπῳ, τῷ νοΐ** (4)) *propria*. Sic jam *duae* veluti *personae* (*duplex ἐγώ*) in eodem homine sunt conjunctae; una *perpetrat malum* (5), altera,

---

(1) Ib. vs. 14.

(2) Conf. FRITZSCH.. in c. l., II, p. 47.

(3) Ib. vs. 23 sq.; conff. omnino ea, quae observavimus p. 239 sqq. Caeterum non facimus cum interpretibus illis, qui distinctionem adesse censent, alii aliam, inter dictiones: *ἕτερ. νόμ. ἐν τ. μέλ. μ.* et *τ. νόμ. τῆς ἁμαρτίας, τ. ὄντ. ἐν τ. μέλ. μ.*

(4) Consulto PAULUS vs. 22, 23, 25 hasce dictiones adhibet, et non loquitur de *τῷ πνεύματι*, homini naturâ proprio, ita enim distinctius ostendere potest, se non de Christianis agere: conf. Cap. X.

(5) Ib. vs. 15 sqq. Diserte de perversa ista directione disserit Apostolus vs. 18: *οὐκ οἰκεῖ ἐν ἐμοί, τοῦτ' ἔστιν ἐν τῇ σαρκί μου, ἀγαθόν*, *non habitat in me, hoc est,* in me, *quatenus carni subsum, bonum.* Idem spectat noster vs. 17 et 20 dictione utens: *ἡ οἰκοῦσα ἐν ἐμοὶ* (quatenus *carne* regor) *ἁμαρτία.*

quippe invita abrepta, *hoc haud* vere *cognoscit*, quin adeo *non vult*, *odit* et *concedit* **τῷ νόμῳ, ὅτι καλός:** ita ut *talis* homo dicere possit: **οὐκέτι ἐγὼ** (quatenus *sublimioris naturae* voluntas in me viget) **κατεργάζομαι αὐτό**, id est, malum, quod *in lucem* prodit (1). En igitur atrox pugna inter *legem peccati*, *quae in membris est*, *et quae ex carne* sese *explicuit*, et **τὸν νόμον τοῦ νοός**, id est, *legem divinam*, quam **ὁ νοῦς** tamquam suam agnoscere cogitur et exsequi gestit. *Illa* lex semper, cum agendum est, victoriam reportat, *haec* vincitur, *illamque* expellere prorsus nequit, unde fit, ut, sese *miserrimum* esse, sentiat luctator (2). Manet igitur talis hominis, quamdiu non *totus* ipse mutatur, haec conditio, ut **τῷ μὲν νοΐ** *serviat* **νόμῳ Θεοῦ, τῇ δὲ σαρκὶ νόμῳ ἁμαρτίας**, id est, *legi*, continuo actiones pravas manifestanti (3).

Minime ex hacce descriptione ducendum est, **τὸν ἔσω ἄνθρωπον, τὸν νοῦν** immunem manere a peccato et hoc non contaminari, etenim talis sententia iis, quae supra exposuimus, contraria foret: tantummodo docere vult PAULUS, *vim carnis dominantem*, e qua peccatum

---

(1) Ib. vs. 15 sqq. — Versus 21 sensus nobis huc redire videtur: *Reperio itaque mihi legem*, sive id, quod *pulcrum* est, exsequi volenti, *mihi*, inquam, *malum in promptu esse* (conf. FRITZSCH., in c. l., II, p. 57). — Quam clarissime PAULUS vs. 22 de homine, quatenus *sublimioris* in eo regnat *naturae* vis, agit: verbum enim *συνήδεσθαι*, *intus gaudere*, h. l. obvium, respondet verbo *θέλειν* (vs. 15 sq., 18 sqq.), dictio autem: *κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον* evincit, undenam illud *συνήδεσθαι*, *θέλειν* progrediatur.

(2) Ib. vs. 23 sq.

(3) Ib. vs. 25.

proficiscatur, haud efficere posse, ut *sublimioris* illius *naturae* vis bona prorsus tollatur. Hoc autem de omnibus valet hominibus, quamquam enim in multis nondum talis exstitit pugna, igiturque sublimioris illius naturae vis bona nondum evigilavit, tamen, somno licet sepulta, adest.

§ 19.

De peccati sequela, cum ista vi arctissime conjuncta.

Sequela, ex qua, Apostolo judice, vel luculentissime peccati miseria cernitur, est *mors*, ***ὁ θάνατος*** (1). Nobis igitur incumbit paucis de hujus agere notione, quae qualis sit tam secundum PAULUM, quam secundum reliquos, qui in C. S. dicentes scribentesque occurrunt, haud exigua lis est inter viros doctos.

Alii enim statuunt, ADAMUM, cum deliquisset, secundum Dei comminationem, antea factam, mortem oppetiisse, et dein posteros omnes peccando *sibi* contraxisse *moriendi* fatum, tamquam poenam, aliquando *a Deo statutam* (2). Alii putant, ***τὸν θάνατον*** complecti omnem miseriam physicam, quae culmen attingat in *morte physica*, cujus experiundae ante pec-

---

(1) *Rom.* V: 12 sqq., 1 *Cor.* XV: 21 sq.

(2) Conff. REICHIUS ad *Rom.* V: 12 (in c. l., I, p. 366 sq. cll. p. 373 sq.), FRITZSCHIUS ad eundem l. (in c. l., I, p. 292 sq. cll. p. 300 sq.) et MEYERUS (in c. l., ad l. l.). Non tamen tam strictae *τοῦ θανάτου* notionis *ubique* tenax est REICHIUS; conf. e. g. id, quod ad *Rom.* VII: 10 de verbo *ἀπέθανον* observat (in c. l., II, p. 101); prouti etiam MEYERUS ab ea recedit, ita ad *Rom.* VI: 16 (in c. l.).

cati ortum fuisset *capacitas*, non vero *necessitas*, et eundem simul comprehendere omnem miseriam spiritualem, cujus culmen sit *mors spiritualis*, quae, nisi resipiscat peccator, necessario aliquando evadat *mors aeterna* (1). Alii censent, *formam horrendam*, *qua* homines *moriantur*, et *rationem*, *qua* hujus *mortis neces-*

---

(1) Ita KRABBIUS (in op. l., p. 188 sq. cll. p. 73 sq., 178 sqq.). Postquam primum disquisivit hic v. d., quo sensu in V. F. ad peccatum referatur *mors*, et quatenus cum *hacce* cohaereat miseria (in op. l., p. 68 sqq., 93 sqq.), eidem latam illam, quam supra expressimus, notionem cum in N. F. reliquo, tum in PAULI epistolis assignandam esse censet. Addit vero, τὸν θάνατον in aliis dictis *magis* ab hac, in aliis ab alia spectari parte, dum interdum modo sensu occurrat latissimo illa vox, prouti *Rom.* VI: 23 (in op. l., p. 196, not 2, p. 201). Idem v. d. significat, homines, quamvis non peccassent, subire debuisse commutationem corporis, ut ipsis aditus pateret ad excelsam coelestemque vitae conditionem (in op. l., p. 192 sqq. cll. p. 303). Talem, qualem KRABBIUS profert, de *morte* sententiam assumunt quoque THOLUCKIUS (in c. l., p. 250 sqq.) et NITZSCHIUS (in op. l., p. 238 sqq.). — MÜLLERUS contendit, in *S. S.*, ubi θάνατος, ἀποθνήσκειν, νεκρὸν εἶναι peccati dicatur sequela, vulgo non spectari *mortem physicam*, sed vel *conditionem internam* peccatoris, *hac in vita* jam praesentem, vel *miseram* improborum *exsistentiam* post *mortem physicam* (in op. l., II, p. 385 cll. p. 402 sq.). Attamen *hujus* etiam subeundae necessitatem ad peccatum referri arbitratur, ita a PAULO *Rom.* V l. l., *si conferatur* cum 1 *Cor.* XV l. l. (cll. *Rom.* VIII: 10). Quod quanto fieri possit jure, paullo superius probare tentat v. d., ubi antumat, minime abs re esse sibi effingere: „*dass der Mensch*, *wenn die Bestimmungen des gegenwärtigen irdischen Daseins sich an ihm erfüllt hätten*, *demselben nicht durch einen zerstörenden Bruch*, *sondern durch eine dem höher entwickelten innern Leben entsprechende Erhebung seines Leibes zu vollkommnerm Dasein entrückt würde*" (in op. l., II, p. 384). Peccatum, quod talem *mortem* provocet, intime

sitatis sibi conscii evadant, intime inter se conjunctas, ad peccatum referendas esse (1). Prolata denique etiam est sententia, peccato effici, ut homo, e terra decedens, in *statum* perveniat, in quo vera vita sit destitutus, et qui non sit, nisi necessaria sequela *conditionis internae miserae* (*mortis spiritualis*), quae *hac in terra* jam adfuerit (2).

---

cum natura humana cohaerere censet, et hanc sententiam cum dictis *Rom.* V et 1 *Cor.* XV ll. ll. obviis in concordiam redigere tentat (in op. l., II, p. 398 sqq.). Istud autem peccatum a viro d. repeti e *lapsu*, qui *ante hancce vitam* obtinuerit, supra jam observavimus (in op. l., II, p. 486 sqq.; conf. h. diss., p. 219, not. 1 cll. p. 218); simul vero *mortis* dominationem ad ADAMUM refert aeque atque rationem, qua peccatum *hac in vita* sese evolvat (conf. h. diss., p. 219, not. 1): „*So wird denn auch*" inquit „*vom Gesetz des Todes zu sagen sein, dasz wir ihm zunächst um der Sünde* ADAMS *und der dadurch entstandenen Verderbnisz unsrer sinnlichen Natur willen, mittelbar und in letzter Beziehung aber wegen unsrer eignen Urschuld unterworfen sind*" (in op. l., II, p. 534 cll. p. 533). Qualis sit conditio Christianorum *statim*, postquam mortui sint, enucleat v. d. in op. l., II, p. 404 sqq. cll. p. 403.

(1) Ita NEANDER (in op.: *Gesch. d. Pfl. u. Leit.*, II, p. 581 sqq.). Cum in PAULI epistolis, tum in JOHANNIS scriptis *mortem* ad peccatum hac notione referri defendit KLAIBERUS, qui simul hanc notionem latius extendit (in op. l., p. 42 sqq.).

(2) Huc redit sententia, quam protulit MAU, *Vom Tode, dem Solde der Sünden* etc., 1841. De industria hic v. d. ostendit, quantis prematur difficultatibus KRABBII placitum, *mortem physicam* e peccato oriri (in comm. l., p. 11 sqq.). Ut ad rectam *mortis, peccati sequelae*, notionem perveniat, inquirit, KRABBIUM continuo refutans, cum in V. F. hujusque *libros Apocryphos*, tum in PAULI epistolas et N. F. reliquum (in comm. l., p. 54 sqq., 82 sqq., 88 sqq.). Praecipue evincere studet, *mortis* notionem lucem repetere ex Hebraeorum cogitandi ratione de *Orco*, in quo non adsit vita,

Varias hasce sententias examinare, nobis minus fructuosum videtur: praestat, nostro judicio, breviter exponere, quaenam, si ad PAULI cogitandi rationem de peccati vi attenditur, oriatur *τοῦ θανάτου* notio; tantummodo observamus, sententiam illam, qua *mors physica*, per se spectata, ad peccatum refertur, improbabilem esse: etenim obstat illi Apostoli de *carne*, naturâ debili atque fragili, placitum; obstant illi insuper vel maxime ea, quae in *epistola ad Corinthios priore* occurrunt de *moriendi* necessitate, ut corpus hocce convertatur in excelsius organon, vitae internae per CHRISTUM progressae coelestique conditioni congruum (1).

---

vere hoc nomine digna. Hanc cogitandi rationem sensim sensimque in melius explicitam esse enucleare tentat, et in N. F. etiam eatenus immutatam esse, quatenus in eo improbi *soli* post decessum e terra in *Orco* poenas luere dicantur, probi autem melioris conditionis participes evadere ferantur, ita tamen, ut in ejusdem scriptis consummata salus, aliquando futura, a CHRISTO demum repetenda esse perhibeatur (in comm. l., p. 78 sqq., 83 sq., 84 sqq.). Denique autumat idem v. d., in aliis effatis, cum in PAULI epistolis, tum in reliquo N. F. obviis, magis respici *mortem internam, hac in terra jam praesentem*, in aliis *conditionem*, *aliquando futuram*, disertius in lucem protrahi, quamvis *utraque* indivulso vinculo ubique cohaereat, unde fiat, ut in multis dictis primariis ab *una* sponte in *alteram* transeatur (in comm. l., p. 120 sq.). — Quid BAUMGARTEN-CRUSIUS, BRETSCHNEIDERUS aliique de *morte* censeant, indicat MAU, in comm. l., p. 72, 134 sqq.; varias sententias cum *antiquiore*, tum *recentiore* tempore prolatas accuratius recenset THOL., in c. l, p. 642 sqq.

(1) 1 *Cor.* XV: 44 sqq. FRITZSCHIUS (in c. l., I, p. 292 sq.) defendit contra REICHIUM (in c. l., I, p. 442 sq.) et BRETSCHNEIDERUM (*Die Grundl. d. ev. Piet.*, p. 186), Apostolum sibi non obloqui *Rom.* V: 12 cll. 1 *Cor.* XV: 21 et 1 *Cor.* XV: 47; sed tamen ipse pugnam esse statuit inter *Rom.* V l. l. et 1 *Cor.* XV: 48-50:

Ut rite dijudicemus, qualis sit *mors*, peccati sequela, primum in memoriam est revocandum, qualis sit peccatoris *vita.* Non agitur haec in conjunctione cum Deo, non *spiritui*, igniculo divino, est consentanea, sed unice ad *hanc terram* est directa atque *carni* conveniens. Quid igitur magis naturale est, quam ut talis hominis vita *intereat*, ubi is *terram* deserat, et ubi *caro* in pulverem convertatur, utque, cum omnia ei eripiantur, in quibus hactenus spem felicitatemque posuisset, nihil ei in posterum restet, nisi *misera exsistentia*, prorsus vitae nomine indigna (1). *Ista* autem, ut nobis videtur, proprie non continetur appellatione **τοῦ θανάτου**, sed tam necessario ex *hocce* sequitur, ut, ubi de *hocce* sermo fiat, de tali *exsistentia* sponte oriatur cogitatio; unde intelligitur, cur *mors* sive *interitus* plus semel opponatur *vitae aeternae* (2).

Ea, quam attulimus, *mortis* notio egregie commen-

„*Nam*" inquit, „*posteriore l.* PAULUS *homines mortales esse disputat, quia ab* ADAMO, *viro mortali, geniti sint, ut eorum corpus dissipari, et interire necesse sit, sive peccent sive recte agant, quum e pulvere illud concretum sit, quemadmodum corpus* ADAMI; *priore* autem *l. omnes homines „quia peccassent" morte absumtos esse scribit, quo eos non interituros fuisse indicat, si peccata devitassent*" etc. Hanc difficultatem ita tollere tentat interpres d.: *Sed nimirum possunt alicui alia alio tempore placere.* — KRABBIUS attendens ad ea, quae PAULUS de corpore ψυχικῷ, χοϊκῷ disputat, satis tenax esse nequit sententiae, quam e C. S. elicit, corpus *mortale* factum esse peccato, dum antea fuisset *mortalitatis capax* (in op. l., p. 192 cll. p. 71 sq., p. 119 sq., 194).

(1) Vid. Cap. VII.

(2) *Rom.* V : 21, VI: 21 sq., 23 etc. — *Rom.* II: 12, 2 *Thess.* I : 9 conditio misera, aliquando futura, tamquam *interitus* depingitur ratione habita VITAE, quam hac in terra etiamnum agunt peccatores.

datur disertis PAULI effatis: τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς, inquit, θάνατος est; — εἰ κατὰ σάρκα ζῆτε, μέλλετε ἀποθνήσκειν (1); — ὁ σπείρων εἰς τὴν σάρκα ἑαυτοῦ, ἐκ τῆς σαρκὸς θερίσει φθοράν (2). Eorum hominum, *quorum Deus* est ἡ κοιλία καὶ ἡ δόξα ἐν τῇ αἰσχύνῃ αὐτῶν, quorum *studium* sese ad τὰ ἐπίγεια extendit, *exitus* ἀπώλεια est, ex Apostoli mente (3).

Ista mors semel iterumque tamquam haece in vita jam praesens proponitur, quia homo simulatque sese peccato mancipat, *isti* sese subjicit, et verae vitae semina, quibus in primo gaudet vitae stadio, supprimit (4). Tota jam illius explicatio *interitui* fit congrua, singula peccata, quae edit *corporis* hujusque *membrorum* ope, sunt *fructus, quos fert morti* (5); per breve temporis spatium sub peccato vivit *militat*que, donec hoc *stipendia sua*, id est **τὸν θάνατον**, solvit (6).

Vel maximum etiam praesidium id, quod de *morte* observamus, accipit, si attenditur ad rationem, qua semel iterumque data opera de ista agit noster. Sunt, ex hujus mente, duae hominum series: *una series* ab ADAMO ortum ducit; ad eam qui pertinent peccatores sunt atque *moriuntur* (δι' ἀνθρώπου ὁ θά-

---

(1) *Rom.* VIII: 6, 13.

(2) *Gal.* VI: 8.

(3) *Phil.* III: 19.

(4) *Rom.* VII: 9 sqq., 13.

(5) Ib. vs. 5 cll. vs. 24, VI: 21 cll. vs. 19 sq., *Eph.* II: 1. Quam ob causam Apostolus *Rom.* VIII: 10 Christianorum, quos alloquitur, *corpus* dicat νεκρὸν δι' ἁμαρτίαν, in Cap. X videbimus.

(6) *Rom.* VI: 23.

νατος, — *ἐν τῷ Ἀδὰμ πάντες ἀποθνήσκουσιν* (1)); *altera series* simul intime cum CHRISTO est conjuncta; ad eam qui pertinent, *peccati* potestati sunt exemti simulque *morte* sunt liberati; — nam *illud* est *stimulus*, quo *haec* efficax redditur (2). — CHRISTUS nempe, sanctus divinusque homo, *mortem* omnino expertus est (3), minime vero peccatoris ad instar evanuit; e contrario e mortuis resurrexit, vitamque patefecit, *mortis* victricem, plane divinam, omni in posterum etiam *interitu* majorem (4). Illius *resuscitatione* omnium, qui fide in unum veluti cum illo coaluerunt, continetur *resurrectio*, illius vita in hos redundat (*δι' ἀνθρώπου ἀνάστασις νεκρῶν*, — *ἐν τῷ Χριστῷ πάντες ζωοποιηθήσονται* (5)). Sunt hi peculium JESU CHRISTI, *καταργήσαντος μὲν τὸν θάνατον*, *φω-*

---

(1) 1 *Cor.* XV: 21 sq. cll. *Rom.* V: 12, 15, 17 sqq., 21.

(2) 1 *Cor.* XV: 56. Imago desumta est a pastore, qui pecora *stimulo* exagitat; hoc dictum si ita sumitur, egregie explicari possunt sequentia: *ἡ δὲ δύναμις τῆς ἁμαρτίας ὁ νόμος* cll. *Rom.* VII: 7 sqq.

(3) Non potest non CHRISTI *mors* iis difficultatem praebere, qui *mortem physicam*, per se spectatam, peccato tribuendam esse censent. Hanc difficultatem evitat KRABBIUS, observando, CHRISTI corpus non expertum fuisse *διαφθοράν*, sed ex eo, in sepulcro recondito, statim explicitum esse excelsius organon (in op. l., p. 256, 299 sqq.). MÜLLERUS statuit, CHRISTUM, hominum vi oppressum, eodem corpore *terreno* instructum *resurrexisse*, et hocce *sensim sensimque* subiisse commutationem (jam *ante mortem* praeparatam), donec, CHRISTO ad coelos adscendente, *plene τὸ σῶμα τῆς δόξης, τὸ σῶμα πνευματικόν* (*Phil.* III: 21, 1 *Cor.* XV: 44) evaserit (in op. l., p. 394 sqq. cll. p. 397 sq.).

(4) *Rom.* VI: 9 sq.

(5) 1 *Cor.* XV: 21 sq., *Rom.* V: 17 sq., 21.

τίσαντος δὲ ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν διὰ τοῦ εὐαγγελίου (1). His igitur mors non est *vis perniciosa*, non *vitae interitus*, sed *transitus*, summopere optabilis (2) ad excelsam conditionem, in qua *plene* atque *ab omni parte* ea fruituri sunt vita, cujus nunc gaudent initiis (3).

Si ad ea, quae explicuimus, rite attenditur, satis intelligi poterit, cur Apostolus omnes omnino ante CHRISTUM mortem gustasse contendere possit, eos etiam, qui a peccato licet haud immunes fuerint, tamen sese ad divina aeternaque extenderint (4). Etenim ii, quamquam e terra decedentes melioris sine ullo dubio, quam perversi homines, sortis participes evadunt, caeterorum ad instar evanuerunt, et non *patefecerunt*, se vitam agere *morte* haud exstinguendam. Insuper vero vel eos etiam consummatam salutem a CHRISTO demum repetituros esse, significat noster.

---

(1) 2 *Tim.* I: 10. Quam arcte Apostolus Christianorum vitam, post mortem futuram, cum CHRISTI conjungat resurrectione, clare perspicitur ex verbis 1 *Cor.* XV: 18 cll. vs. 17 obviis: *εἰ δὲ Χριστὸς οὐκ ἐγήγερται — ἄρα καὶ οἱ κοιμηθέντες ἐν Χριστῷ ἀπώλοντο.*

(2) *Rom.* VIII: 23, *Phil.* I: 21, 23. Quod 2 *Cor.* V: 4 legitur cum illis sententiis pugnare videtur. Sed rite tenendum, Apostolum h. l. *mortis* (*τοῦ ἐκδύσασθαι*) metum prodentem, spe occupatum esse, fore ut tempore CHRISTI *παρουσίας* etiamnum in vivis sit (conf. p. 98 sq., not. 5); jam commutationem, quam tunc fore censet (*τὸ ἐπενδύσασθαι*), optabiliorem ducit, quam conversionem, quae per *mortem* fiat, et inde, quod viro illi fervido prorsus est consentaneum, ita loquitur, ac si talem conversionem reformidet.

(3) 1 *Cor.* XV: 53 sqq. cll. vs. 42 sqq.

(4) *Rom.* II: 6, 10.

Nonnulli viri docti, multa dicta, in Rabbinorum praecipue scriptis obvia, respicientes, comprobare studuerunt, PAULUM placitum cum de peccati (1), tum de mortis ortu, ab ADAMO derivando, ex Judaeorum hausisse theologia (2). Rite autem nobis animadvertendum videtur, tam Judaeos (3), quam Apostolum progredi potuisse ex narratione, *in Geneseos libro* de conjunctione peccati cum *morte* inveniunda (4). Quod vero minime ita intellectum volumus, acsi PAULI sententia, prorsus eadem sit, atque ea, quae in illo libro occurrat; etenim, prouti satis diximus, nostri de **τῷ θανάτῳ** cogitandi ratio peculiarem accipit colorem ab ejus de resurrectione CHRISTI atque vita, ex hocce progressa, placito (5). Hanc ob causam supervacaneum esse ducimus multis disquirere, quo redeat *Geneseos* scriptoris de re, quam disquirimus, mens. Longum etiam est perscrutari, *quo sensu* alibi in

---

(1) Vid. p. 219 sq.

(2) Conf. de hisce viris doctis THOL., in c. l., p. 252 sq.

(3) Horum sententias recenset FRITZSCHIUS (in c. l., I, p. 293 sq.), iisque recensitis, addit: „*Quamquam igitur de causa, quâ post* ADAMI *facinus omnes homines interirent, inter Judaeos minime constitit, de eo tamen amice conspirarunt,* ADAMI *scelere effectum esse, ut homines „physicam mortem" oppeterent.* Unam tamen affert v. d. exceptionem (in c. l., I, p. 294 sq.). Conff. insuper REICH., in c. l., I, p. 367 sqq. et omnino THOL., in c. l., p. 253 sqq.

(4) *Gen.* II: 17, III: 16 sqq. In hisce dictis explicandis et inter se conciliandis, *si rei summam* spectes, cum KRABBIO (in op. l., p. 68 sqq.) convenit MÜLLERUS (in op. l., II, p. 385 sqq. ell. p. 393 sq.) et discedit a MAUIO (in comm. l., p. 58 sqq.).

(5) Inde satis sequi ducimus, quale tribuendum sit pretium convenientiae, quae PAULUM inter et Rabbinos adsit.

V. F. (1), in hujus *libris Apocryphis* et in N. F. reliquo ad peccatum referatur *mors*, et quatenus dicta, in omnibus hisce scriptis obvia, tam inter se conspirent atque a se invicem discrepent, quam cum PAULI effatis conveniant atque ab hisce discedant. Commemoramus solummodo, in *libris Apocryphis* semel iterumque narrationis, in *Geneseos libro* inveniundae, rationem haberi (2), et eandem in N. F. reliquo *leviter* respici (3), non vero diserte eo modo, quo in Apostoli nostri fit epistolis, adhiberi.

---

(1) Censet KRABBIUS, in V. F. peccati cum *morte* cohaerentiam tam aliunde effici posse, quam ex disertis dictis *Num.* XVI: 29 sq., XXVII: 3, *Ps.* XC: 7 sqq. obviis (in op. l., p. 97, 98 sqq.); negat hocce MAUIUS (in comm. l., p. 86 sqq. cll. p. 78). MÜLLERUS talem cohaerentiam doceri putat *Num.* XVI l. l. et *Ps.* XC (vs. 7, 9, 11). Eatenus tamen accedit hic v. d. ad MAUII sententiam, p. 262 sq., not. 2 explicitam, quatenus confitetur, in V. F. cum cogitatione de morte *vulgo* arctissime conjunctam esse cogitationem de *conditione* in *Orco*, quin adeo interdum, *hunc illamque* mortis nomine indicari, prouti *Ps.* VI: 6, IX: 14 (in op. l., p. 387 sq.).

(2) *Jes. Sir.* XXV: 24, *Sap. Sal.* II: 24

(3) Conf. *Jac.* I: 14 sq.; qui scriptor tamen libere admodum hac narratione utitur. — JESUM *Joh.* VIII: 44 verba pronuntiantem: *Ἐκεῖνος* (ὁ διάβολος) ἀνθρωποκτόνος ἦν ἀπ᾽ ἀρχῆς, non respexisse Diaboli *seductionem* (*Gen.* III: 1 sqq.), qua homines *mortui sint* (conf. KRABB., in op. l., p. 133 sqq.), sed CAINI *fratricidium*, nobis, vs. 40 respicientibus, omnino probabile videtur; vid. insuper 1 *Joh.* III: 12 (conf. MAU, in comm. l., p. 93 sq.).

CAPUT VII.

DE RATIONE, QUAE INTER HOMINEM PECCANTEM GENUSQUE HUMANUM, PECCATO DEDITUM, ET REGIMEN DIVINUM INTERCEDIT.

§ 20.

Indicatur, qua ratione homo experiatur, vel saltem experiri possit, se a Deo deflexisse.

Quia homo peccans *libere* a Deo *sancto* deflectit, non potest non *ὑπόδικος* fieri *τῷ Θεῷ* (1), sive *culpam* coram Illo sustinere Illiusque *poenis* subjectus esse. Haec *culpa* indivulso cum peccato est conjuncta. Quoniam autem omnes homines peccatores sunt, omnes quoque *culpae* sunt obnoxii (*πᾶς ὁ κόσμος ὑπόδικος* est *τῷ Θεῷ* (2)), et quamdiu gratiam divinam, in CHRISTO exhibitam, nondum perceperunt,

(1) *Rom.* III: 19.
(2) *Rom.* III l. l.

τέκνα φύσει ὀργῆς dici merentur (1). Adest etiam illa *culpa*, ubi homines in ignorantiam de Deo Hujusque voluntate sunt prolapsi, atque vocem condemnantem conscientiae non amplius clare audire valent. Quin adeo vel tum quoque adesse potest, cum homo prave agens sibi persuasum habet, se recte agere (2). Etenim ignorantia ista ex ipso peccato oritur (3), et ejusmodi persuasio tribuenda est erroribus praejudicatisque opinionibus, e *τῇ ἁμαρτίᾳ*, ob quam homo culpandus est, repetendis. Praeterea hîc in memoriam revocandum est, claram notitiam intimumque sensum discriminis, bonum inter atque malum intercedentis, offuscari posse, non vero penitus eradicari vel in singulis hominibus, vel in iisdem in societate conjunctis, et insuper *conscientiae* vim supprimi posse, vel perverse dirigi, *eam* vero ipsam non plane exstingui (4); sin minus omni emendationi ineptus foret homo.

Ab altera vero parte rite est observandum, *culpam* eo majorem esse, quo magis homines insigni Dei beneficio Hunc Hujusque voluntatem cognoscere valeant, adeoque impediantur, quominus in ignorantiam

---

(1) *Eph.* II: 3; conf. p. 216 sq. et ib. not. 2.

(2) Contrarium non ducendum esse ex Apostoli dicto *Rom.* XIV: 23 obvio: *πᾶν ὃ οὐκ ἐκ πίστεως* (*e persuasione morali* cll. vs. 1), *ἁμαρτία ἐστίν*, merito contra DE WETTIUM (*Sittenlehre*, I, p. 111 cll. p. 308 sqq.) defendit MÜLLERUS (in op. l., I, p. 237 sq.), observans, ex illo dicto minime elici posse: *πᾶν ὃ ἐκ πίστεως δίκαιόν ἐστιν.* Conf. omnino *Joh.* XVI: 2.

(3) P. 245 sqq. cll. p. 152 sqq.

(4) P. 248 sq. cll. p. 259 sq.

incidant, vel in ea maneant, et quo certiorem habeant persuasionem, se perverse agere. Ita Judaei magis culpandi magisque poenis divinis expositi esse perhibentur (1) quam gentiles, quamvis hi, aeque atque illi, in summa versentur perversitate. Ita Apostolus propter ecclesiae Christianae vexationem se quidem summopere culpandum ducit, se adeo **ἁμαρτωλῶν πρῶτον** dicit, sed tamen simul confitetur, se **ἐλεηθῆναι**, propterea quod **ἀγνοῶν** ita egisset **ἐν ἀπιστίᾳ**. Haec igitur culpa, ex illius mente, major fuisset, si claram perversae suae agendi rationis habuisset notitiam certamque persuasionem (2).

§ 21.

Exponitur, quomodo Deus suum animum erga peccatum humanum patefaciat.

Cum coram Deo sit *reus* peccator, adeoque Illius poenis obnoxius, jam nobis paucis est videndum, quae qualesque hae sint poenae, sive quomodo Deus suum erga peccatum humanum patefaciat animum. Proprietas, qua Ille peccatum punit, dicitur **ὀργή** (3), quae sanctitatis est facies *negativa*, prouti **δικαιοσύνη** dici

---

(1) *Rom.* II: 5, ubi Apostolus, perversum Judaeum spectans, (vid. p. 230, not. 1) dicit: θησαυρίζεις σεαυτῷ ὀργὴν κτλ. cll. vs. 9 (πρῶτον).

(2) 1 *Tim.* I: 13 cll. vs. 15, *Act.* XVII: 30; conf. MÜLL., in op. l., I, p. 236 sq.

(3) *Rom.* I: 18, II: 5, 8, III: 5, *Eph.* II: 3, V: 6 cll. *Col.* III: 6 etc.

meretur facies *positiva* (1). Illa ὀργή ita, ex PAULI mente, peccatores afficit, ut sensim sensimque in majorem incidant perversitatem, utque hujus horrenda indoles plène prodeat (2). Hoc primo obtutu difficile est intellectu; nihil enim potius a Deo sancto exspectandum foret, quam ut peccatum poenis suis circumscriberet tolleretve. Quodsi vero in rem penitius inquirimus, non possumus non Apostolo assensum praebere. Cum enim peccatum liberae voluntatis abusui sit tribuendum, homo isti indulgens ad perversam sese convertit explicationem, quae, si resipiscere nolit peccator, non potest non secundum certam progredi legem. Jam vero arctissimum Deum inter et hominem stabilitum est vinculum, quod solvi nequit, quamvis hic sese ab Illo disjungat, id est, ejus vinculi notitiam sensumque supprimat. Hanc autem ipsam ob causam lex, secundum quam sese explicat perversitas, Dei subest regimini, sive prorsus necesse est, ut peccatum, intrinsecus sese expandens et extrinsecus indolem suam pestiferam manifestans, esse appareat principium Deo inimicum, hominis naturae atque destinationi contrarium. Quodsi vero quaerat quispiam, cur Deus non ocius absolutam in CHRISTO praebuerit patefactionem, qua omnes, qui vellent, peccato liberari possent, respondendum est, id, Apostolo judice,

---

(1) Vid. Cap. IX.

(2) *Rom.* I: 18 cll. vs. 24, 26 et 28. Cum dictis, quae hic obvia sunt, minime pugnant verba *Rom.* III: 25 sq. inveniunda: *διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων, ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ*, etenim eo ipso, quod Deus delicta *adesse sinebat* haec, et peccatum ipsum, *increscebant*; conf. *Act.* XIV: 16.

increvisse, quo certius ejus jugum dein frangi posset, et homines prius ejusdem vim expertos esse, quo ardentius sese ad Dei gratiam, in unico illo homine expositam, extendere possent (1). Praeterea, Deo moderante, ante CHRISTI in terras adventum *non solum* adfuit peccatum in *genere humano*, prouti § sequens docebit, neque *singulis hominibus* praeclusa est via, qua tali ratione ad Deum sese erigerent, qualis in CHRISTO plene est adducta atque manifestissime patens, prouti in Capite IX videbimus.

Ne autem PAULI sententiam de modo, quo Dei regimen circa peccatum versetur, perverse intelligamus, omnino est observandum, nullum inveniri dictum, in quo ipsa peccati exsistentia ad Deum referatur (2); insuper tenendum est, haud obscure homines Deum, sese luculentissime patefacientem, negligere vel Huic sese adeo opponere perhiberi, ubi ab Hocce summis peccati gradibus **τῇ πωρώσει** (3), vel

(1) *Rom.* III: 9 sqq. cll. vs. 21 sq., ib. vs. 23 cll. vs. 24 sqq.; conf. *Act.* XVII: 30.

(2) Haud provocari potest ad 1 *Cor.* XI: 19 et 2 *Tim.* II: 20; etenim, ubi priore l. dicit PAULUS: *δεῖ γὰρ καὶ αἱρέσεις ἐν ὑμῖν εἶναι, ἵνα οἱ δόκιμοι φανεροὶ γένωνται ἐν ὑμῖν*, jam vs. 17 et 18 indicavit, vigere inter Christianos *schismata*, ex quibus *haereses* sese evolvant; talia autem *schismata non adesse decere* profitetur. Posteriore l. pronuntiat Apostolus, ecclesiae Christianae conditionem tum praesentem respiciens, in *magno aedificio non solum esse vasa aurea atque argentea* (bonos Christianos), *sed etiam lignea atque lapidea* (malos Christianos), *et illa quidem in decus, haec autem in dedecus* tendentia; talem vero conditionem adesse *debere* minime docet, quin adeo vs. 21 contrarium perhibet; conf. MÜLL., in op. l., I, p. 476 sq.

(3) *Rom.* XI: 7 sqq. cll. vs. 11 sqq., 20 sqq.

τῇ σκληρότητι (1) atque ἐνεργείᾳ πλάνης (2) tradi dicuntur; prorsus autem necessarium est, ut homines tum pejores reddantur, quia haud sinunt, sublimioris naturae vim sese exserere, vel quia hanc de industria efficacitate destituunt. Denique haud negligendum est, PAULUM quam disertissime alibi loqui de hominibus, *semet ipsos* summae perversitati tradentibus (3), vel talem **τοῦ Θεοῦ τοῦ αἰῶνος τούτου** vim in se admittentibus, ut *mens cogitans caeca reddatur* (4). Numquam igitur Deus est, qui peccatum operetur, sed unice efficit, ut hoc eo tendat, quo tendit (5).

Ex eo, quod disputavimus, jam duci potest, Deum

---

(1) *Rom.* IX: 18. Spectat h. l. PAULUS Judaeos *pertinacissimos*, qui non solum ad salutem, in CHRISTO oblatam, haud attendebant, sed eam *spernebant*, quin adeo Deo praescribere audebant, quali ratione Ipsi erga homines versandum esset (vs. 19 sqq.). Effici hoc potest ex vs. 17, ubi provocat noster ad PHARAONIS exemplum, qui Deo, clarissime sese patefacienti, renitens, in *Exodi libro* vel *sese obdurasse* (VII: 13, 22 sq., VIII: 15, 32), vel *a Deo obduratus esse* (VII: 3 cll. vs. 2, IX: 12 sqq., X: 20, 22) dicitur. — Talibus igitur Judaeis ostendit Apostolus, a Deo solo pendere, utrum hominibus salutem offerre velit, necne (cll. IX: 6 sqq.), et consulto reticet, Illum hac in re sapientissimo consilio versari atque hominum indolis conditionisque rationem habere; in sequentibus vero satis significat, homines sua culpa salute, in CHRISTO oblata, destitutos esse (IX: 22, 30 sqq., X: 2 sqq., 12 sqq., 19 sqq. cll. XI ll. ll.).

(2) 2 *Thess.* II: 11 cll. vs. 10 et 12.

(3) *Eph.* IV: 19

(4) 2 *Cor.* IV: 4 cll. p. 222.

(5) Quatenus Deus in V. atque N. F. homines obdurare perhibeatur, et quatenus peccatum per peccatum punire dici possit, exponere studet MÜLLERUS, in op. l., II, p. 556 sqq., 560 sqq.

in peccato puniendo non ita praecipue versari, ut in homines perversos *mala externa* irruere curet; *hisce* e contrario, Apostolo docente, etiam expositi sunt *Christiani*, ut ab omni mali labe puri praestentur atque magis magisque perficiantur: sunt iis talia mala *castigationes*, eo consilio immissae, *ne cum mundo condemnentur* (1). Quam autem aliquando plene experientur et numquam non experiuntur poenam summam peccatores, *sibi*, Deo moderante, *procreant.* Hac in vita, ut diximus, talis istorum est poena, ut mali vis increscat, ut ita sublimior natura supprimatur, ut facultates in pessima quaeque dirigantur (2). Dum vero hac in terra vivunt isti, dulcedinem qualemcunque e rebus percipiunt terrenis, quibus sese per *carnem* manciparunt; sed ea etiam dulcedo speciosa istis eripitur, *morte* adventante, quam idcirco tamquam horrendum malum reformidant (3). Post mortem non possunt non iidem summae expositi esse miseriae propter vitae verae divinaeque defectum; et aliquando, cum erit *patefactio δικαιοκρισίας τοῦ Θεοῦ*, sive cum Deus per CHRISTUM mundum judicabit, et conscientia plene evigilabit, sese condemnatione dignos judicabunt peccatores; quia autem *hujus judicii* tempore istorum poena plene patefit atque stabilitur, Apostolus *iram* Divinam *cum hocce* diserte conjungit (4).

---

(1) 1 *Cor.* XI: 32.

(2) Conferri possunt ea, quae exposuimus p. 244 sqq.

(3) P. 264 sqq.

(4) *Rom.* II: 5 sqq., 16 cll. vs. 15 (vid. p. 160 sq.), 2 *Thess.* I: 6 sqq.

§ 22.

Deo moderatore effectum est, ut genus humanum, peccato deditum, ad CHRISTUM *praepararetur.*

Paullo superius diximus, Deum consulto per tantum temporis spatium peccatum grassari sivisse (1); nunc, quo melius PAULI anthropologia, universum genus humanum spectans, intelligatur, paucis nobis perscrutandum est, quatenus Ille effecerit, ut ante CHRISTI in terras adventum homines haud lateret, quales essent, et ut iidem apti redderentur ad absolutam patefactionem, liberationem a peccato ulterioremque perfectionem allaturam, capiendam (2).

Ad Judaeos si attendimus, his, ex quibus CHRISTUS progressurus erat, PAULO judice, haud spernenda oblata erant commoda (3), ita unius verique Dei cognitio, ita *lex*, scripto consignata, *quam* tamquam institutum, peccati indolem ostendens et ad CHRISTUM viam praebens, disertissime laudare solet noster.

Illa, prouti quaecunque lex, mandando vetandoque bonum promovere, malum prohibere conabatur, alte-

---

(1) P. 273 sq.

(2) De ratione, qua Judaei atque gentiles ad CHRISTUM praeparati sint, ex PAULI mente, *de industria* agitur in op. per.: *Waarheid in Liefde*, ita 1837, III, p. 543 sqq., 562 sqq., IV, p. 699 sqq.; conferri imprimis meretur brevis conspectus, quem de hac praeparatione exhibet v. cl. PAREAU in eodem op., 1841, IV: *Overzigt van de wijze, waarop zich* PAULUS *de ontwikkeling der menschheid voorstelt, zoowel die er geweest was* voor *het Christendom, als die er in zijnen tijd kwam* etc., p. 697 sqq., praecipue p. 702-709.

(3) P. 26 sqq. cll. p. 36 sq.

rum insuper pollicendo, alterum minando prosequebatur (1), non vero illa, licet ipsa esset *spiritualis*, *tale largiri* valebat internum *principium*, quali quis alterum exsequi, alterum vitare efficax esset; inde, quamdiu tale aberat principium in homine, manebat, hujus ratione habita, *γράμμα* externum (2), interdum speciosa quaedam opera procreans, non veram *δικαιοσύνην* constituens (3); quin adeo, quia data erat illa lex hominibus, haud satis *carnis* impulsibus resistere solitis (4), miserrimas vulgo habebat sequelas, quibuscum tamen salutares effectus arctissime erant conjuncti.

Una cum peccati *notitia*, experientia docente, illa peccatum ipsum afferebat (5), *τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν* eliciebat (6), opportunitatem praebebat *τῷ παραπτώματι*, ut *multipliciter sese exsereret* (7); attamen simul impediebat, quominus homines in lethargiam quandam inciderent moralem, etenim efficiebat, ut singula peccata evaderent *παραβάσεις*, si-

---

(1) *Gal.* III: 10, 12. Conferri potest v. d. HAMERSTER, *Dissertatio exegetico-theologica, de lege ex* PAULI *sententia*, 1838, p. 34 sqq.

(2) *Rom.* II: 29 cll. vs. 27, VII: 6, 2 *Cor.* III: 6 cll. vs. 7.

(3) *Gal.* III: 21 sq.

(4) P. 214 cll. p. 215.

(5) *Rom.* VII: 7 sqq. cll. p. 212 sqq.

(6) Ib. vs. 5.

(7) *Rom.* V: 20: *Νόμος δὲ παρεισῆλθεν, ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα.* Voce *παράπτωμα* consulto h. l. utitur PAULUS propter verbum *πλεονάζειν*, quod indicat, *inobedientiae* manifestationem (vid. p. 238, et ib. not. 5) jam ante scriptam legem latam adfuisse. Hoc si tenemus, nullum offendiculum praebere potest Apostoli judicium, Deum sanctum legem tali consilio tulisse; vid. § 21.

ve disertae normae *transgressiones*, quarum quisque sibi probe conscius evadere posset (1). Pro vita, quam pollicebatur illa lex, mortem adducere solebat, hujusque exspectatione miserrimos reddebat peccatores, sed ita simul hanc habebat efficacitatem, ut ii, nisi prorsus vanitati essent dediti, in se descenderent, peccati in se detegerent monstrum, quo ὁ *νόμος*, *indole πνευματικός*, tam miseram habebat sequelam, utque pugna inter carnis vim perversam atque sublimioris naturae vim oriretur (2). Ex hisce igitur colligi potest, per legem non solummodo esse *notitiam* (3), sed insuper *ἐπίγνωσιν ἁμαρτίας*, id est, talem *cognitionem*, quali se peccato subjectos esse, convinci possent homines, et eo duci, ut vehementissime appeterent gratiam (4), quae *supra modum ibi abundare solet*, *ubi peccatum multipliciter prodiit* (5).

Quia autem norma illa scripta ita efficere valebat, ut homines peccato veluti ferocientes ad se converterenter, quia continuo ostendebat, hisce haud licere ruere, quo petulanter vellent, hi *sub illius potestate* tamquam *captivi conservabantur*, donec aliquando plene adesset interna conditio, *fides* (6), in ABRAHAMO aliisque egregiis viris

---

(1) Ita dictionem *Gal.* III: 19 obviam: *Τῶν παραβάσεων χάριν προςετέθη* (ὁ *νόμος*), cum USTERIO (in op. l., p. 67) interpretandam esse censemus, etenim optime congruit haecce interpretatio cum notione vocis *παράβασις*: vid. p. 238, et ib. not. 2, 3, 4.

(2) *Rom.* VII: 10 sq., 12 sq., 14 sqq. cll. p. 257 sqq.

(3) P. 213, not. 3.

(4) *Rom.* III: 21, — VII: 24 sq., *Gal.* II: 21.

(5) *Rom.* V: 20.

(6) *Gal.* III: 23.

jam aliquatenus manifestata (1), qua sese dirigere valerent. Inde erat *ὁ νόμος paedagogus*, pueros lascivientes monens, minans, dirigens, donec tradi possent meliori institutori (2). De *salute* autem, ab hocce afferenda, jam *dudum ante legem latam erant promissa* (3), et de *eadem* continuo canebant *prophetae* (4).

Apud gentiles etiam Dei institutionis, ni fallimur, agnoscit PAULUS vestigia; quod minime mirum est, etenim in urbe Tarso, cultus Graeci inclyta sede, natus atque per *primos* aetatis annos versatus, ea, quae ibi audivisset atque percepisset, quantulacunque essent, talem facile in illum habere potuerunt vim, ut, cum aliquando Apostolus gentilium evasisset, accuratius ad hosce attenderet (5). Praeterea, ut supra vidimus, ille manifestationem Dei, in rerum natura datam, vel luculentissime laudare solet (6), nihilque igitur magis consentaneum est, quam ut etiam curam

---

(1) Vid. Cap. IX.

(2) *Gal.* III: 24 sqq.

(3) Ib. vs. 8 sq., 14 sqq. cll. vs. 29, *Rom.* IV: 13, 16 sqq.

(4) Vid. p. 37 cll. p. 26 sqq.

(5) Ad quaestionem, num Apostolus Graecorum imbutus fuerit cultu, alii negando vel dubitando, alii affirmando respondendum esse censent; conff. DÄHNIUS (in op.: *Entw. d. Paul. Lehrb.*, p. 2 sqq. cll. p. 1) et NEUDECKERUS (in op.: *Lehrbuch der historisch-kritischen Einleitung in das N. T.*, 1840, p. 365 sq.), quorum prior ab illorum, posterior ab horum stat partibus. Sententia, a nobis pronuntiata, convenit cum ea, quam OLSHAUSENUS protulit (in c. l., III, p. 4), conf. etiam THIERSCH, *Versuch zur Herstellung des historischen Standpuncts für die Kritik d. neut. Schriften* etc., 1845, p. 50 sq.

(6) P. 152 sqq.

quandam Dei institutricem agnoscat apud eos, qui peculiari ante CHRISTUM patefactione haud beati fuere. Religionis gentilium corrupta forma eatenus aliquid utilitatis afferre poterat, quatenus non omnis omnino superioris cujusdam rerum ordinis evanescebat suspicio; quod significat PAULUS de *τοῖς στοιχείοις τοῦ κόσμου* loquens, ut paullo inferius videbimus, et clare ostendit in orationibus, Lystris atque Athenis habitis (1). Apud plerosque gentiles lex, in *cordibus* obvia, offuscata erat conscientiaeque vox ad silentium redacta, sed tamen curavit Deus, ut discriminis, bonum inter atque malum intercedentis, notitia atque sensus, quae numquam prorsus eradicantur, et perversitatis poenaeque, cum ista conjunctae, suspicio (2) excitari possent. Erant nempe inter gentiles viri probi, qui *legem intus adesse factis comprobabant* (3), adeoque in aequales corruptos vim habere poterant. Contra summa flagitia inter eosdem *mortis* poena erat statuta, et inde patebat, etiamnum superesse vestigium *accuratae cognitionis de justo Dei statuto* erga homines prave agentes (4). Erant poëtae, quorum dicta semel iterumque laudat noster (5). Quale denique pretium Apostolus philosophiae tribuat, numquam diserte pronuntiat; illum hanc sprevisse, ex iis dictis, in quibus vanos sapientes inanem-

---

(1) P. 43 sqq.

(2) P. 271.

(3) *Rom.* II: 14 sq., 26 sq.; vid. p. 160 cll. Cap. IX.

(4) *Rom.* I: 32 (conf. p. 159); Apostolum, *τοῦ θανάτου* nomine utentem, hoc significasse, nobis perquam probabile videtur.

(5) *Act.* XVII: 28, 1 *Cor.* XV: 33, *Tit.* I: 12.

que sapientiam carpit (1), vel falsorum doctorum artificium perstringit (2), temere colligas. Quin adeo, si ad illius cum APOLLONIO amicitiam attendas, statui posset, illum haud omnem flocci fecisse philosophiam (3). Quod etiam non exspectari potest a viro, qui generis humani historiam Deique in hac moderationem admodum philosophice perspexit.

Ex iis, quae disputavimus, tuto derivari potest, in medio genere humano, peccato dedito, bona quaedam elementa reservata esse; prouti etiam in singulis hominibus semper recondita mansit sublimioris naturae vis (4). Quam brevissime institutionem quandam perpetuam, ad CHRISTUM praeparatricem, laudat Apostolus, ***τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου***, sive *rudimenta mundi* commemorans. Ea dictione utens proxime respicit legis Mosaicae praecepta de temporum quorundam anxia observatione deque *impuris* vitandis (5); sed tamen et vox ***κόσμος***, et ea, quae in *epistola ad Galatas* prope eam dictionem

---

(1) P. 254, et ib. not. 5.

(2) *Col.* II: 8, 1 *Tim.* VI: 20.

(3) 1 *Cor.* III: 4 sqq., IV: 6 etc.; vid. omnino GIESEL., in op. l., I, 1, p. 111, 114 sq. Adjectivum *λόγιος*, quod *Act.* XVIII: 24 de APOLLONIO occurrit, indicare videtur: „*doctus*," sed quamvis illud: „*facundus*" reddere malis, vel sic tamen de subtili atque *dialectica* dicendi ratione cogitandum videtur; conf. PAP., in *lex.* l., II, in v.

(4) P. 259 sq.

(5) *Gal.* IV: 3, 9 cll. vs. 10, *Col.* II: 8 cll. vs. 16 sq. — vs. 20 cll. vs. 21. Talem vocis *τὰ στοιχεῖα* notionem (vid. *Hebr.* V: 12, qualem diximus, satis tutam praestat ab HUTHERI objectionibus (in c. l., ad *Col.* II: 8) DE WETTIUS (in c. l. ad eundem l. cll. iis, quae observat ad *Gal.* IV: 9, 10, in c. l.).

inveniuntur (1), satis indicant, Apostolum simul respicere gentilium usus, qui cum talibus Judaeorum statutis conferri possent. Intelligit igitur religiosos ritus externos, cum reliquorum institutorum ratione arctissime conjunctos; qui, ex illius mente, quamdiu *νήπιοι* erant homines, alicujus frugis esse poterant, quin adeo Judaeis aliquando divinitus erant impositi, sed, qui, *perfectiore insittutione* vigente, si aliis *obtruduntur* atque, *neglecta hujus vera indole*, *efferuntur*, instituta *mere humana* dici merentur atque facile in perniciem tendunt (2).

---

(1) IV: 8. Ex hocce dicto conjicere possumus, PAULUM inde a vs. 1 gentilium etiam rationem habere, quamquam, utpote natalibus Judaeus, e gentis suae conditione ante CHRISTI adventum progreditur; vid. p. 61, et ib. not. 2.

(2) *Col.* II: 20 sqq. cll. p. 188 sq.

PARS III.

DE HOMINE, CUM CHRISTO CONJUNCTO.

INTROITUS.

Ut rite PAULI *anthropologiam* intelligamus, omnino disquirere necesse est, qualis ex illius mente fuerit CHRISTUS, et quantam hic habuerit vim in hominem genusque humanum. Minime autem nostrum est propositum, in ultima hacce parte universam aliquam *Christologiam*, *soteriologiam* atque *eschatologiam* Apostoli exhibere; sed tantummodo talia ex *iis* delibare volumus, qualia cum praecedentibus proxime cohaerent, ex hisce lucem repetunt, et vicissim haecce illustrant (1).

(1) De fontibus, ex quibus PAULUS suam de re Christiana petiverit notitiam, disquirit v. cl. VAN OORDT, in op. per.: *W. in L.*, 1844, II: *Onderzoek naar de bronnen, waaruit* PAULUS *voor zich zelven het Christendom heeft leeren kennen*, p. 213 sqq., praecipue p. 244-257 cll. p. 279 sq. — P. 258-279 cll. p. 280 sq. exponit v. cl., fontes, a nobis p. 63, 1°, 2°, 3°, 5° cll. p. 59 sq. laudatos, quibus Apostolus in conjunctione cum iis, quae ex patefactione, generi humano in CHRISTO data, petit, uti solet (p. 63 sq.), eo inserviisse, ut vicissim hanc patefactionem penitius perspiceret atque persentiret noster.

CAPUT VIII.

DE LOCO, QUEM IN GENERE HUMANO OBTINET CHRISTUS.

§ 23.

CHRISTUS, *homo perfectus atque prorsus divinus.*

CHRISTUM hisce in terris similem fuisse hominibus, inferiorem horum naturam si spectes, diserte plus semel pronuntiat Apostolus. *Ortum* illum dicit *ἐκ σπέρματος Δαυῒδ κατὰ σάρκα*, adeo ut, *carnis* ratione habita, illum inter atque reliquos homines intercedere debuerit convenientia (1). Quousque haecce sese extenderit, clarissime indicat noster, ubi *Deum filium suum misisse* perhibet *ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας* (2). Si scripsisset: *ἐν ὁμοιώματι σαρκός*, Docetarum favisset somniis; si enuntiasset: *ἐν σαρκὶ ἁμαρτίας*, CHRISTUM *carnis* vi, reliquorum hominum instar, ad peccatum instigatum fuisse affirmasset; nunc autem, ut THEODORETI verbis utamur, PAU-

(1) *Rom.* I: 3 (p. 95 sq.) cll. *Gal.* IV: 4.

(2) *Rom.* VIII: 3 cll. 1 *Tim.* III: 16.

LI mens huc redit: τὴν αὐτὴν ἔχων φύσιν ἡμῖν (ὁ Χριστός), τὴν αὐτὴν οὐκ ἔσχεν ἡμῖν γνώμην (1).

CHRISTUM insuper sese subjecisse iis difficultatibus, quae cum vita terrestri conjunctae esse possunt, luculenter profitetur noster: ἐπτώχευσε, inquit, πλούσιος ὤν, *pauper erat, cum* simul *dives esset* (2). Verbum πτωχεύειν cum de *paupertate*, tum de *tota*

(1) Opp. III, p. 81. — *Phil.* II: 7 Apostolus dicit: ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, et statim vs. 8 subjungit: καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος, id est, *quum habitu*, sive *tota vivendi atque sese prodendi ratione deprehenderetur ut homo quilibet.* Utitur noster in hisce effatis dictione: ἐν ὁμ., vocula ὡς, participio εὑρεθείς, quia indicare vult, CHRISTUM quidem, terrestrem conditionem si spectes, similem fuisse hominibus, sed tamen pariter ab hisce discrepasse, immunitate nempe a peccato. Hoc si tenemus, pariterque attendimus ad vocis σχῆμα notionem (conf. v. cl. HENG., in c. l., p. 151 sq.), minime valet sententia BAURI, perhibentis, effata laudata *Docetismum* Gnosticorum prodere. Idem criticus probare studet, vs. 7 et 10 luculentissima Gnosticismi vestigia redolere (in op.: PAULUS etc., p. 463 sq. cll. p. 458 sqq.; vid. etiam SCHWEGL., in op. l., II, p. 134). Ea, quae BAURUS protulit, argumenta refutare tentat LÜNEMANNUS, in comm.: PAULI *ad Philippenses epist.* etc., 1847, p. 5 sqq.

(2) 2 *Cor.* VIII: 9. Ita nobis hoc dictum vertendum esse videtur, si observamus, in N. F. participium ὤν, cum Aoristo conjunctum, saepius habere vim imperfecti, pronti probat WINERUS (in op. l., p. 406), et si animadvertimus, verbum πτωχεύειν non indicare *pauperem fieri*, sed *pauperem esse* (vid. v. cl. SCHOLTEN: *Oratio de vitando in J. C. hist. interpret. Docetismo*, p. 80; conff. insuper BAUR, in op.: PAULUS etc., p. 628, KÖSTL., in op. l., p. 310 sq.). Haec denique versio egregie cum contextu convenit, excitat enim Apostolus Corinthios ad amorem erga pauperes praestandum (vs. 6 sqq. cll. vs. 1 sqq.), et hanc in rem provocat ad CHRISTI exemplum efficacissimum, qui *propter vos*, inquit, ἐπτώχ. πλ. ὤν, ἵνα κτλ. Hisce rite perpensis, refelluntur ea, quae, BAURUM refutans, observavit LÜNEM., in comm. l., p. 9 sq.

humili conditione terrestri intelligi debet, adjunctum autem **πλούσιος ὤν** de *spiritualibus divitiis*, quibus abundabat homo ille divinus, accipiendum est (1). Illum denique **σταυρωθῆναι ἐξ ἀσθενείας**, dicit Apostolus, ut significet, *debilitatem* sive *fragilitatem*, cui CHRISTUS, utpote *carnis* particeps, obnoxius esset, causam dici mereri, cur morti ignominiosae succumbere posset (2).

Longe vero CHRISTUS prae reliquis hominibus excelluit, ut infra accuratius videbimus, ad vitam spiritualem atque moralem, quam his in terris exseruit, si attendas. Nimirum *spiritus* prorsus unico in illo adfuit modo; **ὁρισθῆναι** dicitur ille **υἱὸς Θεοῦ ἐν δυνάμει κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν** (3); quae verba indicant, illum *eo* coram hominibus *definitum esse filium Dei, quod, vi Hujus omnipotenti auxiliatrice, secundum spiritum sanctitatis*, sive *sanctitate prorsus infectum*, quem hisce

---

(1) Conf. *Phil.* II: 8.

(2) 2 *Cor.* XIII: 4.

(3) *Rom.* I: 4; formula: ἐν δυνάμει, causam denotat, *qua* CHRISTUS sit resuscitatus (cll. 1 *Cor.* XIII: 4), dictio: κατὰ πν. ἁγ., causam, *cur* resurrexerit. Hujus autem dictionis sensus, de quo disputant ZELLERUS (in op. per.: *Theologische Jahrbücher*, I, 1842, III: *Ueber das πν. ἁγ., Rom.* I: 4, p. 486 sqq.), BAURUS (in op.: PAULUS etc., p. 631 cll. p. 634 sq.) variique interpretes suas proferunt sententias, ni fallimur, optime ita definitur, prouti fecimus. Formam vocis ἁγιωσύνη explicat FRITZSCHIUS (in c. l., ad h. l., I, p. 10 sq.), qui putat, PAULUM gravitatis causa pro verbis: κατὰ πνεῦμα ἅγιον, dictionem laudatam adhibuisse. — 1 *Tim.* III: 16 legimus: ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, quod effatum nobis indicare videtur, *in* CHRISTI *spiritu* repositum fuisse vigorem, quo ille *tamquam justus comprobatus sit.*

in terris manifestasset, *e mortuis resurrexerit.* Homines *spirituales* reddere valet ille, quia, cum *carne* indutus inter eos versaretur, sese *spiritualem* praestitit atque in coelis constanter tamquam talem sese praestare pergit (1).

Causa, cur talem sese praestiterit CHRISTUS atque constanter praestet, inde repetenda est, PAULO judice, quod, jam antequam in terris vixit, in coelis spirituali exstitit modo. Fuit *ὁ δεύτερος ἄνθρωπος ἐξ οὐρανοῦ* (2), quo Deus non solum in hominibus *recreandis*, sed etiam in omnibus *creandis* usus est: *Ἡμῖν*, inquit Apostolus, *εἷς Θεὸς ὁ πατήρ, ἐξ οὗ τὰ πάντα καὶ ἡμεῖς εἰς αὐτόν, καὶ εἷς κύριος Ἰησοῦς Χριστός, δἰ οὗ τὰ πάντα καὶ ἡμεῖς δἰ αὐτοῦ* (3).

---

(1) Vid. Cap. X.

(2) 1 *Cor.* XV: 47; vox *ὁ κύριος* h. l. glossema esse videtur, conf. MEY., in c. l., p. 244.

(3) 1 *Cor.* VIII: 6. KÖSTLINUS (in op. l., p. 309) censet, dictum: *δἰ οὗ τὰ π., κ. ἡμ. δἰ αὐτ.*, indicare: „*Alles, was und wie es geschehen mag, geschieht durch* CHRISTUS, *wie namentlich wir durch ihn sind das, was wir sind.*" Quam dictionis: *τά πάντα*, et praepositionis *διά* notionem nt confirmet, provocat ad *Rom.* XI: 36. Sed haec collatio haud valet. Etenim *Rom.* XI l. l. de solo agit Snpremo Numine noster, alio utens sententiarum nexu (conf. h. diss. p. 61 sq.); loco, de quo nnnc agimus, versatur in definienda ratione, quae Deum inter atqne CHRISTUM adsit, tam qnod ad *creationem*, quam qnod ad *recreationem* attinet, argumento petito ex iis, qnae praecedunt (vs. 4 sq. cll. vs 1). Sententiam BAURI (in op.: PAULUS etc., p. 826 sq.), probare conantis, dictum illnd significare, *omnia, quae ad liberationem a peccato atque reconciliationem pertineant, a Deo per* CHRISTUM *effecta esse* (*cll.* 2 *Cor.* V: 18), satis nobis refutasse videtur LÜNEMANNUS (in comm. l., p. 8). — Idem, qnod nostro loco de CHRISTO, *creationis* atqne *recreationis* medio, indicat PAULUS, fusius exponit *Col.* I: 15 sqq.; cum vs. 16 legimus, *τά παντα* non solnm *δἰ αὐτοῦ*, sed etiam *εἰς αὐτόν* condita esse, et

Tam excelsus atque unicus quia CHRISTUS est, honorificentissimis quibusque a nostro condecoratur nominibus. Nuncupatur nempe *εἰκὼν τοῦ Θεοῦ* (1), (ὁ) *υἱὸς*, (ὁ) *ἴδιος υἱὸς τοῦ Θεοῦ* (2), *πρωτότοκος πάσης κτίσεως*, — id est, ille, qui prae reliquis creaturis *tempore* et *dignitate* conspicuus est (3), — *ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων*, *πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν* (4), *πρωτότοκος*

---

vs. 20 cll. vs. 19 *Deo placuisse·* ét *δι' αὐτοῦ ἀποκαταλλάξαι τὰ πάντα* ét *εἰς αὐτόν* (conff. de hac lectioue DE WETT. in c. l. ad h. l. et HUTH., in c. l., ad h. l., p. 116 cll. p. 126 sq.), spoute intelligitur, vel sic tameu, ex Apostoli mente, ad Deum, quippe *Supremam Causam*, omnia tamquam *Supremum Finem* teudere. Quo sensu autem et quam ob causam Apostolus in fine versus 20 dicat: *εἴτε τὰ ἐπὶ τῆς γῆς*, *εἴτε τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς*, exponit DE WETTIUS, in c. l., ad h. l. — Sed haec nunc latius persequi a proposito uostro abhorret. Solummodo obiter superioribus adjicimus, discrimeu, quod KÖSTLINUS (in op. l., p. 303 sqq., 353 sq., 356 sqq., 370 sq.), BAURUS (in op.: PAULUS etc., p. 623 sqq. cll. p. 421 sqq., 458 sqq.), SCHWEGLERUS (in op. l., II, p. 299 sqq. cll. p. 134), PLANCKIUS (in op. per.: *Theol. Jahrb.*, VI, 1847: *Judenthum und Urchristenthum*, IV, p. 462 sqq., 481) aliique adesse censent iuter Christologiam, in *quatuor primariis epistolis* obviam, et inter eam, quae *in epistolis ad Ephesios*, *Colossenses*, *Philippenses* deprehendatur, uon tale esse, quale fingunt. Ni fallimur, in *hisce* clare exponit PAULUS, quae iu *illis* breviter indicat, et vicissim in *hisce* minus enucleat, quae in *illis* in clarissimam protrahit lucem, quia conditionem lectorum variam respiciens, mox ab hac, mox ab alia parte CHRISTUM disertius depingere, congruum esse duxerit.

(1) 2 *Cor.* IV: 4, *Col.* I: 15.

(2) *Rom.* I: 3 sq., 9 etc., VIII: 32.

(3) *Col.* I: 15; conf. DE WETT., in c. l., ad h. l.

(4) 1 *Cor.* XV: 20, 23, *Col.* I: 18.

ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς (1). Non vero ipsius *Dei* nomen in epistolis, PAULO tributis, illi assignatur (2).

Rite autem tenendum est, CHRISTUM inter atque reliquos homines, *sublimiorem naturam* si spectes, intercedere rationem; talis si haud adesset, non diceret Apostolus, Deum homines *προόρισαι συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ*, neque CHRISTUM *πρωτότοκον ἐν πολλοῖς* » *ἀδελφοῖς*" nuncuparet. Scilicet, ut satis novimus, homines etiam naturâ gaudent *spiritu*, qui peccato suppressus est, sed non evanuit. Perspicue illa ratio effici potest ex duorum dictorum collatione. In priore inter homines, per CHRISTUM *recreatos*, hic ordo sancitus esse perhibetur, ut *παντὸς ἀνδρὸς ἡ κεφαλὴ ὁ Χριστός sit, κεφαλὴ δὲ γυναικὸς ὁ ἀνήρ, κεφαλὴ δὲ Χριστοῦ ὁ Θεός* (3). In posteriore, cum homines *crearentur*, hoc constitutum esse fertur, ut *vir* sit *εἰκὼν καὶ δόξα Θεοῦ*, mulier autem *δόξα ἀνδρός* (4), id est, ut *vir*, ad *excelsum* dominium hisce in terris exercendum destinatus, *imaginem Dei*

---

(1) *Rom.* VIII: 29.

(2) *Rom.* IX: 5 ultima dictio, nostro judicio, est laus, Deo tributa, quae prorsus Apostolo est consentanea; vid. I: 25 cll. p. 60 sqq.; conf. BAUR, in op. PAULUS etc., p. 624 sq.; — *Tit.* II: 13 dictionem: *τοῦ μεγάλου Θεοῦ*, de Deo intelligendam esse, ostendit DE WETTIUS (in c. l., ed. II, ad h. l.), quamquam hanc epistolam PAULO abjudicat.

(3) 1 *Cor.* XI: 3 cll. III: 23.

(4) XI: 7. Apostolum *creationem* spectare, exinde apparet, quod verba *Gen.* I: 26 cll. vs. 27 obvia adhibet.

exhibeat atque *gloriam* referat, ut talis *imaginis* etiam sit particeps *mulier*, sed ut *gloria* demum ab *illo* in *hanc* redundet (1); indicat id, nostro judicio, *illum* efficaciore modo *spiritum* possidere atque prodere, quam *haec* valeat, et *hanc* igitur *illi* subjectam esse, *illum* caput *hujus* esse. Quodsi jam, prouti in priore dicto invenitur, *viri* Christiani est *caput* CHRISTUS, CHRISTI *autem caput Deus*, inde colligi potest, CHRISTUM proxime ad Deum accedere, et hanc ob causam illum, ***τὸν κύριον, δἰ οὗ τὰ πάντα***, excellentiore modo spiritu gaudere eundemque prodere, sive ***εἰκόνα καὶ δόξαν Θεοῦ*** esse, quam *virum*. Inde autem Dei ille filius *utramque*, peccato insuper turbatam, in *viro*, fide cum ipso conjuncto, excitare et ad majorem adducere valet perfectionem, adeo ut tum quoque *mulier* Christiana *excelsiore modo* ***δόξα ἀνδρός*** evadat (2).

---

(1) Rite observat DE WETTIUS (in c. l., ad h. l.), Apostolum, de muliere agentem, vocem *εἰκών* non repetivisse: „*weil dadurch geradezu dem Weibe das göttliche Ebenbild abgesprochen worden wäre, was der Ap. nicht thun will (er spricht ihr nur die unmittelbare δόξα ab); sodann weil der Gedanke: das Weib sey Ebenbild des Mannes, eine anthropologische Unrichtigkeit und ein Widerspruch gegen die Verschiedenheit der Geschlechter gewesen wäre.*"

(2) KÖSTLINUS (in op. l., p. 305 sq.) non satis simpliciter in hisce versibus interpretandis atque inter se conferendis nobis versari videtur; praecipue argutatur in verbis vs. 8 obviis adhibendis. BAURUS (in op.: PAULUS etc., p. 632) breviter observat: „*Von diesem Gesichtspunkt aus scheint auch der erste Mensch nur der Reflex und das Abbild des Urmenschen* CHRISTUS *seyn zu können, aber zwischen diese beide tritt nun der grosze Unterschied ein, dasz der eine*

Apparet igitur jam ex iis, quae breviter annotavimus, PAULI Christologiam *in universum* esse *anthropologicam;* JOHANNIS vero Christologia magis *metaphysica* dici possit; hoc exinde vel maxime conspicitur, quod *ille* JESUM *alterum* ADAMUM dicit, prouti mox videbimus, *hic* eundem *τοῦ λόγου* nomine nuncupat.

§ 24.

CHRISTUS, *generis humani instaurator* (*alter* ADAMUS).

Quo distinctius noscamus, quemnam in genere humano obtineat locum CHRISTUS, operae pretium est attendere ad comparationem, quam ADAMUM inter atque illum instituit PAULUS. ADAMUS dicitur: *τύπος τοῦ μέλλοντος*, id est talis, in quali *futurus* ADAMUS quod ad vim attinet, quam in genus humanum exerciturus esset, cerni queat (1). Alter *ὁ πρῶτος ἄνθρωπος Ἀδάμ*, alter *ὁ ἔσχατος Ἀδάμ*, *ὁ δεύτερος ἄνθρωπος* nuncupatur (2). Indicat noster tali comparatione utens, ADAMUM, generis humani parentem, *historia docente*, constituisse genus humanum ipsi simile, CHRISTUM, cum sese prorsus hominibus, hisce

---

nur (? vid. Cap. X) *irdisch und psychisch, der andere himmlisch und geistig ist."*

(1) *Rom.* V: 14 cll. vs. 12 sqq., 15 sqq.

(2) 1 *Cor.* XV: 45, 47.

in terris viventibus, similem reddiderit, uno peccato excepto, constituere valere genus humanum, quod *et* peccati sorde, qua a primo homine inde inquinatus fuerit, purgetur, *et* pariter *naturam* ipsam si spectes, ad multo excelsiorem adducatur perfectionis gradum; de *duplici* hac CHRISTI vi nobis in duobus ultimis capitibus paucis est agendum.

CAPUT IX.

DE LIBERATIONE A PECCATO, PER CHRISTUM EFFECTA.

§ 25.

Exponitur, qua ratione Deus per CHRISTUM *liberationem a peccato homini generique humano exhibeat.*

Dum omnes homines, ex ADAMO prognati, aversione a Deo fuere infames (1), CHRISTUS, hac in terra vivens, obedientiam erga Patrem praestitit constantem, quae culmen attigit, cum mortem, eamque ignominiosam, subiret, ab hominibus sibi illatam, Deo permittente atque volente, ut ita *peccati* vis frangi *posset* (2). — Numquam igitur ille *carnis* impulsus rite moderari neglexit, *istius*que perversis affectionibus cupidinibusque se duci

(1) *Rom.* V: 12 sqq.

(2) Ib. vs. 18 sq., ubi mors spectatur; vita simul commemoratur *Phil.* II: 8.

passus est, prouti supra jam semel iterumque monuimus. *Τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου,* inquit Apostolus, *ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκός, ὁ Θεὸς, τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας καὶ περὶ ἁμαρτίας, κατέκρινε τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί* (1). *Deus* igitur *in carne peccatum prorsus comdemnavit,* sive vi privavit (2), — *quod lex efficere haud valebat, quoniam debilis erat per carnem,* ipsi pertinaciter reluctantem, — *cum miserit filium suum,* ét *ita ut haberet carnem similem ei, quae peccati sedes esse solet,* ét *propter peccatum,* sive ut hoc homines liberaret. Luculentissime hisce enuntiat Apostolus, CHRISTUM continuo *carne* sua spiritus ope regenda hominibus *isti* prorsus subjectis ostendisse, quid, si sese cum ipso conjungant, valituri sint. Alibi legimus de CHRISTO: »*ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι καταργήσας.*" Quod dictum significat, illum *legem Mosaicam, (in) carne sua moderanda* hujusque moderaminis sectatoribus suis efficacissimo exemplo praebendo, *vi privasse,* sive rationem „*externam,*" inter homines *carni* deditos et illam legem exstantem, sustulisse (3). Clarissime de-

(1) Rom. VIII: 3. Haec sententia, quae primo obtutu paullo impeditior est, facile explicatur, si teneas, PAULUM verba: *τὸ γὰρ ἀδύνατον — διὰ τῆς σ.*, gravitatis causa praemisisse; ita igitur construendum est: *ὁ Θεὸς γὰρ — κατέκρ. τ. ἁμ. ἐν τ. σ., τὸ ἀδύνατον*, id est, *ὃ ἦν τὸ ἀδ. τοῦ νόμου, ἐν ᾧ ἠσθ. δ. τ. σ.*

(2) Talem esse vim verbi *κατακρίνειν* h. l., rite observat DE WETTIUS (in c. l., ad h. l.); etenim lex etiam condemnat peccatum, sed ita ut adesse pergat, Deus vero filii sui missione ita, ut ejus vis frangatur; vid. infra.

(3) *Eph.* II: 15; formula praecedens: *τὴν ἔχθραν*, tamquam

nique Dei filius probavit, quantum abesset a *carnis* deliciis sectandis, et quam flocci *istam* faceret prae excelsis divinisque consiliis, cum vehementissimarum vexationum sensus in cruce subire haud reformidaret (1). — CHRISTUM nullo umquam ductum fuisse sui studio, quo peccatores prorsus dirigi solent, ex hisce sponte jam derivari potest. Diserta vero hac de re etiam non desunt effata. Dei consilia illius fuere consilia, in illo *omnia* sua *promissa rata facere potuit* Supremus Moderator (2). *Non ille sibimet ipsi placuit, sed, prouti scriptum est*, ita in illo plane facto est comprobatum: *contumeliae hominum, te*, Deus! *contemnentium, in me inciderunt* (3). Ad homines sese prorsus demisit, propter hos *pauper fuit*, pro his mortem horrendam sustinuit (4).

Ita igitur Deus in medio genere humano, peccato dedito, illum excitavit, qui in hominum conditionem sese prorsus insinuavit, et qui tamen innocentiam sanctitatemque constanter patefecit, quin adeo ad mortem usque persecutus est. *Vis* autem *agens*, quae in JESU missione cernitur, et in hujus morte fit omni cogitatione major, est *Dei amor* (5), qui, quatenus

---

appositio dictionis: *τὸ μεσότοιχον* (vs. 14) accipienda est (conf. DE WETT., in c. l., ad h. l.). Hocce effatum non de JESU *morte* agere, mox videbimus.

(1) Talis sententia subest dicto *Gal.* V: 24 obvio: vid. 1 *Petr.* IV: 1 cll. p. 202 sq.

(2) 2 *Cor.* I: 19 sq.

(3) *Rom.* XV: 3.

(4) 2 *Cor.* VIII: 9; V: 14 sq., *Gal.* II: 20, *Eph.* V: 2.

(5) *Rom.* VIII: 32. Verbo *παρέδωκεν* h. l. non adeo *mortem*

hominibus prorsus indignis exhibetur et erga hosce se exserere vult, prorsus est *gratuitus* (*χάρις*) (1); est insuper *amor*, isque *gratuitus*, quem CHRISTUS, perfecti Patris perfecta imago, hominibus totus vivens, hisce sese adeo consecrans, praestitit (2). *Quo* autem innocentia atque sanctitas, quibus CHRISTUS conspicuus fuit, *tendant*, clarissime patefecit Deus, filium suum actu *omnipotenti* e mortuis *resuscitans* eique summum honorem in coelis largiens (3).

Ex iis, quae disputavimus, facile duci potest, cur Apostolus nominatim *morti* atque praesertim *resurrectioni* summum tribuat pretium; in *illa* enim luculentissime *peccatoribus* ea exhibentur, quae CHRISTUS per totam praestitit vitam, *haec* autem est explicatio *illius* (4).

Offertur haec liberatio a peccato et reliqua salus, per CHRISTUM adducta, *et* Judaeis, *et* gentilibus. Nimirum tam horum, quam illorum *Deus est* Supremus Moderator, quod nunc clarissime patefit,

---

significari, ut alibi (vid. infr.), efficiendum nobis videtur ex verbis subsequentibus: *πῶς οὐχὶ καὶ σὺν αὐτῷ τὰ πάντα ἡμῖν χαρίσεται*; Illud verbum igitur optime cum THOLUCKIO (in c. l., ad h. l.), WINERUM laudante (*Comm. de verb. comp. pro simpl. in N. T. usu*, p. 14), vertitur: *largitus est, quem sibi retinere poterat* (*Joh.* III: 16 sq.); — *Tit.* II: 11 legimus: *Ἐπεφάνη γὰρ ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ σωτήριος πᾶσιν ἀνθρώποις.* De amore, omnem cogitationem superante, in morte CHRISTI praestito, vid. *Rom.* V: 5 sqq.

(1) *Tit.* II l. l.; vid. § sq.

(2) Vid. p. 296, not. 4.

(3) *Rom.* I: 4, 2 *Cor.* XIII: 4 (vid. p. 287, not. 3), *Rom.* VIII: 34, 1 *Cor.* XV: 4 sqq., 12 sqq. cll. vs. 24 sqq., *Phil.* II: 9 sqq.

(4) Vid. p. 266.

quandoquidem (*ἐπείπερ*), vel *siquidem* (*εἴπερ*) (1) „*unus*" *est Ille*, adeoque cum *circumcisos*, tum *praeputiatos una methodo*, utrisque *pariter* luculentissime ostensa atque patente (*ἐκ πίστεως — διὰ τῆς πίστεως*), *ad unum ducturus est finem* (*δικαιώσει*) (2). *Idem* utrisque *est dominus*, *πλουτῶν εἰς πάντας τοὺς ἐπικαλουμένους αὐτόν*, qui *prophetarum* implet *vaticinia* (3). *Legis* denique *externae* jugum fregit CHRISTUS, tam *intaminate sancteque vivendo*, prouti vidimus (4), quam *morte ignominiosa in cruce subeunda* (5); ut autem *τοὺς ὑπὸ νόμον ἐξαγοράσῃ*, ip-

---

(1) *Rom.* III: 30 cll. vs. 29. Pro *ἐπείπερ* LACHMANNUS recepit *εἴπερ*: conff. FRITZSCH., in c. l., ad h. l., I, p. 208, DE WETT., in c. l., ad eundem l.

(2) Conf. DE WETT., in c. l., ad l. l.

(3) *Rom.* X: 12 cll. vs. 11 et 13 (vidd. *Jes.* XXVIII: 16, *Joel* III: 5). Vocem *κύριος* vs. 12 sq. CHRISTUM respicere, ex vs. 9 efficimus.

(4) *Eph.* II: 15 cll. vs. 14; vid p. 295. Verba: *ἐν τῇ σαρκὶ — καταργ.*, non dicta esse posse de CHRISTI *morte*, ostendit v. d. GRIETH., in disp. l., p. 83 sqq.: „*Nimirum*," pronti exponit, „*Participia ποιήσας* et *λύσας* (vs. 14) *propter Articulum ὁ, qui per particulam καί utrumque praecedit, alio modo cum Pronomine αὐτός cohaerent, quam Participium καταργήσας. Illa declarant*, quid CHRISTUS *egerit, hoc monstrat*, quomodo *id egerit. Ab hoc, non vero ab illis, pendent sententiae*, modum *itidem* agendi *spectantes, quae particulam ἵνα sequuntur* (vs. 15 et 16)." Inde antem ducit v. d., *orationis postulare progressionem, ut alia contineantur verbis particulam ἵνα praecedentibus, quam eam sequentibus*, adeoque, cum *sequentia* agant de CHRISTI *morte, praecedentia aliud argumentum tractent oportere.*

(5) *Rom.* VII: 1 sqq. ostendit Apostolus, exemplo allato, *mortem solvere legem*, et idcirco Christianos per *corpus* CHRISTI, idque interfectum, sive per *mortem* CHRISTI, quocum et ipsi *mortui sint*

sum illum dicit *γενόμενον ὑπὸ νόμον* noster (1).

Porro inter Judaeos atque gentiles varia hominum genera haud spectantur; conjunguntur omnes, quicunque sint, quam arctissime in conjunctione cum CHRISTO (2).

Ubi autem Apostolus ita rem proponit, ac si Deus *alios* secundum *πρόθεσιν* salutis participes reddat (3), ad eam recipiendam antea illos *decreverit* (4), sive *elegerit* (5), *alios* eadem adhuc *destitutos* velit (6), simul haud reticet, *illos* tali saluti aptos (7), *hosce* eidem etiamnum ineptos esse (8). Quia vero noster cuncta a Deo pendere arbitratur, quia ipsam adeo legem, secundum quam sese explicat perversitas, Dei subesse judicat regimini (9), neque *illos*

(vid. § sq.), *lege* esse liberatos. De sententia *Gal.* III: 13 obvia: *Χριστὸς ἡμᾶς ἐξηγόρασεν ἐκ τῆς κατάρας τοῦ νόμου, γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα*, conferri meretur v. cl. HOFST. DE GROOT, in op. per.: *W. in L.*, 1847, III: *Welke zijn en wat beteekenen de beelden en vergelijkingen, waaronder in het* N. V. *over* JEZUS *sterven wordt gesproken?*, p. 472 sq.

(1) *Gal.* IV: 4 sq.

(2) *Gal.* III: 28, *Col.* III: 11.

(3) *Rom.* VIII: 28; vidd. etiam IX; 21 sqq. cll. vs. 11, 2 *Tim.* I: 9.

(4) *Rom.* VIII: 29, 30, *Eph.* I: 5, 11 (*προορισθέντες κατὰ πρόθεσιν κτλ.*).

(5) *Rom.* XI: 5 cll. vs. 7, 1 *Cor.* I: 27 sq., *Eph.* I: 4.

(6) *Rom.* IX: 18, 21 sq., XI: 7 sqq.

(7) Inde *Rom.* VIII: 29 legimus: *οὓς „προέγνω" καὶ προώρισε*, et IX: 23: *ἃ (σκεύη ἐλέους) „προητοίμασεν" εἰς δόξαν*: vid. insuper § sq.

(8) Vidd. omnino ea, quae observavimus p. 275, not. 1.

(9) P. 273 sqq.

sine Ejus moderamine beari talique beatitudini idoneos esse, neque *hos* in peccato miseriaque permanere putat; quamquam spem pronuntiat, fore ut et *hi* aliquando serventur (1).

Denique Deus ipse homines invitat sive *vocat* (2), ut liberationem a peccato atque reliquam salutem, in CHRISTO oblatam, *fide* suscipere possint; nimirum quocunque, Illo volente et CHRISTO moderante, mittuntur praecones (3), per quos audiatur *verbum Dei*, id est, euangelium, sive laetus de CHRISTO hujusque fatis nuntius (*Ἄρα ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς, ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος Θεοῦ* (4)).

§ 26.

Ostenditur, qua ratione homo hanc liberationem a peccato suam facere possit.

Ut homo liberationem a peccato nancisci queat, euangelium, prouti jam obiter indicavimus, *fide* est

(1) P. 61 sq. cll. Cap. X.

(2) *Rom.* VIII: 30 cll. IX: 24 sq., 1 *Cor.* I: 9, *Gal.* I: 6, *Eph.* IV: 1, 4, 1 *Thess.* IV: 7, 2 *Thess.* II: 14, 2 *Tim.* I: 9. Inde ipsi Christiani dicuntur *κλητοί*, *Rom.* VIII: 28, *κλητοὶ ἅγιοι*, 1 *Cor.* I: 2, sive *κλητοὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ*, *Rom.* I: 6, id est, non *vocati* a JESU CHRISTO, sed a Deo *vocati* ita, ut JESU CHRISTI *peculium* evadant etc.

(3) *Rom.* X: 14 sq. cll. vs. 18, I: 5: 2 *Cor.* III: 5 sq.

(4) *Rom.* X: 17. Lectionem: *δ. ῥήμ. Θ.* (pro qua *δ. ῥήμ. Χριστοῦ* recepit LACHM.), satis defendit FRITZSCHIUS (in c. l., ad h. l., II, p. 415). Non vero huic interpreti aliisque concedere possumus, illam dictionem denotare „*Dei mandato*," si attendimus ad notionem, qua vox *ῥῆμα* vs. 8 sq. legitur (ib. p. 414 sq.); — conff. insuper 2 *Cor.* IV: 4, 1 *Cor.* XV: 1 sqq., *Gal.* III: 1 etc.

suscipiendum (1). Dici *haec* in universum potest actio interna, constantem conditionem provocans, qua quis, suarum virium debilitatis suaeque perversitatis pertaesus, *Deo sese tradit.*

Ita ABRAHAMUS tali *fide*, cujus jam dudum ante CHRISTI in terras adventum illustre fuit exemplum, ad Deum confugit, eamque ob causam, Hujus *gratiâ*, non vero *suis operibus*, *justitiam* acquisivit (2). Per *hanc* autem **δικαιοσύνην**, ita **πίστεως** ope comparatam, accepit *promissum* (3), Dei *omnipotentia* perficiendum; quod cum *firmiter* et absque ulla *vacillatione* teneret, et ita veluti in Deo plane requiesceret, comprobavit, qualis sua esset *fides*, et quam ob causam sibi pro *justitia imputari* posset (4).

Iis, qui euangelio obsecuti sunt, ex PAULI mente, Deus *μέλλει λογίζεσθαι* (*εἰς δικαιοσύνην*), *quod fidem* invictam *reponunt* in *Ipso*, qui actu *omnipotenti* JESUM *e mortuis resuscitavit* (5). Hujus enim *resuscitationis* factum euangelii est *corona; hanc* qui assumunt, ii pariter CHRISTUM, tamquam sanctum hominem hisce in terris versatum atque mortuum (6), et tamquam

---

(1) 1 *Cor.* XV: 1, 2, *Gal.* I: 23 cll. p. 298 et 300.

(2) *Rom.* IV: 1 sqq., 9 sqq. cll. *Gal.* III: 6 sq.

(3) *Rom.* IV: 13, 16 sqq. cll. *Gal.* III: 8 sq., 14, 16 sqq.

(4) *Rom* IV: 17 sqq. cll. vs. 22. Deflectit Apostolus aliquatenus a narratione, in *Geneseos libro* obvia, in qua primum promissum, ABRAHAMO a Deo datum (XII: 1 sqq., 7, XIII: 15, XV: 5), tum justitia, *fide* comparata (XV: 6), commemoratur; vid. FRITZSCH., in c. l., ad IV: 13, I, p. 231 sq.

(5) *Rom.* IV: 24.

(6) *Rom.* I: 4 cll. p. 296 sq.

dominum, a Deo constitutum, *fide* susceperunt (1). Causa autem, cur Apostolus non dicat, Christianos, sese aliquando *fide* erexisse ad Deum, ut Hujus *gratia justitiam* nansciscerentur, — prouti comparatio cum ABRAHAMO exegisset, — haec est, quod sponte intelligi potest, eos, qui *continuo fidem* reponant in *resuscitatione*, a Deo effecta, jam persensisse, cum euangelio auscultarentur, quid Deus tali filio hominibus largiendo mortique adeo tradendo erga peccatores, qui sese ad Ipsum convertere velint, declaret, adeoque eos jam per CHRISTUM *aditum habuisse τῇ πίστει ad eam gratiam, justitiam* largientem, *in qua* eos constanter *stare*, dicit Apostolus (2).

Fides illa, de qua hactenus egimus, a PAULO *cordi*, tamquam *sedi*, assignatur (3); in eo enim omnia,

---

(1) *Rom.* X: 9. *Oris professionem* cum *fide*, *in corde vigente*, convenire, sponte patet. — Qui *resuscitationem* illam assumnnt vere demum dici possunt *πίστιν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὴν πίστιν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν, τὴν πίστιν τὴν πρὸς τὸν Κύριον Ἰησοῦν* habere (*Rom.* III: 22, *Gal.* II: 16, III: 22, 26, *Col.* II: 5, *Philem.* vs. 5), sive *εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν, εἰς Χριστὸν πιστεύειν* (*Gal.* II: 16, *Phil.* I: 29 etc.); illa enim haud assumta, ut satis significavimus, cadunt JESU persona et opus; conf. p. 297.

(2) *Rom.* V: 2. De lectione: *τῇ πίστει*, conf. DE WETT., in c. l., ad h. l.; *τὴν χάριν ταύτην*, quam Apostolus commemorat, spectare *justitiam*, *εἰρήνην πρὸς τὸν Θεόν* gignentem, vs. 1 docet. Caeterum Apostolus vs. 2 *restituit* veluti comparationem inter ABRAHAMI atque Christianorum *fidem*. Sed ne sic quidem comparatio ab omni parte rite procedit; etenim ABRAHAMUS *διὰ δικαιοσύνης πίστεως* promissum accepit, ut vidimus; ii autem, qui euangelio auscultantur, statim resuscitationem assumunt, ut per CHRISTUM *aditum* ad Dei gratiam habere *possint*.

(3) *Rom.* X: 9, 10.

quae totum hominem occupant atque dirigunt, illo judice, residere solent (1). Cum autem homines ita fide sese ad Deum erigere *possint*, cum CHRISTUM ipsum, *Dei spiritu* sive *sanctitatis spiritu* perfecte gaudentem, euangelii ope praedicatum, suscipere *valeant*, satis apparet, non omnem *spiritus* humani sive *sublimioris naturae* humanae vim periisse; haec apud alios efficaciter sese prodere incipit, apud alios e somno excitatur, ut ita quoque sese prodere queat (2). Insuper *cor*, ubi *fides* in eo *oritur*, non separatum est ab aliis facultatibus, sed cum hisce quam arctissime junctum; ita *mentis* atque *συνέσεως* operatio exigitur, ut objecta, in quae sese dirigit *fides*, *cognoscantur* atque *percipiantur* (3), ita *liberae voluntatis* motus haud abesse potest, ut ipsum *cor* aperiatur (4). Quanta sit *fidei*, aliquando ortae, vis in hominis naturam facultatesque, sequentia docehunt.

Hisce de *fide* praemonitis, nunc nobis videndum est, qualem liberationem a peccato efficiat.

Peccatum est *aversio a Deo*, *fides* est *conversio ad Deum*, qui sese in CHRISTO luculentissime

(1) P. 133 sq. cll. p. 149.

(2) P. 259 sq.

(3) Hoc facile duci potest ex iis, quae p. 116 sqq., 128, 149 de hisce facnltatibns, ex PAULI mente, exposuimns.

(4) Homines *libere* euangelium suscipere (*Rom.* X: 16, 18 sqq., 1 *Thess.* II: 13), a peccato desistere atqne emendari (*Rom.* VI: 16 sqq., 1 *Thess.* I: 9), luculentissime docet noster; inde autem comprobatur id, quod p. 299 sq. observavimus, de hominibus Deo moderante, vel beatis, vel in peccato atque miseria permanentibus.

patefecit; idcirco CHRISTUM, tamquam summum Suprem Moderatoris donum, ii, qui euangelio obsequuntur, fid amplectuntur atque suscipiunt. Inde autem illius *spiri tus divinus*, quo, postquam intaminate sancteque vixe rat, morti ignominiosae sese tradere atque e mortui resurgere potuit (1), non solum *in eos*, sed etiar *in iis* agere incipit (2). Pronti igitur ille *mortuu est*, et quidem τῇ ἁμαρτίᾳ, id est, *hominum* peccat ratione habita, adeo ut istius vim abhinc noı amplius expertus sit, prouti ille *sepultus est*, et a novam vitam, *in coelis* agendam, *resurrexit*, ita quo que Christiani, ex PAULI mente, *sui* peccati ration habita *sunt mortui* atqne *sepulti*, ut ad novam vitam jam *hisce in terris* agendam, *resurgerent*; cujus im mutationis *adumbratio* est *baptismus*. *Hunc* nimirun qui subibant Apostoli tempore, in significationem se CHRISTUM *fide* suscepisse, mortuorum ad insta sub aqua *sepeliebantur*, id est, hacce toti obrueban tur, et *redivivi* veluti ex hacce egrediebantur (3)

---

(1) Vid. § 25.

(2) Vid. Cap. X.

(3) *Rom.* VI: 2 sqq. *Num ignoratis*, inquit Apostolus (vs. 2) *quotquot baptizati simus εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν*, id est, *in significati nem*, nos CHRISTUM *fide suscepisse*, — *nos baptizatos esse εἰς τὸν θ νατον αὐτοῦ*, — id est, *in significationem*, *nos mortem* CHRISTI *assum sisse*, sive *eam* veluti *perpessos esse*; — vs. 4 de *τῷ βαπτίσμα εἰς τὸν θάνατον* loquitur noster, *per quod cum* CHRISTO *sepu simus*. De dictionibus: *βαπτίζειν εἰς Ἰ. Χ.*, *εἰς τ. θάν. αὐτ.* s milibusque, fuse disputat FRITZSCHIUS (in c. l. ad vs. 3, 1, 359 sqq.); prae caeteris conferri meretur *Gal.* III: 26, 2' *Πάντες γὰρ υἱοὶ Θεοῦ ἐστὲ „διὰ τῆς πίστεως ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ·"* ὅ

Vel etiam, ut ibidem dicit PAULUS: ὁ *παλαιὸς ἡμῶν ἄνθρωπος* (prior conditio perversa) *una cum* CHRISTO veluti *cruci affixus est*, *ut vi privetur corpus*, *peccati organon*, *ne amplius serviamus peccato* (1). *Qui enim* ita *mortuus est* ratione habita peccati, *liber declaratus est ab hocce*, adeo ut in posterum huic non amplius *servire* possit (2).

Ex hisce dictis sponte jam duci potest, *carnem*, tamquam peccati *stimulum*, vi esse privatam. Disertis verbis id quoque plus semel asseverat Apostolus (3). Homines *in conjunctione cum* CHRISTO, inquit in *epistola ad Colossenses*, *subierunt circumcisionem*, non eam, quae manu fit, et in exigua *carnis* parte auferenda prodit, sed *eam*, *quae ἀχειροποίητος est*, *et in* toto *corpore carnis exuendo*, — adeoque etiam in *carnis* ipsius vi dominante removenda, — *sese exserit*, *quae est* CHRISTI ipsius *περιτομή*, quatenus ille *corpus* constans *carne*, quae tamen non in perversa versabatur conditione, *morte deposuit* (4).

γὰρ „*εἰς Χριστὸν ἐβαπτίσθητε*,“ *Χριστὸν ἐνεδύσασθε*, id est, CHRISTUM *induistis*, tamquam *vestimentum*, quod externa vita omni manifestetis. Hinc etiam *baptismus Tit.* III: 5 dicitur *λουτρὸν παλιγγενεσίας*.

(1) *Rom.* VI: 6 cll. p. 240, et ib. not. 2, *Eph.* IV: 22 cll. vs. 20, *Col.* III: 9.

(2) Ib. vs. 7. Cum KREHLIO (in c. l., ad h. l.) post verba: *ὁ γὰρ ἀποθανών*, dictio: *τῇ ἁμαρτίᾳ*, nobis supplenda videtur (cll. vs. 8 et 10), adeo ut non de *naturali*, sed de *imaginaria* morte cogitandum sit.

(3) *Gal.* V: 24 cll. p. 296, et ib. not. 1; 2 *Cor.* V: 16 cll. vs. 14 sq. Vidd. insuper *Rom.* VIII: 3, *Eph.* II: 15 cll. p. 295.

(4) Col. II: 11. Apostolum dictione: *ἐν τῇ περιτομῇ τοῦ Χρι-*

Carnis autem vi dominante ita fracta in iis, qui *fide* CHRISTUM suscipiunt, simul perversa eorum conjunctio cum *terra rebusque terrenis* desinit (1), et tollitur quoque ratio, quae antea adfuit inter eosdem atque *mundum eaque, quae hunc spectant* (2), prouti etiam *aevum perversum quo hicce mundus vertitur* (3).

Sui denique *studium* prorsus evanescit; CHRISTUS enim *sese pro omnibus morte consecravit*, et hinc *omnes*, quatenus sese *fide* cum illo conjunxere, *amore, ab illo erga ipsos praestito*, inflammati, *sunt mortui*, eatenus nimirum, quatenus quidem hisce in terris *etiamnum vivunt, non vero amplius* **ἑαυτοῖς**, *sed illi, qui pro ipsis est mortuus atque resurrexit* (4).

Satis igitur apparet, fidei ope totum hominem *sese avertisse* a pristina vita, in qua peccati *dominio* subjectus istiusque *tenebris* obvolutus erat, et *sese convertisse* (**ἐπιστρέψαι**) ad *dominum* CHRISTUM, perfectam Dei imaginem (**πρὸς τὸν κύριον** (5)), sive ad *Deum*

στοῦ, id, quod expressimus, significasse, efficiendum nobis videtur ex I: 22, ubi legimus: (*ὁ Θεὸς — ὑμᾶς — ἀποκατήλλαξεν* cll. vs. 19 et 21) *ἐν τῷ σώματι τῆς σαρκὸς αὐτοῦ* (CHRISTI cll. vs. 13) *διὰ τοῦ θανάτου.*

(1) Vid. p. 190; *Col.* III: 2, 5 sqq. cll. vs. 8 sq.; couf. Cap. X.

(2) *Gal.* VI: 14, *Col.* II: 20.

(3) *Gal.* I: 4 (vid. infr.), *Eph.* II: 2 sq. cll. vs. 4 sqq.

(4) 2 *Cor.* V: 14 sq. Verba: *ἡ ἀγάπη τοῦ Χριστοῦ*, indicare *amorem* CHRISTI *erga homines*, uobis, cum ipsam sententiam, tum *Rom.* VIII: 35, *Eph.* III: 19 respicientibus, probabile videtur; conf. DE WETT., in c. l., ad h. l.; vid. insuper omniuo *Gal.* II: 20.

(5) 2 *Cor.* III: 16 de Judaeis legimus: *ἡνίκα δ᾽ ἂν ἐπιστρέψῃ*

ipsum (*πρὸς τὸν Θεόν, ἐπὶ τὸν Θεόν*), et quidem CHRISTUM suscipiendo, in quo Deus sese luculentissime conspiciendum praebet (1). Singulas pariter in melius converti facultates, hinc sponte sequitur. Speciatim vero *mentis voluntatisque* immutationem, sive conversionem internam, secundum *fidem*, in *corde* vigentem, saepius significat Apostolus, *τὴν μετάνοιαν*, *τὸ μετανοεῖν* celebrans (2).

Minime autem opinandum est, ex hominibus, euangelium *fide* suscipientibus, statim vel levissimum peccati vestigium evanescere, eosque uno ictu sanctos evadere. Solummodo Apostolus, immutationem talem, qualem descripsimus, laudans, indicat, homines *fide* peccati dominio valedicere, istius igitur vim esse fractam atque prostratam, et novam *incipere* explicationem. Pristinae autem vitae reliquiae etiamnum remanent, et saepe efficaciter prodeunt (3).

Quia *fides* talem adducit immutationem, quia illa

(*ἡ καρδία* cll. vs. 15) *πρὸς κύριον*, *περιαιρεῖται τὸ κάλυμμα* (cll. vs. 13 sqq.; vid. p. 251 sq., et ib. not. 3). Haec autem *cordis conversio ad dominum* totius hominis involvit perfectionem increscentem; vid. vs. 18.

(1) 1 *Thess.* I: 9 cll. vs. 5 sqq. de gentilibus sermo fit cll. *Act.* XIV: 15 (p. 43 sq. cll. p. 45 sq.); — *Act.* XXVI: 18 cll. vs. 20 et hi, et Judaei respiciuntur (p. 58 sq.).

(2) Talis *μετάνοια* (conf. p. 121), *dolore*, *secundum Deum* directo, effecta, 2 *Cor.* VII: 10 cll. vs 7 sqq., XII: 21 ipsis tribuitur Christianis, quia nimirum per aliquod temporis spatium suppressa fuit *fidei* vis. Alibi ad eandem illam instituendam gentiles (*Act.* XVII: 30 cll. p. 49), vel tam hi, quam Judaei (*Act.* XX: 21 cll. p. 53, XXVI: 20) aut excitantur, aut excitati esse dicuntur.

(3) Vid. not. 2 cll. Cap. X.

efficit, ut homines *peccati ratione habita moriantur*, Deus, infinita ductus gratia, haud respicere vult, perversam talem conditionem *aliquando* adfuisse, adeoque *omnia delicta*, *quae ex ista antea prodierunt*, et etiamnum tamquam *peracta* restant, tollit (1). Hujus autem *peccatorum sublationis* contestationem praebet in ipsa CHRISTI *morte*. Idcirco is, ni fallimur, dicitur *traditus esse nostrorum delictorum gratia* (**διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν**), sive *sese dedisse propter nostra peccata* (**περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν**) *secundum Dei voluntatem*, *ut nos eximeret hodierno aevo malo* (2). Alibi directe Dei filius perhibetur *mortuus esse pro nostris peccatis* (**ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν** (3)). Talia

---

(1) Hoc ipsum luculenter docet Apostolus cum alibi, tum praesertim in *epistola ad Romanos*. Postquam primum dixit (V: 20), aliquando, cum homines in perversa versarentur conditione, legem *παρεισελθεῖν, ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα*, simulque addidit: *ου δὲ ἐπλεόνασεν ἡ ἁμαρτία, ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις* (conf. p. 278 sq. et ib. not. 7), dein quaestionem proponit (VI: 1): ***Τί*** *οὖν ἐροῦμεν; ἐπιμένωμεν (ἐπιμενοῦμεν) τῇ ἁμαρτίᾳ, ἵνα ἡ χάρις πλεονάσῃ;* Ad hanc quaestionem negando respondet, et statim observat, omnem inter eos, qui CHRISTUM *fide* susceperint, et inter peccatum desiisse rationem (VI: 2 sqq. cll. p. 304). Hinc merito duci potest, *gratiam sese non exserere*, quod ad priorem istam conditionem attinet, nisi homines ipsi „*fide*" isti valedixerint (cll. VI: 14). — Caeterum eodem redit, utrum Deum *priorem conditionem haud respicere* dicas, an Illum *peccata* ante *acta tollere* affirmes; etenim istius conditionis radix statim tollitur „*fide*," istiusque reliquiae sensim sensimque evanescunt; *haec* ideo sunt *peccata*, quae etiamnum ex ista restant, et quae ab homine *infecta* reddi nequeunt.

(2) *Rom.* IV: 25, *Gal.* I: 4. H. l. praepositio *περί*, non *ὑπέρ*, legenda est; conf. MEY., in c. l., p. 8.

(3) 1 *Cor.* XV: 3.

igitur dicta indicant, CHRISTI mortem *peccatorum veniam* (τὴν ἄφεσιν τῶν παραπτωμάτων, τῶν ἁμαρτιῶν, — τὴν ἀπολύτρωσιν (1)) et spectasse, et revera effecisse. De causa, cur illius mors talem habere possit vim, paullo inferius agemus.

Rite autem tenendum est id, quod observavimus, *liberationem a peccatis* quam arctissime *cum liberatione a peccato* cohaerere. Nemo enim *illam* obtinet, nisi habeat „*fidem*," quae *hanc* involvit, et vicissim *illa* efficit, ut mali vis prorsus suum in homines amittat jus atque de throno suo dejiciatur; ut ii non amplius prioris conditionis memoria premantur, ut istius reliquias expediti prorsus delere, et ideo magis magisque intaminati sanctique evadere possint (2).

Nunc jam perspicere possumus, quod in Capite X ulterius confirmatum videbimus, *aliquem cum* CHRISTO *fide conjunctum* (ἐν Χριστῷ) esse *novam* κτίσιν, τὲ ἀρχαῖα *praeteriisse*, *omniaque nova esse facta. Haec autem omnia*, quae prioris conditionis interitum novaeque ortum spectant, e *Deo*, tamquam Suprema Causa, *sunt repetenda*, *qui nos*, inquit PAULUS, *sibi immutavit* (τὰ δὲ πάντα ἐκ τοῦ Θεοῦ τοῦ καταλλάξαντος ἡμᾶς ἑαυτῷ), sive *secum reconciliavit per* JESUM CHRISTUM (διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ) *et nobis*, Apostolis, *dedit mi-*

---

(1) *Eph.* I: 7, *Col.* I: 14.

(2) *Tit.* II: 14, *Eph.* V: 25 sqq. — *Eph.* V: 26 cll. 1 *Cor.* VI: 11 PAULUS confert *baptismum* cum *lotione*, quatenus *ille* est significatio peccatorum ante actorum veniae, quam ii obtingunt, qui „*fide*" deposuerunt priorem conditionem, cujus sepulturae etiam est adumbratio baptismus, sed tum ab alia spectatus parte, ut satis vidimus.

nisterium reconciliationis. Erat Ille, ita pergit noster, *in* CHRISTO *homines a se aversos*, adeoque *egoismo* ductos *carnique* deditos (*κόσμον*), *sibi immutans, non iis imputans*, sub hac *immutationis* conditione, *eorum delicta, et in nobis*, euangelii praedicatoribus, *θέμενος sermonem reconciliationis* (1). Nimirum Ille, nominatim CHRISTUM morti tradendo, *vix cogitabilem* suum erga peccatores expressit *amorem;* hi autem, eum, in quo talis amor expressus est, „*fide*" suscipientes, sponte suam erga Supremum Moderatorem deponunt *inimicitiam*, sive *καταλλάσσονται*, per CHRISTUM denique, eumque cruci affixum, ut jam vidimus, *τὴν καταλλαγήν accipiunt* (2).

Sic igitur in recta coram Deo versantur ratione, sive *τῆς δικαιοσύνης* sunt participes (3). De hacce in superioribus jam iterum iterumque locuti sumus; nunc vero demum verbo de hujus agere possumus notione.

Deus erga peccatores *ὀργήν* suam patefacit (4); qui vero ab Ipso beari cupiunt, his propria esse debet *δικαιοσύνη Θεοῦ, ἡ τοῦ Θεοῦ δικαιοσύνη*, id est, *ju-*

---

(1) 2 *Cor.* V: 17 sqq. cll. vs 14 sqq.

(2) *Rom.* V: 10 sq. cll. vs. 5 sqq.; conf. p. 296 sq. Ex effatis hic, prouti etiam 2 *Cor.* V: 17 sqq., obviis, abunde liquet, vocem *ἐχθρός* (cll. *Col.* I: 21) dictam esse de hominibus, *Deum inimicitia prosequentibus.* Idem nobis quadrare videtur in dictum *Rom.* XI: 28 inveniundum: *quod ad euangelium attinet* Judaei sunt *inimici propter vos* (gentiles), quia illud ipsi rejiciunt (p. 275, not. 1). Declarat igitur id dictum, quomodo isti sese *erga Deum* praestent, dum subsequentia verba (*κατὰ δὲ τὴν ἐκλογὴν κτλ.*) indicant, quomodo Deus *erga istos* sit animatus; conf. p. 231, not. 1.

(3) *Rom.* V: 9, 2 *Cor.* V: 21 (vid. infr.).

(4) P. 272 sqq.

stitia, quam Deus exigit, quae coram Deo valet (1), quia Ipse Hic prorsus *δίκαιος* est (2).

Illius *justitiae* comparandae duas proponit PAULUS methodos. *Altera* talis est, ut homo omnia, quae lex imponat, agat, et ita *justus reddatur ex operibus legis* (*ἐξ ἔργων*), sive *τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου* habeat (3). Tum autem *ὁ μισθὸς ipsi λογίζεται κατὰ ὀφείλημα* (4). *Altera* talis est, ut homo, debilitatis perversitatisque suae sibi conscius, Deo sese tradat, et ita *fidei* ope *justus reddatur* (5), sive *justitiam nanciscatur* (6). Tum autem *ὁ μισθὸς ipsi λογίζεται κατὰ χάριν*, id est, *ἡ πίστις*, quam habet, ipsi, *aliquando a Deo averso*, *λογίζεται εἰς δικαιοσύνην* (7), adeo ut, qualis aliquando fuerit, non amplius a Deo spectetur.

Illa vero methodo (*ἐξ ἔργων νόμου, ἐν νόμῳ*) nemo, experientia docente, *justitiam acquirit coram Deo* (*δικαιοῦται ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, παρὰ τῷ Θεῷ* (8)), ne-

---

(1) *Rom.* I: 17, III: 21, X: 3, 2 *Cor.* V: 21; hae dictiones, ni fallimur, ubique de *justitia coram Deo* in universum intelligi possunt, dum methodus, qua *illa*, PAULO judice, comparanda sit, ex sententiis, in qnibus tales dictiones occurrunt, effici debet.

(2) *Rom.* III: 25 sq.

(3) *Rom.* IV: 2, X: 5, *Gal.* III: 12.

(4) *Rom.* IV: 4 cll. *Gal.* III l. l.

(5) *Rom.* III: 26, 28, 30, V: 1, *Gal.* II: 16, III: 8, 24.

(6) *Rom.* III: 22, IV: 11, 13, X: 6. — *Phil.* III: 9 *justitiam*, ea ratione comparatam, *τὴν „ἐκ Θεοῦ" δικαιοσύνην ἐπὶ τῇ πίστει* dicit noster.

(7) *Rom.* IV: 3 sqq. cll. *Gal.* III: 6.

(8) *Rom.* III: 20 cll. vs. 9 sqq., *Gal.* II: 16, III: 10 sqq., 21 sq.

que etiam acquirere *potest.* Undenam enim homo vim nanciscatur ad constanter recte agendum, quin adeo ad quid vere boni peragendum sine Dei auxilio efficacissimo? Num ex semet ipso? Sed creatura est dependens insuperque ad peccatum proclivis. Num ex lege? Sed haec, licet ipsa bona sit, neminem tamen bonum reddere valet (1).

Tali igitur methodo quia prorsus *ἀδύνατον* est, *justitiam* assequi, adeo carpit PAULUS Judaeos, qui operibus quibusdam externis sese ad illam pervenire posse opinabantur, et ita *falsam* illius *speciem*, *vanum* suum de illa *figmentum* (*τὴν ἰδίαν δικαιοσύνην*) sectabantur (2).

Ii, qui jam persentiunt, quam frustra sine Dei auxilio studeant, et quam irritum sit conamen, ut coram Illo aliquid mereantur, *fide* sese Illi tradunt. Ad talem fidem praestandam *quam efficacissime* homines eu-

---

(1) P. 211 sqq., p. 277 sqq. Si homo tali ratione *justitiam* assequi *tentaret*, hoc *tentamen* quam citissime *carnem* redoleret cll. *Rom.* IV: 1 sq.

(2) *Rom.* X: 3 sqq. *Ἡ δικαιοσύνη ἡ ἐκ τοῦ νόμου*, quae vs. 5 describitur, non confundenda est cum *τῇ ἰδίᾳ δικαιοσύνῃ*: differt enim *illa* ab *hacce*, prouti *res* ab *umbra*. *Illa*, si ab homine comparari *posset*, etiam esset *ἡ τοῦ Θεοῦ δικαιοσύνη*, sive *δικαιοσύνη Θεοῦ*, non vero *ἡ ἐκ Θεοῦ δικαιοσύνη* (p. 311, not. 6); sed quia comparari *nequit*, Apostolus, vs. 3 *illam* dictionem adhibens, spectat *justitiam*, quatenus *fide* acquiritur (conf. omnino id, quod diximus p. 311, not. 1). — Talem *ἰδίαν δικαιοσύνην* ipse PAULUS aliquando sectatus erat, et, *hominibus judicibus*, cam assecutus erat (*Phil.* III: 6, 9), coram Deo autem ea non valuit (*Rom.* VII: 7 sqq, 14 sqq. cll. p. 214 sq. et p. 256 sqq.), prouti, cum Christianus esset factus, perspexit.

angelio invitantur, ut supra jam vidimus (1), non ut abhinc quiescant et nihil prorsus operentur, sed ut vim vigoremque accipiant ad *legis justum statutum* implendum, et ad perfectionem moralem exserendam (2).

Quicunque igitur euangelio obsequuntur, nanciscuntur *δικαιοσύνην*, sive *δικαιοῦνται δωρεάν*, *gratia Dei effectrice*, *per liberationem a peccatis*, *quae in conjunctione cum* JESU CHRISTO (*διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*) adest (3). *Hunc* nimirum *Deus proposuit tamquam sacrificium piaculare*, quo peccata obteguntur, *sanguine hujus profuso* (*ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι*), „*per fidem*," *ut facto ostenderet justitiam suam* (*εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ*), *quia praetermissio fuerat ante actorum peccatorum* (4), quae *Deus adesse siverat* (*ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ* (5)), *ad justitiam suam*, peccata *tollentem*, *hodierno tempore facto ostendendam* (*πρὸς τὴν ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ ἐν τῷ νῦν καιρῷ*); *ut* ita ét *ipse justus sit*, prouti exinde apparet, *ét justificans τὸν ἐκ πίστεως* (6).

---

(1) P. 300 sqq.

(2) Hoc de Christianis speciatim profitetur Apostolus *Rom.* VIII: 4 cll. Cap. X.

(3) *Rom.* III: 24.

(4) Ib. vs. 25. De vi verbi *ἱλάσκεσθαι* conff. viri cll. PAREAU et HOFST. DE GROOT, *Compendium Dogmatices et Apologetices Christianae*, ed. II, 1845, p. 59 sq. Dictio: *ἐν τῷ αὐτ. αἵμ.*, cum verbo *προέθετο*, non cum formula: *διὰ τῆς πίστεως*, conjuugeuda est.

(5) Ib. vs. 26; conf. p. 273, not. 2.

(6) Ib.; vid. de lectione, quam secuti sumus, FRITZSCH., in c. l., ad h. l., I, p. 201, 203.

Si quaeritur, quomodo CHRISTI mors peccata obtegere efficax sit, nobis respondendum videtur, hanc efficacitatem non adeo repetendam esse e peculiari vi, CHRISTI *sanguini profuso*, de quo saepius loquitur noster (1), *per se* propria, sed potius e *vi morali*, *in sanguine profundendo*, sive *in morte perferenda* conspicua. Hanc nimirum perferens summum Dei filius praestitit *δικαίωμα*, *justum factum*, summamve *ὑπακοήν*. Jam, si homines illum „*fide*" suscipiunt, adeoque peccatum abrogant atque in sanctitatem incumbunt, illius *δικαίωμα* ipsis fit *εἰς δικαίωμα*, *in justitiae declarationem*, id est, ipsis ita imputatur, ac si numquam a *Deo aversi fuissent* (2). — *Deus illum*, ut quoque affirmat Apostolus, *qui peccato intaminatus fuit* (*τὸν μὴ γνόντα ἁμαρτίαν*), *pro nobis peccatum fecit* (Deo volente, CHRISTUS, mortem *ignominiosam* perferens, *peccatoris* coram hominibus *expressit imaginem*), *ut nos*, peccatores, *fieremus justi coram Deo* (*δικαιοσύνη Θεοῦ*) *in conjunctione cum illo*, sive ut in nos, „*fide*" cum illo coalescentes, redundaret, quod ad *priorem conditionem* attinet, integritas

---

(1) Apostolus, de hocce sanguine loquens, CHRISTI mortem nimirum cum sacrificio comparans, imagine utitur, lectoribus eo tempore satis nota; quo sensu vero tali utatur imagine, ex ipsius disertis verbis, qualia mox citabimus, efficiendum est.

(2) Vox *δικαίωμα Rom.* V: 18 consulto *lusus* gratia propter dictionem sequentem: *εἰς δικαίωσιν ζωῆς*, electa est. Illam autem de *summae* CHRISTI *obedientiae manifestatione*, adeoque paullo alio sensu, quam vs. 16, adhibitam esse, versus 19 nobis docere videtur; conf. DE WETT., in c. l., ad vs. 18.

illius, quae ipsa adeo morte, ut diximus, vel luculentissime est manifestata (1).

In hisce effatis Apostolus *justitiam* cum CHRISTI morte arctissime conjungit; alibi vero, ut supra significavimus, cum resurrectione, ét quia sine hac nulla mortis atque reliqui CHRISTI operis est vis (2) ét quia vita coelestis, ad quam resurrexit CHRISTUS, adumbratio est vitae verae aeternaeque, quae in homines, „*fide*" justos redditos, redundat, atque aliquando plene redundabit (3).

Priore nimirum conditione evanescente, pariter evanescit *mors*, ut peccati sequela, cui homines subjecti erant (4). Sic jam cerni potest, quanto et

---

(1) 2 *Cor.* V: 21. Dictionem: *ἁμαρτίαν ἐποίησεν*, *acuminis* gratia propter praecedentem formulam: *τὸν μὴ γνόντα ἁμαρτίαν*, adhibet Apostolus. Illius dictionis sensum eo, quo diximus, redire, efficimus ex particula *μή*, participio *γνόντα* praeposita, quae, rite a particula *οὐ* distinguenda, indicat, id, quod CHRISTUS, *Deo judice*, fuit; conf. WIN., in op. l., p. 562.

(2) *Rom.* IV: 24 cll. p. 297, 301 sq. Hanc ipsam ob causam *liberatio* adeo *a peccatis* 1 *Cor.* XV: 17 cll. vs. 3 cum resurrectione arcte conjungitur. Cadente *illa resurrectione*, ita ratiocinatur Apostolus, pariter cadit *fides*, quo CHRISTUM suscepistis, et ita *etiamnum versamini in peccatis vestris.*

(3) Hoc, nostro judicio, spectat Apostolus *Rom.* IV: 25, ubi legimus, CHRISTUM *traditum esse nostrorum delictorum gratia*, *resuscitatum* vero *nostrae justificationis gratia*, id est, ut *hanc* facto ostenderet.

(4) *Col.* II: 13, ubi dicit PAULUS: *vos interitui*, sive *morti*, peccati sequelae, *consecratos* (*νεκροὺς* cll. p. 265) *in vestris delictis* (*Eph.* II: 1: *νεκροὺς τοῖς παραπτώμασι καὶ ταῖς ἁμαρτίαις* legimus, vs. 5 simpliciter *νεκρ. τ. παραπτ.*), quae, ex perversa scaturientia

efficaciorem et *salubriorem* vim habuerit CHRISTUS, quam ADAMUS: *οὐχ ὡς τὸ παράπτωμα*, inquit noster, *οὕτω καὶ τὸ χάρισμα· εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι οἱ πολλοὶ ἀπέθανον, πολλῷ μᾶλλον ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ καὶ ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τοὺς πολλοὺς ἐπερίσσευσε* (1). *Τὸ παράπτωμα τοῦ ἑνός*, de quo loquitur noster, est, ut novimus, ADAMI *delictum*, quo primum peccatum, intus residens, luculentissime est manifestatum (2), et a quo, tamquam a puncto saliente, mortis dominatio ad omnes homines, peccatores ADAMI ad instar dicendos, sese propagavit (3). *Τὸ χάρισμα* autem, — sive *gratia Dei et* ex hacce profectum *donum*, quod definitius *in gratia unius hominis largiter sese in innumeros exseruit* (4), — est *justitiae declaratio*, *multis delictis opportunitatem praebentibus* (*ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων*)

---

conditione, interitum eo certius vobis contrahebant, *et in praeputio carnis vestrae* (cll. *Eph.* II: 2, 3, ubi haec conditio late describitur) *cum* CHRISTO *vivos reddidit Deus* (cll. *Eph.* II: 4 sqq.), *dum vobis omnium delictorum veniam concessit* cll. vs. 14. Sponte ex hisce duci potest, si ad ea, quae p. 304 sqq. exposuimus, attenditur, homines, ita *vivos redditos peccatisque liberatos*, ipsos mortuos esse *prioris conditionis*, sive *peccati* ratione habita.

(1) *Rom.* V: 15.

(2) Vid. omnino p. 212.

(3) *Rom.* V: 12 sqq. cll. vs. 17 sqq.; vidd. ea, quae exposuimus p. 208 sqq. cll. p. 260, 265 sq.

(4) Vid. omnino DE WETT., in c. l., ad h. l.

concessa (1), et *vitam efficiens aeternam* (2). Quae *justitiae declaratio* quomodo procedat, jam satis vidimus (3).

§ 27.

Haec ratio prorsus hominis naturae atque conditioni est consentanea.

Fides, qua peccati jugum frangitur, prorsus congrua est dicenda naturae hominis, qui creatura est, a Deo prorsus pendens, sed pariter creatura divinitatis pollens igniculo, numquam exstinguendo, et inde

---

(1) *Rom.* V: 16.

(2) Ib. vs. 17 sq., 21; — vs. 18 legimus: *δι' ἑνὸς δικαιώματος· τὸ χάρισμα ἐγένετο* (haec verba supplenda sunt; vid. p. 210, not. 2) — *εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς δικαίωσιν ζωῆς*, id est, *per unum justum factum* donum gratuitum cessit *erga omnes homines in justificationem, vitam aeternam afferentem;* conf. vs. 19, ubi verba occurrunt: *per unius obedientiam justi declarabuntur* magis magisque *innumeri*, prouti nempe exinde apparebit, quod in hosce vita aeterna redundabit.

(3) Argumenta, quae in hacce § tractata sunt, saepius solummodo perstringi, haud diserte exponi atque fuse ab omnibus tuta praestari potuere dubiis, quia a nostro proposito fuit alienum, *universam aliquam* PAULI *soteriologiam* exhibere (conf. *Intr.*). Inde etiam non accuratius rationem habere potuimus scriptorum, argumenta, quae attigimus, spectantium. Ita e. g. eorum, quae conscripsit v. d. DOEDES cum in op. per.: *Jaarboeken v. wetensch. Theol.*, tum in op. nuperrime prodito: *De leer van den Doop en het Avondmaal op nieuw onderzocht*, 1847, I, p. 3 sqq., et eorum, quae contra illum observavit v. cl. HENGELIUS, in comm.: *De leer van het Avondmaal door* Dr. J. I. DOEDES. *Beoordeeld en deze plegtigheid nader beschouwd*, 1847, p. 10 sqq. Haec insuper comm. prodiit, cum ea, quae attulimus, typis essent mandanda.

sese cum Deo intime conjungere valens. Cum autem in perversa versetur conditione homo, perversitatis hujusce sensu motus ad Deum accedat, necesse est (1).

Fides illa, *justitiae* effectrix, jam dudum ante CHRISTI in terras adventum aliquatenus manifestata est, prouti jam semel iterumque monuimus (2). Ita in ABRAHAMO (3), ita etiam in DAVIDE, qui *λέγει τὸν μακαρισμὸν τοῦ ἀνθρώπου, ᾧ ὁ Θεὸς λογίζεται δικαιοσύνην χωρὶς ἔργων* (4). Directio quaedam cum *fide* comparanda in illis quoque, ni fallimur, adfuit, qui *constanter bene agentes* ad *excelsa aeternaque* sese extenderunt (5), et in *illis, qui, legem intus adesse, factis comprobabant* (6).

Primo quidem obtutu tales homines prorsus ab ABRAHAMO atque DAVIDE discedere videntur; *hi* enim laudantur, quod *nil egerunt*, sed simpliciter *Deo sese tradiderunt; illi* ab Apostolo honorantur, quod *omnino egerunt.* Haecce vero contradictio specie, nostro judicio, exstat, non re.

---

(1) P. 300 sq.

(2) Vid. praesertim p. 274.

(3) P. 301.

(4) *Rom.* IV: 6 sq.

(5) *Rom.* II: 6 sq., 10 cll. p. 159 sq.

(6) *Rom.* II: 14 sq. cll. p. 160, 281; ubi Apostolus vs. 13 dicit: *οἱ ποιηταὶ τοῦ νόμου δικαιωθήσονται*, non contendit, eos viros, vs. 14 sq. laudatos, *τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου* assecutos esse, sed solummodo indicat, esse actiones vere bonas; quae quomodo aliter peragi possint, quam ea ratione, qua diximus, haud intelligi potest (cll. p. 312).

Etenim ostendere vult PAULUS, *hosce* non operibus suis gloriatos esse, sed a Deo salutem exspectasse. Qui autem ad Sanctum illum „*fide*" sese erigunt *ad justitiam* comparandam, ii etiam, sublimiore eorum natura excitata, in posterum a pravitate abstinere student, et se justos esse bonis operibus probare cupiunt (1). *Illi* autem viri probi, antequam recte egerunt, sine ullo dubio ad Supremum Numen sese erexerunt, adeo ut *non operibus suis sint gloriati*, neque *ex hisce salutem repetiverint*, sed exinde, quod intus sese ad omnis perfectionis Exemplar erigentes, talia efficere potuerint opera.

Quia autem homines jam ante CHRISTUM quodammodo tali ratione salutem conquirere valuerunt, qualis in illo luculentissime patet, simul intelligi potest causa, cur ille, tamquam omnium omnino terrigenarum judex, a nostro celebretur (2).

(1) P. 313 cll. Cap. X.

(2) *Rom.* II: 16 cll. p. 161, et ib. not. 2.

CAPUT X.

DE NATURAE HUMANAE PROGRESSU, PER CHRISTUM ALLATO, DEQUE CONTINUA HOMINIS GENERISQUE HUMANI PER INSTITUTIONEM, CHRISTO INTERCEDENTE, CONCESSAM, EXPLICATIONE ATQUE PERFECTIONE.

§ 28.

De naturae humanae progressu, per CHRISTUM *allato.*

Exposita ratione, qua homines per CHRISTUM liberationem a peccato nancisci queant, in hocce Capite nobis perscrutandum est, quomodo ipsa natura humana, illo intercedente, progrediatur, et quam excelsa incipiat explicatio.

Jam statim nobis, talem instituentibus disquisitionem, obversantur dicta, quibus PAULUS perhibet, Deum *ab aeternitate* inde decrevisse homines per CHRISTUM perficere atque beare. Hoc consilium *μυστήριον*

dicit noster, id est, *decretum*, sive *consilium*, quod antea *latuit*, nunc vero per Dei filii in terras adventum *patefactum*, sive *facto comprobatum est* (1). Ejus partes, quas etiam *μυστηρίων* nomine nuncupat, varias esse censet, vel *patefactas*, vel etiamnum *patefaciendas*, *nunc* vero jam *notas*. Ad eas autem partes refert (quae pariter ad *rationem*, *qua* Deus *consilium*, sive *decretum* illud *exsequi* velit, pertinent) salutem, in CHRISTO gentilibus oblatam datamque (2), et salutem Judaeorum omnium, — quorum plurimi ipsius tempore ad euangelium suscipiendum erant inepti, — si *gentilium plenitudo* regnum divinum, hisce in terris vigens, *intraverit* (3).

Si quis, talia inspiciens dicta, contendere velit, Deum, ex PAULI mente, *praescivisse*, homines ita libera abusuros esse voluntate, ut peccarent (4), et ideo Illum

(1) 1 *Cor.* II: 7 cll. vs. 10 (vid. infr.); — *Rom.* XVI: 25 sq., *Eph.* I: 9 cll. vs. 4 sqq., 10 sqq., — 1 *Tim.* III: 9 *τὸ μυστήριον τῆς πίστεως* est *mysterium fide suscipiendum* spectans salutem, quam Deus per filium suum eaque, quae hunc respiciunt, efficit, ut apparet ex III: 16, ubi *τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον* (*mysterium probitatem continens efficiensve*) ipsa ea complectitur, quae ad JESU personam atque opus pertinent.

(2) *Eph.* III: 3 sqq. cll. II: 11 sqq., *Col.* I: 26 sq.; — vidd. insuper *Rom.* IX: 30 cll. vs. 24 sqq., X: 19 sq., XI: 11 sqq., ubi de eadem re agitur, sed tamen *μυστηρίου* nomen haud legitur.

(3) *Rom.* XI: 25 sqq. — De variis PAULI dictis, tam aliis, quam iis, quae citavimus, vocem *μυστήριον* continentibus, disputavit v. d. BOELES, in comm.: *De mysteriis in religione Christiana*, 1843, p. 18 sqq. cll. p. 66.

(4) Quamvis statuas, Deum, ex PAULI mente, peccatum *praescivisse*, semper tenendum est, hanc *praescientiam* peccatum non effecisse, tum enim omnia dicta, jam allata, de hominibus, libere pec-

ante creationem tale cepisse consilium, ut damnum, a proavo inde regnaturum, resarciret, nobis observandum esse videtur, talem *praescientiam* solummodo spectare potuisse rationem, qua Deus consilium suum executurus esset, hoc ipsum autem multo latius tendere. Nimirum, ut infra paullo accuratius explicabimus, per CHRISTUM non solum homines sensim redduntur innocentes, sive a peccato immunes, ut ita redeant ad conditionem ADAMI ante lapsum, non solum cum Deo *denuo* conjunguntur, et insignis *cujusdam* felicitatis participes evadunt, sed ad *rectam* conditionem spiritualem, *prorsus explicitam*, sive veram *sanctitatem* ducuntur, Dei filii declarantur *adulti* (1), summamque et nunc jam acquirunt, et aliquando plene acquirent δόξαν (2). Non *simpliciter* homines inter se conjunguntur, sed arctissimum eos constringit vinculum, quin adeo *Deo placuit* δι' αὐτοῦ, id est, *per filium suum reconciliare* τὰ πάντα εἰς αὐτόν, —

---

cantibus, eaque, quae mox citabimus, inanes evaderent soni. Equidem statuere malim, PAULUM de tam abstrusa quaestione, a populari lectorum captu aliena, haud cogitasse, sed sponte *consilium* ipsum cum *ratione*, qua Deus illud nunc, cum peccatum adsit, exsequatur, conjunxisse, id est, Apostolum, quia ipsum consilium *ab aeternitate* captum esse arbitratur, eos, qui *nunc* ante alios, in peccato permanentes, *beentur*, a Deo πρὸ καταβολῆς κόσμου electos dicere, quia Deus CHRISTI morte, hominum peccato effecta, *nunc* tamquam efficacissimo uti velit medio, eam quoque ad illud *consilium* referre.

(1) *Eph.* I: 4, 5, *Col.* I: 22; conff. *Rom.* VIII: 15 sq., 27 sqq., *Gal.* IV: 4. sqq.

(2) *Col.* I: 27 cll. III: 4; conff. 2 *Cor.* III: 18, *Rom.* VIII: 17, *Gal.* IV: 7.

εἴτε τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, „*εἴτε τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς*," vel, ut alibi dicit Apostolus, et *haec*, et *illa in* CHRISTO *sibi recolligere* (*ἀνακεφαλαιώσασθαι*) (1). Neque etiam dicendum est, homines, si non peccassent, ea sibi comparare potuisse, quae nunc, cum peccato sint dediti, per CHRISTUM solum acquirere valeant; etenim homo talis, qualis veram *sanctitatem* patefecit, qui *ὁ ἴδιος υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ κύριος τῆς δόξης* est, qui unico pollet amore, nobis, ex PAULI mente, solus is esse videtur, qui terrigenas ad *supremum gradum* evehere valeat.

Videamus, num id, quod diximus, uno alteroque PAULI dicto ulterius confirmare valeamus.

In *epistola ad Corinthios priore* noster, sententiam probaturus: *ἔστι σῶμα ψυχικὸν καὶ ἔστι σῶμα πνευματικόν* (2), ita ratiocinatur: *ὁ πρῶτος ἄνθρωπος, Ἀδάμ, animam*, vitae vim *inferiorem, et ipse habuit, et eandem in posteros transtulit* (*ἐγένετο — εἰς ψυχὴν ζῶσαν*): *ὁ ἔσχατος Ἀδάμ*, CHRISTUS, *spiritus*, principii *sublimioris, vitam veram aeternamqve gignentis, et ipse fuit particeps*, prouti e resurrectione apparuit, *et ejusdem* homines, cum ipso conjunctos, *participes reddidit* (*ἐγένετο — εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν* (3)). *Id* autem, quod *psychicum*, adeoque inferius est, id, quod *spirituale*, adeoque sublimius est, *praecedit*, secundum ex-

(1) *Col.* I: 20, *Eph.* I: 10; DE WETTIUS priore l. dictionem: *τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς*, recte, ni fallimur, indicare censet *bonos angelos* (quorum *major*, quam antea adfuerit, *perfectio* per CHRISTUM obtineat); non vero necessarium esse credimus, posteriore l. ab hac interpretatione recedere, prouti ille facit (in c. l., ad h. l.), MEYERUM sequens (in c. l., ad h. l.).

(2) 1 *Cor.* XV: 44.

(3) Ib. vs. 45 cll. p. 83 sq.

plicationis legem (1). *Ὁ πρῶτος ἄνθρωπος*, ADAMUS, ita pergit noster, *ex terra fuit*, *terrenus*, quatenus nimirum corpus, ex pulvere terrae concretum, cum vitae vi *inferiore* conspirans, habuit; *ὁ δεύτερος ἄνθρωπος*, CHRISTUS, *ex coelis originem duxit. Qualis* autem *terrenus*, *tales etiam terreni*, *ac qualis coelestis*, *tales etiam coelestes*, *et quemadmodum tulimus imaginem terreni*, ita nunc *feramus etiam*, „quoad ejus fieri possit," *imaginem coelestis* (2). PAULUS, hanc comparationem instituens, utrumque hominem contemplatur a parte, quae maxime *in oculos incurrit*. Non enim ADAMUS, cujus *peccati* h. l. ratio non habetur (3), principio divino atque coelesti caruit (4), sed fuit hoc *semen*, non statim luculentissime prodiens; neque CHRISTUS, Dei ille filius, coelitus ad homines missus, vitae vi *inferiore* atque *corpore* caruit *terreno*, sed adeo excelsus fuit, ut vita terrestris fuerit felicissima praeparatio ad vitam *insequentem* coelestem, ut *spiritus* sibi consentaneam reddere valuerit *animam* et *corpus terrenum* commutare in *spirituale* atque *coeleste organon*, sive e coelis

---

(1) Ib. vs. 46 cll. p. 84, not. 2.

(2) Ib. vs. 47 sqq. cll. p. 93 sq.; vs. 49 *φορέσωμεν* legendum est, ut satis ostendit MEY., in c. l., p. 244.

(3) Hoc exinde apparet, quod PAULUS vs. 45 verba *Gen.* II: 7 obvia, quibus hominis *creatio* describitur, adhibet; temere igitur OLSHAUSENUS de homine lapso agi ab Apostolo arbitratur (in c. l., ad l. l.).

(4) Conf. id, quod observavimus p. 84 cll. p. 73 sqq. Id ipsum etiam elicere potuisset Apostolus ex dicto, *Gen.* II l. l. inveniendo; cum enim Deus *ipse* hic dicatur *halitum suum inflasse in hominis nares*, *adeo ut ita is factus sit in animam vivam*, apparet, huic *animae* statim jam admixtum fuisse elementum *spirituale*.

CHRISTUS venit in terras, et ex his in illos rediit, ut tamquam *spiritualis* atque *coelestis* patefieret, pariterque homines secum conjunctos sibi similes redderet, his in terris eatenus, quatenus id admittunt *carnis, sanguinis animaeque* claustra *naturalia* (1), aliquando plene atque *ab omni parte* (2).

Ex ea autem descriptione ADAMI, quam Apostolus exhibet, minime ducendum est, necesse fuisse, ut ille peccaret, tum enim ad Deum ipsum, qui illum ita creavit, referendum esset peccatum. Haud cogitatione majus est, ut et ille ipse, et illius posteri paullatim a conditione *minus perfecta* atque *infantili*, a conditione *vitiosa* rite distinguenda (3), ad perfectionem

(1) Quamqnam MEYERUS recte statuit, φορέσωμεν vs. 49 legendum esse (vid. p. 324, not. 2), non tamen interpretationi hujus versus, quam exhibet, calculnm adjicere possumns, pronti etiam in snperioribus ab illins interpretationibns hic illic recedendum esse pntavimus. „*Wie wir* ADAM *ähnlich waren*," ita explicat, in c. l., ad l. l. „(*durch die Sünde in unserm vorchristlichen Zustande*), *so lasset uns auch* CHRISTO *ähnlich sein* (*ethisch, durch Freiheit von der Sünde*)." Etenim PAULUS h. l. et supra (vs. 47 sqq.) non adeo cogitat de *vitiositate*, Adamitis propria (prouti vs. 21 sq., *Rom.* V: 12 sqq.), sed de eorum conditione *minus perfecta*, eâque naturali, sive non de ADAMI cnm posteris conjnnctione, *perversitatem* spectante, sed de *ratione*, quae hos inter et illnm *naturâ intercedit.* Quamquam, historia docente, horum illiusqne culpa *altera* in *alteram* transiit; conf. id, quod diximus p. 211 in fin.

(2) 1 *Cor.* XV: 48 cll. vs. 50 sqq.

(3) *Minus perfectus* est is, qni nondum eo pervenit, quo aliquando perventurus est, *vitiosus* is est, qul eo processit, quo procedere non par fuit. Talem distinctionem clare quoque perspexerunt LUCAS in *euangelio* et auctor *epistolas ad Hebraeos*, JESUM adeo ἀναμάρτητον perfectione progressum esse, vel disertissime docentes; *ille* II: 52, *hic* II: 10 17 sq. V: 7 sqq.

sensim majorem progressi fuissent, cum *spiritum* excoluissent, atque ita animam carnemque direxissent, donec praeparati fuissent ad CHRISTUM illum, prorsus *spiritualem* hominisque creationem *absolventem*, recipiendum (1). Quamvis porro singuli, qui CHRISTI vim in se haud experti fuissent, mortem, *peccati sequelam*, haud gustassent, sed e terra decedentes certitudine invicta ducti fuissent ulterioris feliciorisque explicationis (2), vel hisce tamen quoque patefactio CHRISTI, dein facta, ad vitam *spiritualem* eo uberius explicatiusque exserendam inserviisset.

Quid quod ipse Apostolus sibi effingere videtur, fieri potuisse, ut aliter homines dispositi fuissent tempore CHRISTI in terras adventus, quam tunc revera fuere. *Eloquimur*, inquit, *Dei sapientiam* (***Θεοῦ σοφίαν***), *dum mysterium proferimus* (***ἐν μυστηρίῳ*** (3)),

---

(1) Ne ea, quae h. l. et p. 84 cll. p. 151 attulimus, perverse intelligantur, breviter repetendum esse censemus, quod ex iis, quae disputavimus, sponte duci potest, homines nempe ante CHRISTI in terras adventum multo magis constrictos esse debuisse, licet non peccassent, *animae carnisque* vi naturali, quam homines, qui per CHRISTUM illustrati sint, adeoque „*relative*," quamvis illi, *per se spectati*, *spiritum* ita excolere potuissent, ut non evasissent *ψυχικοί* atque *σαρκικοί*. Sic etiam ii, qui jam per CHRISTUM illustrati sunt, quamdiu in terra versantur, haud ita excolere possunt *spiritum*, ut hic *animam* veluti absorbeat, *carnem*que ad nihilum redigat; haec igitur conditio terrestris, *si comparatur* cum coelesti, adeoque „*relative*," semper etiamnum *animam carnemque* redolet.

(2) P. 264 sqq.

(3) 1 *Cor.* II: 7. Dictio: *ἐν μυστηρίῳ*, cum verbo *λαλοῦμεν* conjungenda est (conff. DE WETT. et MEY., in cc. ll., ad h. l.); illustratur autem vocis *μυστήριον* vis verbis: (*Θεοῦ σοφίαν*) *τὴν ἀποκεκρυμμένην κτλ. cll.* vs. 9 et 10.

absconditam illam semper, *quam Deus, antequam saecula*, quibus mundus vertitur, *exstabant, praedefinivit in gloriam nostram; quam sapientiam nemo hujus aevi procerum cognovit, quodsi enim* hi illam *cognovissent, dominum gloriae non cruci affixissent* (1). Illa *Θεοῦ σοφία* est *sapientia*, in CHRISTO *exposita*, sive potius est CHRISTUS ipse, *ὁ κύριος τῆς δόξης* (2), quatenus hic nimirum excelsum est medium, quo Deus *propositum* suum supremum ad homines prorsus perficiendos beandosque et nunc jam exsequitur, et *aliquando plene exsequetur* (3). Causa, cur illam *sapientiam nemo hujus aevi procerum* cognoverit, repetenda est ex peccati dominio, hoc igitur si non adfuisset, nihilo secius CHRISTUS ad terrigenas venisset, quamvis tum ii *ἄρχοντες* et omnes etiam reliqui homines, *nunc* peccato magis minusve deditі, laete atque expedite *statim sapientiam*, in illo expositam, arripuissent, et truculenta illius mors haud obtinuisset (4). Nunc autem Deus iis, qui, morte CHRISTI intercedente, a peccato destiterunt, illa,

---

(1) Ib. vs. 7 sq.

(2) CHRISTUS diserte *Dei sapientia* dicitur I: 24 (cll. vs. 30); hinc etiam *h. l.* eodem modo eam dictionem interpretemur oportet, cogitatione tamen de *morte*, in cruce perlata, quae *illic diserte* respicitur, *hic prorsus exclusa*, ut apparet ex vs. 8; hoc non satis nobis observare videtur v. d. BOELES, in comm. l., p. 29.

(3) Conf. vs. 9.

(4) Lucta contra JESUM, peccato tribuenda, quae in *proceribus* tam horrendum attigit culmen, in omnibus omnino ejus aevi hominibus, ne optimis quidem exceptis, aliquatenus adfuit; cogitemus modo JESU discipulos, qui difficulter admodum hi in illo plenam fidem collocarunt, illiusque consilium perspexerunt (*Act.* I: 6).

quae *sibi proposuit* in hominum salutem, *patefecit* (1).

Cum hoc effato minime pugnat dictum, paullo superius expressum: *Cum mundus in Dei sapientia*, quae cernitur in omnium, quae adsunt, creatione, conservatione, moderamine atque regimine (2), *non cognoverit Deum per suam sapientiam*, *Deo placuit* **διὰ τῆς μωρίας τοῦ κηρύγματος** *servare fideles*, id est, per *stultitiam*, quam inesse putant ii, qui *fide* sunt destituti, *praedicationi* hominis *crucifixi*, in quo vero *fideles* cernunt *Dei sapientiam potentiamque*, quatenus Ille per hominem *talem*, *ignominiose* tractatum, *peccatores* liberare istosque ulterius beare valet, summo, eoque gratuito, erga istos ductus amore. Si vero homines ad *Dei sapientiae*, ubique et semper expositae, rectam pervenissent aestimationem, in CHRISTO, coelitus misso atque in terra vivente, sublimiore modo illam expressam esse deprehendissent, et **ἡ μωρία τοῦ κηρύγματος** non obtinuisset, necesse est; adeo ut tum alia evasisset CHRISTI operis ratio, aliusque modus, quo Deus consilium suum, terram coelumque spectans, effecisset.

Progressio illa naturae humanae, quam CHRISTUS adducit, efficitur, ut jam significavimus, *spiritu novo* concedendo, qui, si homines peccato vacassent, statim atque recta via ipsos ulterius evehere valuisset. — *Spiritus ille* ex Deo, tamquam fonte, procedit, et, ex PAULI mente, jam aliquatenus in viris, sub V.

---

(1) 1 *Cor.* II: 10; hoc indicare Apostolum, pronomine ἡμῖν utentem, docet I: 21, ut mox videbimus.

(2) 1 *Cor.* I: 21; conf. p. 156.

Oeconomia viventibus, egisse videtur (1). Perfecto autem atque unico modo *ille* in CHRISTO est patefactus, qui ipse *τὸ πνεῦμα* esse perhibetur (2); illo igitur intercedente, hominibus conceditur (3), et hinc *τὸ πνεῦμα Dei filii*, *domini*, JESU CHRISTI nominatur (4), sive etiam CHRISTUS ipse, in hominibus *vigens*, *vivens*, *μορφούμενος*, *habitans* (5). Prouti igitur homines *fide ἐν Χριστῷ* sunt, ita vicissim hic est *ἐν αὐτοῖς* (6), sive statim atque *fidem* habent, hujus gaudent *spiritu* (7), quo vim nanciscuntur, ut sese *prorsus in hujus insinuantes conditionem peccati vi liberentur*; est enim *πνεῦμα ἅγιον*,

---

(1) *Rom.* VIII: 9 cll. vs. 11 et 14, 1 *Cor.* II: 10 sqq., 1 *Cor.* VII: 40, XII: 3, *Gal.* III: 5; — *Rom.* V: 2 cll. *Act.* XXVIII: 25 sqq.

(2) 2 *Cor.* III: 17.

(3) *Gal.* IV: 4 cll. vs. 6, *Tit.* III: 5, 6.

(4) *Rom.* VIII: 9, 2 *Cor.* III: 17 cll. *Gal.* IV: 6, *Phil.* I: 19.

(5) *Rom.* VIII: 10 cll. vs. 9 et 11, *Gal.* II: 20, IV: 19. — Sententia *Eph.* III: 16 obvia: *ἵνα δῷ (δώῃ) ὑμῖν (ὁ πατὴρ τοῦ κυρίου ἡμῶν* I. X. cll. vs. 14) — *δυνάμει κραταιωθῆναι διὰ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ εἰς τὸν ἔσω ἄνθρωπον*, ulterius illustratur verbis vs. 17 legendis: *κατοικῆσαι τὸν Χριστὸν διὰ τῆς πίστεως ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν κτλ.*, adeo ut Christiani tum *Dei spiritu efficaciter corroborentur*, *quod ad* totum *interiorem hominem attinet*, *cum* CHRISTUS *fidei ope in cordibus habitet* (vid. omnino MEY., in c. l., ad h. l.); Apostolum ita bis *fere* idem dicere, neminem offendet, qui prolixae orationis, qua in hac epistola utitur, meminerit.

(6) 2 *Cor.* XIII: 5, 3 cll. XII: 2, 19, *Col.* II: 6 cll. III: 4, 11, *Phil.* I: 21.

(7) 1 *Cor.* VI: 17: *ὁ δὲ κολλώμενος τῷ κυρίῳ (fide) ἓν πνεῦμά ἐστι*: — *Gal.* III: 2 cll. vs. 5 significat noster, Galatas *spiritum accepisse ex audita fidei praedicatione* (*ἐξ ἀκοῆς πίστεως*); — conff. insuper *Eph.* I: 13, III: 17 cll. not. 4.

quod accipiunt (1), — prouti CHRISTUS *τῷ πνεύματι ἁγιωσύνης* est insignis, — *et* quod igitur non potest non *statim* vim suam exserere ad id, quod cum ipso pugnat, removendum (2). Interdum etiam ille *spiritus* simpliciter *τὸ πνεῦμα*, *πνεῦμα* esse dicitur (3), et tum ratio, qua a *spiritu*, homini *naturâ* proprio, distingui queat, vel ex pronominis personalis absentia, vel ex tota sententiae formulaeve ratione effici potest (4).

Interdum pronuntiat Apostolus, *spiritu sancto* procreari *fidem*, sed tum vel *hujus* directio peculiaris significatur (5), vel *hujus* explicatio (6), vel *objectiva* „*illius*" designatur *vis*. Nimirum, ut id, quod ultimo loco diximus, verbo explicemus, euangelium,

---

(1) *Rom.* V: 5, 1 *Cor.* XII: 3, 2 *Cor.* VI: 6, *Eph.* I: 13.

(2) Prouti hinc jam satis perspicitur, *spiritum*, *intus* agentem, peccati vim frangere (cll. p. 304), ita idem quoque diserte effici potest ex 1 *Cor.* VI: 11, ubi Corinthiorum conditione perdita, antequam Christiani erant, descripta (cll. vs. 9 et 10), hoc profert Apostolus: *ἀλλὰ ἀπελούσασθε* (*vos purgastis*, sive *baptismo peccatorum lotionem* subiistis, quacum *ipsius peccati* interitus indivulso conjunctus est, p. 309, not. 2), *ἀλλὰ ἡγιάσθητε*, *ἀλλ' ἐδικαιώθητε ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου Ἰησοῦ* (*in nomine* JESU, *tamquam domini*, *fide profitendo* cll. *Rom.* X: 9) *καὶ ἐν τῷ πνεύματι τοῦ Θεοῦ* (= *ἐν τ. πν. τ. Χριστοῦ*) *ἡμῶν*. Vid. omnino id, quod de hujus sententiae ratione observat DE WETT., in c. l., ad h. l.

(3) *Rom.* VIII: 23, 26, 27, 2 *Cor.* I, 22, *Gal.* III: 2, 5, 14, *Eph.* V: 18, 1 *Thess.* V: 19, 2 *Thess.* II: 13.

(4) Conff. omnes ii loci, quos p. 73 sq. citavimus.

(5) Ita 2 *Cor.* IV: 13 (*τὸ αὐτὸ*) *πνεῦμα τῆς πίστεως* est *spiritus*, *talem fidem* provocans, quali ad *loquendum* incitemur; 1 *Cor.* XII: 9 peculiarem directionem *fidei* intelligi, exinde apparet, quod *haec* nonnullis modo assignatur; vid. § sq.

(6) *Gal.* V: 22; vid. § sq.

quo CHRISTUS praedicatur, spirat *τὸ πνεῦμα*, qui id praedicant, ipsi quoque *τῷ πνεύματι* gaudent (1), jam si homines id haud rejicere, sed audire velint, statim *spiritus ille sanctus in ipsos* agit (2), quia ipsi naturâ gaudent principio excelso divinoque; ita autem *fides* oritur, qua *ille* etiam *in ipsis* agere incipit, ut diximus.

Utramque *spiritus sancti* vim, *objectivam* et *subjectivam*, conjunctam spectat Apostolus, ubi Corinthios dicit *epistolam* CHRISTI (a CHRISTO, tamquam auctore, profectam) *administratam*, sive *litteris expressam a nobis*, euangelii praedicatoribus, tamquam amanuensibus, *scriptam non atramento*, *sed spiritu Dei vivi*, *non in tabulis lapideis*, *sed in tabulis cordis carneis.* Etenim h. l. non solum significat noster, religionem Christianam in Corinthiorum *cordibus* vigere, sed etiam *exstitisse*, *spiritu Dei vivi* auxiliante, id est, talem *spiritum* non solum (*fide*) *in cordibus nunc* vigere, sed etiam *in haec* egisse, quum euangelii praedicationem audientes sese fide CHRISTO adjungerent Corinthii; prouti epistola non solum atramento *conscripta exstat*, sed etiam *conscribitur* (3).

Spiritum illum, prouti ex hocce dicto aliisque ef-

---

(1) 1 *Cor.* II: 4, 13, 2 *Cor.* III: 6, 8 cll. IV: 1, 2, 3, 4 sqq.

(2) 1 *Cor.* XII: 3: *Nemo dicere potest*, *dominum* esse JESUM, id est, *fidem profiteri* (*Rom.* X: 9), nisi *ἐν πνεύματι ἁγίῳ*: ut enim homo id constanter faciat, *spiritu sancto* intus gaudeat necesse est, sed etiam ut id aliquando facere potuerit, illum inter et *spiritum sanctum* intercedere debuit ratio (cll. p. 304).

(3) 2 *Cor.* III: 3; — vs. 2 Apostolus dixit: *Ἡ ἐπιστολὴ ἡμῶν ὑμεῖς ἐστέ*, solum *praedicandi* negotium, sincero studio strenuaque cura peractum, spectans; conf. p. 134 sq.

fatis duci potest, accipit *cor* (1), quippe quod etiam *fidei* est sedes. Ubi autem *ille* aliquando in hominibus adest, pariter *spiritus humanus*, — qui causam constituit, cur *sanctus ille* accipi queat, — veluti denuo divinitus afflatus, vere laeteque viget (2). Praebet *alter* cum *altero* testimonium de nova *Patris* atque *filiorum* ratione, Deum inter atque homines intercedente (3). Nam *Deus*, *alterum*, *illum*que *novum* concedens, *patefacit hominibus excelsum suum propositum*, sive *sapientiam suam; omnia ille spiritus perscrutatur καὶ τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ, ex Deo enim profectus τὰ τοῦ Θεοῦ novit*, prouti *τὸ πνεῦμα τὸ ἐν ἀνθρώπῳ* (*naturâ vigens*) *novit τὰ τοῦ ἀνθρώπου*: inde igitur *ille*, nunc quoque *intus* vigens, testari valet, qualis Deum inter et homines, *spiritus* ipse *humanus*, qualis hos inter et Illum intercedat ratio (4).

Summam porro *ille spiritus*, Christianis concessus, exercet vim, prouti sponte apparet, in *totam* hominis naturam omnesque facultates; sed antequam de hac vi, sive de variis *illius* effectibus donisque accuratius disserimus, haud abs re nobis esse videtur, verbo indi-

---

(1) *Rom.* V: 5, 2 *Cor.* I: 22.

(2) *Rom.* VIII: 10: *Si* CHRISTUS (= *πνεῦμα τ. X., τ. Θεοῦ*) *in vobis* est — *spiritus est vita διὰ δικαιοσύνην*. Ex hoc dicto perspicitur, *spiritum humanum* in *mortis* conditione aliquando versatum, sive somno sepultum fuisse, vel saltem sese haud laete exserere valuisse; p. 76, not. 6, p. 244, et ib. not. 2.

(3) *Rom.* VIII: 16 cll. vs. 15.

(4) 1 *Cor.* II: 10, 11 sq. cll. vs. 7 et 9. Sponte patet, *spiritum humanum* etiam *profectum esse „ex Deo,"* et vicissim *spiritum novum „in homine"* vigere; Apostolus autem distinctionis gratia de utroque ita loquitur. Caeterum de *illo* h. l. tali sensu mentionem facit noster, quali p. 74 indicavimus.

care, qualis de *Dei spiritus* actione in V. F. hujusque *libris Apocryphis* occurrat sententia, et quomodo *ille* in V. F. reliquo sese prodere dicatur (1).

In V. F. *Dei spiritus* (רוּחַ אֱלֹהִים, יְהוָה (2)) et in terra ordinanda (3), et in homine creando egisse dicitur. Hic immediate *Dei halitum* accepisse perhibetur (4); inde autem a Supremi Numinis ore veluti pendet, et aptus est ad *divini spiritus* actionem perpetuo experiundam. Idcirco omnia, quae in homine extraordinarie vigent, omnia, quae ab eo admirabiliter peraguntur, ad Dei רוּחַ referuntur. Qui corporis vim haud vulgarem atque virtutem bellicam prodit (5), qui arte atque sagacitate pollet (6), qui sublimia pronuntiat atque vaticinatur (7), *illo spiritu* agi dicitur. Efficax est *idem* in toto interiore homine illustrando, emen-

---

(1) De *spiritus sancti* actione fuse disputant v. v. STEMLER et v. d. TH. VAN VELZEN, *Over de werking van den Heiligen Geest; uitg. d. h. H. Gen.*, 1844, III et IV; ille obiter etiam attendit ad sententiam de eo argumento, in *libris Apocryphis*, apud PHILONEM et *Rabbinos* inveniundam; in op. l., p. 84 sqq.

(2) Observat v. d. TH. VAN VELZEN, in op. l., p. 58, not. 3 et 4, dictionem: רוּחַ קָדוֹשׁ, perraro in V. F. occurrere (Ps. LI: 13, *Jes.* LXIII: 10, 11), et semel modo definite, *sensu morali* (Ps. LI l. l. cll. vs. 9, 11, 12); in formulâ insuper: *spiritus „sanctorum" Deorum,* semel iterumque in DANIELIS vaticiniis obvia (IV: 5 sq., V: 11), adjectivum: „*sanctus*" eodem redire, quo adjectivum: „*venerabilis.*"

(3) *Gen.* I: 2.

(4) *Gen.* II: 7.

(5) *Jud.* III: 10, VI: 34, XIV: 6, 19, XV: 14.

(6) *Ex.* XXXI: 3, XXXV: 31.

(7) *Num.* XXIV: 2, 1 *Sam.* X: 6, 10, 2 *Sam.* XXIII: 2, 2 *Chron.* XV: 1, XX: 14, *Ez.* XI: 5, *Zach.* VII: 12.

dando atque perficiendo (1). Interdum vel invitos homines abripere fertur (2), vulgo vero *illius* actio derivanda est ex iis, quae antea in homines egerunt, vel ex horum dispositione naturali, adeo ut tum talis actio libertati humanae congrua sit (3). Attamen *ille* in V. F. nonnisi de tempore in tempus et in nonnullis modo agere proponitur; aevum, quo largiter effundatur, a prophetis futurum esse praedicatur (4). In vaticiniis, quae JESAJAE nomine feruntur, mentio fit de salutis auctore, — ab aliis quoque prophotis variis celebrato nominibus (5), — qui *illo spiritu* plenus sit futurus *illius*que thesauris alios ditare valiturus (6).

In *libris Apocryphis* nonnullorum dictorum de *spiritu*, quae in V. F. occurrunt, ratio habetur (7). *Pseudo*-SALOMO de *illo* semel iterumque loquitur, *illum*que arctissime conjungit cum *sapientia*, cujus laudes in coelum effert, effata, in *Proverbiorum libro* obvia, respiciens (8).

---

(1) 1 *Sam.* X: 6, 10 cll. vs. 11, *Jes.* XI: 2, *Ez.* XXXVI: 27, *Mich.* III: 8.

(2) 1 *Sam.* XIX: 20 sq., 23 sq., 2 *Reg.* II: 16. Quin adeo *pravus spiritus*, Deo moderante, homines occupare fertur, 1 *Sam.* XVI: 14, *Jes.* XXIX: 10 cll. *Rom.* XI: 8.

(3) Vid. v. d. VAN VELZ., in op. l., p. 68 sqq. Inde etiam homines *spiritui Dei* reniti dicuntur, *Jes.* LXIII: 10.

(4) *Ez.* XXXIX: 29, *Zach.* XII: 10; conf. omnino *Joel* III: 1 sqq.

(5) Conf. v. d. VAN VELZ., in op. l., p. 78 sq.

(6) Vidd. praesertim *Jes.* IX: 5, XI: 1 sqq.

(7) *Judith* XVI: 14 cll. *Gen.* I: 2, *Jes. Sir.* XLVIII: 12 cll. 2 *Reg.* II: 9 sq., 12 sqq. cll. vs. 15.

(8) Auctor VII: 22 diserte *sapientiae* inesse dicit *πνεῦμα ἅγιον*: — I: 5 commemorat *ἅγιον πνεῦμα παιδείας*, quod nobis cum *sapientia*

In N. F. *spiritus sanctus* illos inflammasse et ad dicendum agendumque incitasse fertur, qui Messiam certo exspectabant (1). De JOHANNE, JESU prodromo, angelus vaticinatus esse dicitur: *πνεύματος ἁγίου πλησθήσεται ἔτι ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ* (2). JESUS ipse e *spiritu sancto* conceptus esse fertur (3), *idem*que in eum, cum baptismum acciperet, adspectabili modo descendisse perhibetur; quae narratio, nostro judicio, est significatio, CHRISTUM per totam vitam sese con-

---

arcte cohaerere videtur, si observamus, quam arcte *illam* cum *παιδείᾳ* conjungat (I: 4, III: 11, VI: 18): vs. 6 ipsam *sapientiam* dicit *πνεῦμα*: vs. 7 affini sensu nobis *πνεῦμα κυρίου* inducere videtur: IX: 17, 19 arctissimam quoque rationem inter *σοφίαν* et *spiritum sanctum* proponit. — Si quid videmus, *ἡ σοφία*, ex auctoris mente, ea est Dei *ἐνέργεια*, qua Hic in omnia agit, omnia penetrat atque hominem speciatim cum illustrat, tum perficit, et quae idcirco non potest non *spiritum sanctum* complecti (VII: 21 sqq., VIII: 1 sqq., IX: 2, 4, 6, 9 sqq. cll. *Prov.* VIII: 1 sqq., 12 sqq., 22 sqq.). — V. v. STEMLER (in op. l., p. 84 sqq.), BRETSCHNEIDERUM data opera refutans, contendit, *sapientiam* in *pseudo*-SALOMONIS scripto non esse personam, *illamque* a *spiritu sancto* distinguendam esse. *Hunc* autem esse putat Dei vim, sive efficacitatem, qua *illa* concedatur; quod minime concedere possumus, etenim v. v. in hacce ratione definienda, non attendit ad dictum VII: 22 inveniendum, neque effata IX: 17, I: 7 cll. vs. 5 obvia satis accurate refert (p. 86 sq., 88 sq., not. 7). — *Jes. Sir.* XXXIX: 6 *πνεῦμα συνέσεως* arcte conjungitur cum *sapientia*, quae I: 1 cll. vs. 4 sqq., XXIV: 1 sqq. etc. summis condecoratur laudibus.

(1) *Luc.* I: 41 cll. vs. 43, 67 cll. vs. 76, II: 25 sqq. In hisce dictis *spiritus sanctus* ea ratione, qua saepius in V. F., agere proponitur, non vero ea actio ita directa est, ut ex illo *spiritu*, *penitus jam spiritus humani ope suscepto*, sequatur.

(2) *Luc.* I: 15 cll. vs. 17.

(3) *Matth.* I: 18, 20, *Luc.* I: 35.

stanter *spiritualem* esse praestiturum, atque in eo *spiritum illum*, quo antea jam gavisus esset, prorsus esse explicitum atque plenae manifestationi aptum (1). Dei filium *illo* revera directum fuisse (2), pravorumque daemonum vim fregisse, euangelia satis probant (3). — Ubi interdum JESU *ipsius* commemoratur *spiritus*, *hic* non acriter a *sancto illo* est distinguendus, sed potius *ille* esse videtur *hujus* flos summus, sive *hic* altero *illo* prorsus imbutus (4).

---

(1) *Matth.* III: 16, *Marc.* I: 10, *Luc.* III: 22, *Joh.* I: 32 sq.; conf. v. d. VAN VELZ., in op. l., p. 100 sq.

(2) *Matth.* IV: 1, XII: 18, *Marc.* I: 12, *Luc.* IV: 11, 14; vid. JOH. *Baptistae* testimonium de JESU *Matth.* III: 11, *Marc.* I: 8, *Luc.* III, 16, *Joh.* I: 33. Hinc totum JESU consilium eo tendebat, ut alii *spirituales* evadere possent; jam cum NICODEMO loquens de *nativitate* agit *ex aqua*, peccati sordes abluente, et *spiritu*, id est, e *sancto illo;* haec tamen *nativitas* obtinere nequeat, nisi in ipso homine principium excelsum, tamquam semen, sit reconditum (*Joh.* III: 5 cll. vs. 3, 6 sqq., vid. p. 197, not. 1).

(3) *Matth.* VIII: 16, XII: 28 cll. vs. 22 sqq., 29 sqq., *Marc.* III: 22 sqq., *Luc.* XI: 14 sqq. (*Luc.* XI: 20 non, ut *Matth.* XII: 28, dictio: ἐν πνεύματι Θεοῦ, sed ἐν δακτύλῳ Θ. occurrit).

(4) *Marc.* II: 8, VIII: 12. Interdum quoque JESU ψυχή commemoratur, et tum, nostro judicio, doloris sensus significatur *inferior*, quem ille experiebatur, *semet ipsum*, gravissima quaeque patientem ac passurum, respiciens; conff. *Matth.* XXVI: 38, *Marc.* XIV: 34, *Joh.* XII: 27; vox πνεῦμα e contrario indicare videtur *sublimiorem* sensum, quem Dei filius experiebatur, *aliorum* rationem habens (conferri potest OLSH., in c. l., II, ad *Matth.* XXVI l. l.). Ita *Joh.* XIII: 21 de illo legimus: ἐταράχθη τῷ πνεύματι, quia illum miserebat JUDAE proditoris, *Joh.* XII l. l., ut jam significavimus, vox ψυχή invenitur, quia ea, quae *ipse* passurus esset, respiciebat Servator (haud agnoscit in duobus hisce dictis tale discrimen KÖSTL., in op. l., p. 141). — STIRMIUS non recte contendit, vocem

Ultimo vitae tempore Dei filius, discipulos suos consolaturus, *spiritum sanctum* (*ἄλλον παράκλητον, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον*), *ipso intercedente*, *a Patre missum iri* pronuntiat, *illum*que effecturum esse exponit, ut omnia, quae ipse, cum iis versans, erga eos praestitisset eosque docuisset, *memoriâ tenerentur* atque *absolverentur*, quo facto penitus *intus* illustrarentur atque perfectione progrederentur (1).

πνεῦμα, quae *Joh.* XI: 33 legitur, minus aptam esse, quam vox *ψυχή* sit (in comm. l., p. 41); etenim illa adhibetur, quia JESUS misericordia afficiebatur *alios* flentes videns; concedimus tamen viro d., significanti, causam, quam OLSHAUSENUS affert (in c. l., II, ad h. l.), nimis esse quaesitam. — Quod autem de summa conjunctione *spiritus sancti* cum ipsius JESU *spiritu* diximus, id pariter de aliis excelsis viris valet. Ita JOH. *Bapt. corroboratus esse spiritu* perhibetur (*Luc.* I: 80 cll. p. 80, not. 2), quia a primo ortu inde *spiritu sancto* est gavisus (cll. p. 335). Ubi de PAULO, *excelso* indignitatis sensu commoto, legimus: *παρωξύνετο τὸ πνεῦμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ*, et alibi de eodem, consilium capiente: *ἔθετο ὁ Π. ἐν τῷ πνεύματι* (*Act.* XVII: 16, XIX: 21), cogitandum est, nostro judicio, de Apostoli *ipsius spiritu*, *eo* autem *spiritus sancti* ope vigente. — Hominum, eo perfectionis *nondum* progressorum, vel *perversorum* adeo, *καρδία* plus semel cogitare, moliri, agitari perhibetur (conff. e. g. *Act.* II: 37, VII: 54 cll. p. 137); attamen sunt etiam exceptiones, ita JESUS sese dicit *ταπεινὸν τῇ καρδίᾳ* (*Matth.* XI: 29 etc.).

(1) *Joh.* XIV: 16 sq., 26, XV: 26, XVI: 13 sqq. cll. vs. 12. Quia JESUS ipse *spiritu sancto* erat prorsus imbutus, ipsius discipuli, quamdiu cum iis versabatur, *objectivam illius* experiebantur vim; CHRISTO autem e terris decedente, intus *illo spiritu* (*subjective*) gavisuri erant, pariterque omnes, qui Dei filium fide erant suscepturi; ita explicatur dictum *Joh.* VII: 39 obvium. Effatum *Joh.* XIV: 17 inveniundum nobis indicare videtur: *vos cognoscitis spiritum veritatis, quia „apud vos"* (in me) *commoratur* (*μένει* cll. vs. 25), *et „in vobis"*

22

Pentecostes festo *ille spiritus*, ut LUCAS narrat, ab Apostolis aliisque JESU sectatoribus extraordinario modo *acceptus* atque *proditus est*. Apostoli, inter quos *primum* maxime PETRUS excelluit, *illius* ope vim nacti sunt ad intrepide loquendum, ad facta stupenda edenda, ad omnia ea, quae necessaria erant, perficienda (1). *Idem spiritus*, referente LUCA, in omnibus, qui fide CHRISTUM suscipere voluerunt, viguit (2), et vel maxime, prouti in Apostolis, prodiit in aliis egregiis viris. Sic, ut de PAULO taceamus, qui ad ipsum Apostolorum numerum accessit, in STEPHANO, PHILIPPO (3), BARNABA (4). *Illud* autem *πνεῦμα*, ita

---

(me non amplius in terra versante) *erit* (*ἔσται*: ita enim legendum videtur); conff. omnino ea, quae exponit de *spiritu sancto*, ex JESU mente, v. d. VAN VELZ., in op. l., p. 114 sqq. cll. p. 107 sqq.

(1) *Act.* II: 1 sqq. (conf. MEY., in c. l., ad vs. 1), 14 sqq., III: 1 sqq., 12 sqq., IV: 8 sqq. cll. vs. 5 sqq. (vidd. *Matth.* X: 18 sqq., *Luc.* XII: 11 sq.), V: 3 sqq.

(2) Samariae incolae *spiritum sanctum* demum acceperunt, precibus a JOHANNE atque PETRO factis, et manuum impositione, tamquam externo signo, peracta, *postquam* jam, PHILIPPI praedicatione audita, crediderant atque baptismum subierant (*Act.* VIII: 12 sqq.). Minime autem ex hacce narratione ducendum est, necessarios fuisse tales Apostolorum actus in universum ad *τὸ πνεῦμα* accipiendum (cll. *Act.* X: 44 sqq., XI: 15 sq. et *omnino* vs. 17), sed potius ipsorum Samaritanorum fides antea nondum recte disposita fuisse videtur; conf. omnino MEY., in c. l., ad vs. 14 sq.

(3) Uterque fuit ex septemvirorum numero, de quibus exigebatur, ut essent *πλήρεις πνεύματος ἁγίου καὶ σοφίας* (*Act.* VI: 3 cll. vs. 5); vidd. ea, quae de STEPHANO narrantur *Act.* VI: 5, 8 sqq., VII: 55 sqq. cll. vs. 2 sqq., et de PHILIPPO *Act.* VIII: 5 sqq., 39 cll. vs. 26 sqq.

(4) *Act.* XI 24.

in quibuscunque agens Christianis inque excelsis viris sese maxime exserens, *ecclesiae* fata perpetuo moderari ejusque commodis prospicere dicitur (1).

Inter reliquos N. F. scriptores auctor *epistolae ad Hebraeos* actionem *spiritus sancti* tam quod ad dicta, sub V. Oeconomia prolata, quam quod ad instituta, sub eadem vigentia, attinet, agnoscit (2). CHRISTI *πνεῦμα αἰώνιον* celebrat, qua dictione intelligere videtur *spiritum* ipsius JESU, *interitu superiorem* et *spiritu sancto* prorsus *infectum* (3). Diserte de *πνεύματος ἁγίου μερισμοῖς*, quibus Deum veritatem euangelii praedicationis testari censet, loquitur, et alibi quoque Christianos *tali spiritu* gaudere, sed etiam destitui posse satis significat (4). — PETRUS de prophetis, *illo spiritu* actis (5), deque euangelii praedicatione, *illius* vi adjuvante, facta (6), etiam disserit, *illum*que insuper Christianis haud obscure assignat (7). — JACOBUS non

(1) *Act.* IX, 31, XIII: 2 cll. vs. 4, XV: 28, XVI: 6 sq. Si nonnumquam Apostoli aliive Christiani *spiritu sancto impleti esse* dicuntur, *hujus*, quo jam gaudebant, significatur excitatio pecnliaris (*Act.* IV: 8, 31).

(2) *Hebr.* III: 7 sqq., IX: 8 cll. vs. 7, X: 15 sqq.; conff. *Ps.* XCV: 7 sqq., *Lev.* XVI: 12 sqq., *Jer.* XXXI: 33 sq.

(3) *Hebr.* IX: 14; illustratur, ni fallimur, haec dictio formulà VII: 16 obviâ: *κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου.*

(4) Ib. II: 4, VI: 4, — X: 29 (*τὸ πνεῦμα τῆς χάριτος*).

(5) 1 *Petr.* I: 11; quia prophetae ea, quae CHRISTUM spectabant, praevidebant, *in iis*, ex auctoris mente, fuit *τὸ πνεῦμα Χριστοῦ* cll. 2 *Petr.* I: 21.

(6) 1 *Petr.* I: 12.

(7) Ib. vs. 2; *κατὰ πρόγνωσιν Θεοῦ πατρὸς* lectores, PETRO judice, *electi sunt*, *ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος* et *εἰς ὑπακοὴν καὶ ῥαντισμὸν αἵματος* I. X.: ultimis hisce verbis liberatio a peccatis significatur. — IV: 14.

distincte de *illo* agere solet, quamquam *illum*, suo tempore vere vigentem, satis noscere videtur (1). — JUDAS mentionem facit de hominibus perversis, quos et aliis nominibus insignit et *psychicos* dicit, *spiritum non habentes;* lectoribus autem ipsis praecipit, *ut, sese ἐποικοδομοῦντες sanctissimae suae fidei*, tamquam fundamento, *precantes* simul *in spiritu sancto*, *sese in amore Dei conservent* (2). JOHANNES in *epistola* sua *prima* manifeste dicta JESU, ultimo vitae tempore prodita, respicit; disserit nimirum de *spiritu, divinitus* concesso *veritatem*que patefaciente (3); *eundem* etiam ita inducit: *ὑμεῖς χρῖσμα ἔχετε ἀπὸ τοῦ ἁγίου, καὶ οἴδατε πάντα* (4). Illorum Dei filii dictorum sensum egregie quoque assecutum esse PAULUM, neminem, ad ea, quae supra explicuimus, attendentem, fugiet. In *Apocalypsi* plus semel de *spiritus* testimonio agitur (5).

Ita igitur videmus, *Scriptores sacros* agnovisse *spiritus divini* actionem. Hancce autem, ex illorum mente, eò ipso homines experiri possunt, quod naturâ gaudent *spiritu* (6).

(1) *Illum spiritum* significare videtur auctor IV: 5, cujus difficillimi dicti, variis interpretationibus tentati, sensum nobis optime assecutus esse videtur CALVINUS (in c. l., VII, ad h. l.). — JACOBUM I: 17 cll. vs. 18 *spiritum sanctum* quoque respicere, nobis haud abs re esse videtur; alibi *τὴν ἄνωθεν σοφίαν* admodum celebrat (III: 17).

(2) *Jud.* vs. 19 sqq.

(3) 1 *Joh.* IV: 2 sq., 6, 13 cll. V: 6.

(4) Ib. II: 20.

(5) *Apoc.* II: 7, 11, 17, 29, III: 6, 13, 22. — Dictum: *ἐγενόμην ἐν πνεύματι*, indicare videtur *spiritum humanum*, eumque *spiritu sancto* ad sublimia cernenda abreptum (I: 10, IV: 2).

(6) Sententiam HOFMANNI (in op.: *Weissagung und Erfüllung*.

§ 29.

De continua hominis generisque humani, per institutionem, CHRISTO *intercedente, concessam, explicatione atque perfectione.*

Qualis sit explicatio hominum, si cum CHRISTO sunt conjuncti, adeoque *spiritu* ducuntur *sancto*, paullo definitius nobis est indicandum. *Spiritus ille* non in omnibus prorsus eodem agit modo, sed varia *illius* in variis sunt dona (1); attamen omnium *ille* naturam facultatesque excelse explicat, quatenus omnium perfectioni increscenti est necessarium. Haec autem sensim sensimque et apud multos lente admodum procedit. Etenim supersunt anterioris conditionis reliquiae. Inde inter *spiritum illum sanctum* atque *carnem* oriri potest lucta, in qua tamen *ille*, *spiritum humanum* excitans atque corroborans, superiores agere valet partes (2), dum in lucta, quae in *epistolae ad Romanos* capite septimo describitur, *caro τὸν ἔσω ἀν-*

I, p. 17 sq., 22 sq. etc.), *Scriptores sacros* non agnoscere *spiritum*, homini naturâ proprium, quo *spiritus sanctus* suscipi queat, cum alii refutarunt, tum v. d. VAN DEN HAM, in op. per.: *Jaarboeken voor wetensch. Theol.*, V, 1, 1847: *Over de trichotomie des menschen volgens de Schrijvers des N. T.* etc., p. 8, 15, 18, 22, 25 cll. v. d. VAN OOSTERZEE, in eodem op., III, 1, 1846: *Over de getuigenis des Heiligen geestes* etc., p. 66 sqq. — Enixe rogatos velim lectores, ut ea, quae p. 73-79, 79-92, de *spiritu humano* secundum V. atque N. F. vidimus, accurate conferant.

(1) Vid. infra.

(2) *Gal.* V: 16 sq. cll. vs. 18, *Rom.* VIII: 1 sqq. cll. vs. 12 sqq.

ϑρωπον, τὸν νοῦν debellat (1). Sed etiam obti possunt retrogressus. Ita Christiani, in Galatia santes, *carni* adeo indulgebant, ut iterum ex oper legis se salutem conquirere posse opinarentur. E idcirco dicere cogebatur noster: **Οὕτως ἀνόητοί ἐ ἐναρξάμενοι πνεύματι νῦν σαρκὶ ἐπιτελεῖσϑε;** (2). Ii inter se non amorem, sed partium studium dira fovebant lites (3). Tales Christiani, si non st evigilarent, PAULO teste, in priorem prorsus r possent conditionem, si vero resipiscerent, *spi sanctus*, evanescens quidem, sed nondum exstinc eos ad excelsae explicationis reducere valeret tr tem (4). — Christiani, Corinthi habitantes, dicu **νήπιοι ἐν Χριστῷ**, atque etiam *carnalium* speciem se ferre perhibentur; quia, Apostolo referente, CI STUM eaque, quae hunc spectant, nondum plene cipere valebant, et vitiis, qualia sunt **ζῆλος, ἐ διχοστασίαι**, indulgebant (5).

---

(1) P. 257 sqq.

(2) *Gal.* III: 3 (cll. vs. 2, 5 sqq.). Hoc dictum non ita i gendum est, ac si prorsus jam in Christianis, quos alloquitu ster, *spiritus* exstinctus esset; participia enim praesentia vs. 5 o ἐπιχορηγῶν, ἐνεργῶν, ostendunt, *illum illiusque* efficacitatem no desiisse. Solummodo graviter iis ostendere vult PAULUS, quo venturi essent, si eadem via progredi pergerent.

(3) *Gal.* V: 13 sqq. cll. vs. 20.

(4) Ib. vs. 2 sqq. cll. vs. 1, 7 sqq.

(5) 1 *Cor.* III: 1 sqq. Respicit Apostolus vs. 1 sq. non gelii praedicationem, qua lectores Christiani erant facti, sed tutionem, acceptam statim post baptismum; evincit hoc ipsu πίων „ἐν Χριστῷ" nomen, quo utitur. — Eandem, atque tunc, ditionem etiamnunc adesse, clare indicat noster in fine versus vs. 3. — Ubi autem lectores a PAULO σάρκινοι, σαρκικοί dicuntur,

Membra corporis, *impuritati et conditioni*, *legi contrariae*, *ad hanc manifestandam* aliquando *exhibita serva*, nunc *justitiae*, id est, perfectioni morali (*aan de geregtigheid*), quae ex *justitia*, *fide comparata* (*uit de regtvaardigheid*), sese evolvere debet, consecrare, sive *serva exhibere*, *ad sanctificationem prodendam*, arduum sane est opus; hoc tamen perfici posse, satis docet noster in *epistola ad Romanos* (1). In eadem *corpus* lectorum **νεκρὸν δὶ ἁμαρτίαν** dicit. Etenim id, ex illius mente,

---

opinandum est, eorum conditionem prorsus similem esse peccatorum vulgarium, *σαρκικῶν* atque *ψυχικῶν* (II: 14), conditioni, tum enim *νηπίων ἐν* X. nomine indigni fuissent ac continuo essent, et ne *lac* quidem iis *potandum praeberi* potuisset. Erat in iis jam *excelsum principium* reconditum, sed vix ac ne vix quidem *prodiens.*

(1) *Rom.* VI: 19 cll. vs. 13, *Col.* III: 5 cll. vs. 8. — Si homines *justi ex fide* (*regtvaardig*) evadunt, *sese servos exhibent obedientiae*, Deo praestitae, adeoque non possunt non perfectionem moralem, quam etiam *δικαιοσύνην* appellat noster, sectari, et internae directionis, et totius agendi modi ratione habita (*Rom.* VI: 16 cll. vs. 18, 20). Quamquam autem ita, *homines si spectes*, duplex est *τῆς δικαιοσύνης* facies, unam tamen habet ea vox notionem primariam: indicat nimirum *id, quod tale est, quale esse debet, id, cui nihil deest.* Sic Deus est *δίκαιος* (conf. p. 313). — Si *Christiani justitiam* (*de geregtigheid*) *sectantur*, pariter exsequuntur legem, quae non amplius externa est, sed cujus executio sponte ex interno principio, *spiritu*, proficiscitur (*Rom.* VIII: 4 cll. vs. 1 sqq.). *Talis* porro *justitiae* studium sponte involvit *sanctificationem* (*ἁγιασμόν* cll. vs. 19 et 22), sive *sanctitatem* (*ἁγιωσύνην*) *sensim increscentem* (2 *Cor.* VII: 1), prouti Deus, quia prorsus *δίκαιος* est, pariter est *sanctus.* — 1 *Cor.* I: 30, VI: 11, ubi *ἡ δικαιοσύνη*, *τὸ δικαιωθῆναι* a *τῷ ἁγιασμῷ*, *τῷ ἁγιασθῆναι* distinguitur, illo verbo atque substantivo indicatur *justitia*, *fide comparata* (*de regtvaardigheid*). *Rom.* VII: 2 adjectiva *δίκαιος* et *ἅγιος* simul adhibentur, quo distinctius legis praecepti, *per se* spectati, praestantia appareat.

spiritus humani vitam, CHRISTI *spiritu* excitatam, n
dum statim plene atque perpetuo manifestare vale
propter peccatum, cui aliquando inserviebat, et qu
ideo de tempore in tempus etiamnum emittere per
bat; sed tamen spem pronuntiat Apostolus, fore,
Dei, *qui* CHRISTUM *e mortuis resuscitavit*, *spiritus*,
hic, prouti in unico illo, ita etiam *in lectoribus vige*
corpora aliquando a *mortalitate* adeo, cui *natura* s
obnoxia, immunia praestet; unde satis liquet, *euna*
spiritum efficacem esse ad *mortis conditionem*, homin
culpa effectam, jam hisce in terris demendam (1).

Ex iis igitur, quae breviter annotavimus, jam p
spici potest, penes Christianos esse, dummodo s
Dei filio adjungant, ut hisce in terris contin
progrediantur. Tali via ii, qui aliquando fuere ψ
χικοί atque *σαρκικοί*, evadunt *πνευματικοί*, id e
toti quanti *novo* imbuti *spiritu*, cum *spiritu hum*
conjuncto. Corpora evadunt CHRISTI *membra*, *spir*
sancti, *intus vigentis*, *templa* (2). Ita pro **τῷ παλ**
ἀνθρώπῳ, quem exuerunt, *induerunt* **τὸν νέον**
θρωπον, qui *renovatur ad intimam* Dei *cognition*

---

(1) *Rom.* VIII: 10, 11. Ex hac, quam praebuimus, expli
tione, abunde apparet, nos dictionem: *τὸ σῶμα νεκρ. δὶ ἁμ.*, a
mula: *τὰ θνητὰ σώματα*, distinguere. Nostro judicio, JESU ip
corpus, ex PAULI mente, fuit *θνητόν*, quippe *carne* instructum
Cor. XIII: 4 cll. p. 287), *minime* autem *νεκρόν*. Diutius de g
vissimis illis verbis *Rom.* VIII l. l. obviis disquirere, haud
mittunt limites, huic dissertationi positi. Neque etiam dirim
possumus, utrum in fine versus 11 *διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύ*
τος ἐν ὑμῖν, an *διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα ἐν ὑμῖν* legendum

(2) 1 *Cor.* VI: 15 cll. vs. 13, 19 cll. vs. 18 et 20; vid. p. 97

secundum imaginem CHRISTI, *qui illum*, Deo Auctore atque Moderatore Supremo, *condidit*, vel, ut alibi dicit Apostolus, sese *induerunt τὸν καινὸν ἄνθρωπον*, *secundum Deum*, tamquam Supremum Exemplar, per CHRISTUM *conditum* (1), *ea ratione, ut justitia*, sive perfectione morali *atque puritate* (2), *quae veritati*, in CHRISTO cernendae, *propriae sunt*, *vigeat* (3).

Singulas facultates eo magis explicari, quo magis *carnis animaeque dominatus* evanescant reliquiae, facile intelligitur. Quam excelsa autem ratione illae excoli possint, haud reticet noster. Audiamus modo, quid de *mente cognoscente* atque *judicante* hominis *spiritualis* dicat: *Ὁ πνευματικός omnia dijudicat* (*explorat*), *ipse autem a nemine*, haud spirituali, *dijudicatur* (*exploratur*). *Quis enim noscit mentem Domini*, sive Dei, *qui Hunc docturus sit? Nos autem*, *spiritu divino* pollentes, *mentem* CHRISTI *habemus*, adeoque mentem Dei, ex

---

(1) *Col.* III: 10 cll. *Eph.* IV: 24. Apostolum, *priore* l. dictione: *κατ᾽ εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτόν*, utentem, CHRISTUM, non Deum respicere, ex vs. 11 efficimus: *τὰ πάντα καὶ ἐν πᾶσι Χριστός*. Praeterea formula: *εἰς ἐπίγνωσιν*, id est, Dei (cll. *Col.* I: 10) hoc suadet. Effatum, *posteriore* l. obvium: (*τὸν κ. ἄνθρ.*) *τὸν κατὰ Θεὸν κτισθέντα*, nos non invitat, ut ab illa interpretatione recedamus, etenim si CHRISTUS homines *secundum suam imaginem condit*, pariter eos *κατὰ Θεόν condit*, quippe cujus auspiciis agit, et quem perfecte refert; 2 *Cor.* V: 17 cll. vs. 18 sqq.; vid. p. 256, not. 3.

(2) Substantivum *ὁσιότης Eph.* IV l. l. inveniundum hanc habere posse notionem, ex usu adjectivi *ὅσιος* efficimus 1 *Tim.* II: 8; indicat igitur illud *negativam τοῦ ἁγιασμοῦ* faciem, prouti *δικαιοσύνη* (*de geregtigheid*) h. l. *positivam*.

(3) Conf. *Eph.* IV: 21.

qua excelsa cogitata consiliaque, hominum salutem spectantia, progrediuntur, noscimus; quia CHRISTUS est, per quem ea perficit Deus (1).

Diserte insuper saepiusque pronuntiat Apostolus, Christianos pervenire posse: ad *omnem* rerum divinarum *cognitionem* (*γνῶσιν* (2)): — ad *accuratam*

---

(1) 1 *Cor.* II: 15, 16. Vs. 16 citat Apostolus *verba Jes.* XL: 13 inveniunda (sec. *vers. Al.*). Vox *νοῦς* (pro qua in textu Hebr. רוּחַ legitur cll. p. 78, not. 2), in dicto: *Τίς γὰρ ἔγνω νοῦν κυρίου*, occurrens, prorsus Apostoli consilio convenit, indicat enim Dei vim eam, ut diximus, qua excelsa cogitat atque molitur, adeoque magis definitam, quam vox *πνεῦμα*, h. l. notionem habet. Eadem hominis vis, sive facultas, *Dei spiritu*, per CHRISTUM concesso, illustrata, evadit *νοῦς Χριστοῦ*. — PAULUM denique, *mentem* „*Domini*" commemorantem, *Deum* respicere, non CHRISTUM (quem alibi saepius *dominum* dicit), ex vs. 9 sq. efficimus, ubi de iis, quae *Deus sibi proposuit* in hominum salutem (cll. vs. 7), et quae *spiritus* ope hominibus *patefecit*, loquitur noster, et ex vs. 12, ubi commemorat *τὰ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ* (*a Deo* per CHRISTUM) *χαρισθέντα ἡμῖν*, *quae* ut *noscamus*, *spiritus*, e Deo profectus, nobis, ex illius mente, concessus est. In hisce igitur etiam dictis ea, quae Deus (per CHRISTUM) molitus est atque exhibet, et quae hominibus *spiritu*, *mentem prorsus penetrante*, innotescunt, significantur.

(2) *Rom.* XV: 14, 1 *Cor.* I: 5; — *Eph.* III: 19 pronuntiat Apostolus, Christianos ad *amorem* CHRISTI aliquatenus *cognitionis* ope *accedere* posse, non vero *illum complecti* cll. *Phil.* III: 8. — Contradictio, quae adesse videtur inter dictum 1 *Cor.* VIII: 1 obvium: *πάντες γνῶσιν ἔχομεν*, et effatum ib. vs. 7 inveniundum: *οὐκ ἐν πᾶσιν ἡ γνῶσις*, tollitur, si tenemus, PAULUM *illo* indicare voluisse, talem *cognitionem* omnibus Christianis *patere*, *hocce* nondum omnes Christianos eandem jam *penitus intus suscepisse* (conf. omnino DE WETT., in c. l., ad h. l.). Qualem autem significet Apostolus *cognitionem*, ipse docet vs. 4 sqq., 7, 10 sq.

cognitionem (ἐπίγνωσιν (1)): — ad *sapientiam* summam, ipsa *Dei sapientia*, in CHRISTO exposita, *spiritus* ope excitatam (2). Τὴν σύνεσιν, aeque atque *sapientiam*, evadere posse πνευματικήν, satis significat noster in *epistola ad Colossenses: non desinimus*, inquit, *precari et rogare pro vobis, ut impleamini accurata* Dei *voluntatis cognitione* ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ συνέσει πνευματικῇ: *illius* ope nimirum Christiani rite adhibent talem *cognitionem, hujusce* ope sese penitus in eandem insinuant (3).

Conscientia clarissimum pronuntiat judicium de dictis, factis, conditione morali universa et de eorum, quae alii sectantur, probitate, ut ita certe perfectionis moralis via insistere possint Christiani (4). Insuper, ubi *cognitio excelsa* intus viget, efficit illa facultas, ut ii sine ulla vacillatione dirimere queant, quid faciendum,

---

(1) *Eph.* I: 17, *Phil.* I: 9, *Col.* I: 9, 10, II: 2, III: 10. — Voce ἐπιγνώσεως utitur PAULUS, ut indicet distinctius, quo perfectionis *cognitio* Christianorum *progredi* debeat. In *epistolis pastoralibus* semel iterumque ἐπίγνωσις ἀληθείας commemoratur (1 *Tim.* II: 4, 2 *Tim.* II: 25, III: 7, *Tit.* I: 1).

(2) 1 *Cor.* III: 18, VI: 5 cll. 1 *Cor.* I: 24, 30, II: 6 sq. — *Col.* III: 16, IV: 5 cll. *Eph.* V: 15. — Ipse *spiritus* dicitur πνεῦμα σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως (*Eph.* I: 17 cll. *Act.* VI: 3 et 10). *Sapientia* vero illa, prouti etiam ἡ γνῶσις, in aliis Christianis eminentiore modo, quam in aliis adest (1 *Cor.* XII: 8), in omnibus vero, quatenus exigitur, vigere *potest*, prouti significavimus.

(3) *Col.* I: 9. Talis σύνεσις πνευματικὴ non prorsus convenit cum φρονήσει, quae *Eph.* I: 8 commemoratur. Est *haec* ipsius *sapientiae* sequela (p. 127, et ib. not. 3) atque indicat *het doorzigt, illa* magis *het inzigt; illa* vero praesente, *hicce sapientiae fructus* non deesse potest.

(4) P. 129 sq. cll. p. 248 sq.

quid fugiendum sit (1), sive persuasionem mor certam, quam interdum *πίστιν* dicit noster (2), g illa.

In *corde*, *spiritus sancti* receptaculo, viget cons ter, *spiritu* ipso alente, *fides*, arcte conjuncta *spe*, qua laete in mediis rebus adversis, hisce in ris praesentibus, ad feliciorem conditionem, aliqua futuram, sese erigunt Christiani (3). *Talis* ar *spes non fallit*, inquit noster, *quia Dei amor*, sive timus *hujusce* sensus *effusus est in cordibus no per spiritum sanctum*, *nobis datum* (4).

Intimus talis sensus *Dei amoris*, in CHRISTO et hunc praestiti, non potest non Christianos inflamr ad summum *amorem* cum erga omnes homines, speciatim erga semet invicem (5). ***Θεοδίδακτοι*** cuntur ***εἰς τὸ ἀγαπᾶν ἀλλήλους*** (6). *Amor* ille v *spiritus* donis verum dat pretium (7), *fides genuina illum efficax est* (8), quin adeo ipsam *fidem* atque ε

---

(1) Si igitur haec *γνῶσις* adhuc deest, *conscientia* dicitur ἀσ vel Christianus ipse eo nomine nuncupatur; conff. de hac con *tiae* vi 1 *Cor.* VIII: 7, 9 sqq., X: 25, 27 cll. vs. 29; vid. p. not. 1.

(2) *Rom.* XIV: 1 sq., 22 sq. cll. p. 271, not. 2. „*Πίστις* DE WETTIUS (in c. l., ad vs. 1), „*ist christlicher Glaube in p scher Hinsicht, sittliche Ueberzeugung und sittliches Gefühl*=*συνείδ*

(3) *Rom.* V: 2 cll. vs. 3 sqq., VIII: 24 sq. cll. vs. 23, 17 *Col.* I: 5.

(4) *Rom.* V: 5 cll. vs. 6 sqq.

(5) *Rom.* XII: 9 cll. vs. 13 sqq. Interdum Apostolus *τὴν δελφίαν* speciatim commemorat; conff. *Rom.* XII: 10, 1 *Thess.* 9; alibi vero *ἡ ἀγάπη* illam complectitur.

(6) 1 *Thess.* IV l. l.

(7) 1 *Cor.* XIII: 1 sqq.

(8) *Gal.* V: 6.

suscipit *ille*, et ita dirigit, ut *aliis fidem* habeant Christiani, in Deum CHRISTUMque intuentes, *pro aliis* optima quaeque *sperent*, aeque atque pro semet ipsis (1). Verbo *ille amor* summum, quod cogitari potest, Christianorum est ornamentum.

Si reliquae ita explicantur facultates, *sponte* excolitur *libera voluntas* (2). Prouti *haec* efficax fuit in priore conditione amovenda novaque provocanda, ita vicissim in *hanc* agunt *mens* atque *cor*. *Μεταμορφοῦσθε*, inquit Apostolus, *τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοὸς ὑμῶν, εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς, τί τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, τὸ ἀγαθὸν καὶ εὐάρεστον καὶ τέλειον* (3). Vox *νοῦς* indicat *mentem*, regentem *voluntatem* (4), et ita quoque verbum *δοκιμάζειν* vim designat, quam *mens* illa *judicans*, sive *explorans* in *hanc voluntatem*, adeoque etiam in totam actionem exercet (5); *ἡ ἀνακαίνωσις* autem *τοῦ νοός* efficitur *spiritu sancto*, quem *cor* recepit (6).

---

(1) 1 *Cor.* XIII: 7. Talis explicatio *fidei*, quali *haec* sese ad *alios* dirigit, nobis etiam significari videtur *Gal.* V: 22, si ad virtutes, quae ibi simul commemorantur (cll. vs. 23 *πραότης*), attendimus.

(2) P. 150.

(3) *Rom.* XII: 2; pro imperativis *συσχηματίζεσθε* et *μεταμορφοῦσθε* LACHMANNUS, prouti quoque TISCHENDORFIUS, recepit *συσχματίζεσθαι* et *μεταμορφοῦσθαι*, qui infinitivi tum pendent a verbo *παρακαλῶ* vs. 1. Idem ille pronomen *ὑμῶν* rejecit.

(4) P. 120, not. 2.

(5) P. 145, not. 2.

(6) Idem fere indicatur *Eph.* IV: 23 dicto: *ἀνανεοῦσθαι δὲ τῷ πνεύματι τοῦ νοὸς ὑμῶν*, id est, *renovari spiritu sancto*, qui *mentis*, ejusque *voluntatem* dirigentis, est, quatenus nimirum *ille τὸν νοῦν* flectit atque penetrat. Viri dd. v. OOSTERZ. et v. D. HAM de *spiritu*

Alibi loquitur PAULUS de iis, *qui κατὰ πνεῦμα ε* adeoque *τὰ τοῦ πνεύματος* non possunt non *ι νεῖν* (1), quo verbo etiam *mentis* in *voluntatem* significatur (2), non tamen obtinens sine actione *dis*, et si *nativum* vinculum, inter facultates obtin respicias (3), et si ad *spiritum sanctum*, in *cord* gentem, attendas.

Libera sese ita explicante *voluntate*, summa tur *libertas*, qua nulla vi inviti constanter dirigi sunt Christiani, ut antea, cum peccato subes Sunt *adulti* Dei *filii*, *πνεύματι υἱοθεσίας* i gaudentes. Inde quoque a nulla lege, nullis bus, nullis hominum statutis pendent, *internan* spectes explicationem (4), tum quoque, cum, c

---

cogitant *humano* (in commentationibus, p. 340 sq., not. 6 ll., II p. 66, — V, 1, 18).

(1) *Rom.* VIII: 5 cll. vs. 6.

(2) P. 144, not. 3.

(3) P. 149 sq.

(4) *Rom.* VIII: 15 cll. vs. 1 sqq. — Vs. 2 dicit Apost *ὁ γὰρ νόμος τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς ἐν Χριστῷ Ἰησου ἠλευθέρωσέ μ. τοῦ νόμου τῆς ἁμαρτίας καὶ τοῦ θανάτου*, et oppositionis caus quia in praecedentibus (VII: 14 sqq., 23 sqq.) toties de *lege Dei*, vel *peccati*, locutus est; praeterea formula illa: *ὁ νόμ. τ. π ζ. ἐν Χ. Ἰ.*, rite adhiberi potest, quatenus Christiani, *spiritu* dentes, intus susceperunt *legem* (cll. vs. 4; p. 343, not. 1 Quod Apostolus *Rom.* VI: 18 (cll. vs. 16, 19 sq. et 22) observ. *servitute*, a Christianis *justitiae praestanda*, ipse excusat dict *ἀνθρώπινον λέγω* (vs. 19 cll. p. 191, et ib. not. 1). Caeterum *dum* PAULUS omnes ritus omniaque statuta apud Christianos a dum improbat (*Gal.* IV: 9 sq., *Col.* II: 20 sqq.), *interdum* stianos nonnullas adhibere formas (*Rom.* XIV: 1 sqq.) *sinit;* facit, ubi periculum imminere censet rei Christianae, propterea

ad *externam* conditionem attinet, *servi* sunt (1).

Ita progreditur Christianorum vita *spiritualis;* est enim vita *principio* aeterna, divina, atque pro ratione, qua excolitur, sensim majorem referens *splendorem*, composita ad exemplar vitae divinae consummataeque, quam in coelis vivit CHRISTUS (2). *Nos omnes*, inquit Apostolus, *detecta facie*, sive *corde* atque *mente* (3) peccati nebulis haud offuscatis, *per speculum*, id est, euangelium (4), *gloriam domini contemplantes*, *secundum eandem imaginem*, quam in speculo illo repercussam videmus, *immutamur in gloriam sensim majorem* (5), *quemadmodum* fieri par est *a domino spiritus* (a *domino*, cujus *essentia* veluti est *spiritus*, et qui ideo

---

instituta, *infantiae* generis humani apta, prorsus renovantur (cll. p. 283), *hoc*, ubi Christianos spectat *debiles*, sed tamen CHRISTO adhaerentes, quorum perfectionem a tempore exspectat (cll. p. 118).— Vidd. de Christianorum *libertate* omnino dicta *Gal.* II: 4, V: 1, 13, 18 cll. 2 *Cor.* III: 17 obvia.

(1) 1 *Cor.* VII: 21 sq.

(2) *Rom.* VI: 4, 5, 8 cll. vs. 10 et 11. — Vitam Christianorum terrestrem esse praesagium *excelsae illius conditionis*, quae aliquando adfutura sit, significat Apostolus, τὸν ἀῤῥαβῶνα τοῦ πνεύματος commemorans (2 *Cor.* V: 5 cll. I: 22), id est, *spiritum*, *tamquam pignus illius* (*Eph.* I: 14 cll. vs. 13); vid. WIN., in op. l., p. 422 sq.

(3) 2 *Cor.* III: 18 cll. p. 251 sq.

(4) *Speculum*, per quod Christiani cernunt, est *euangelium* (IV: 4), quippe quod cum de reliquo CHRISTI opere, tum de ejus vita coelesti testatur; conf. p. 300.

(5) *Priorem* atque *minorem gloriam* continuo deserimus (ἀπὸ δόξης), et *majorem* assequimur (εἰς δόξαν).

hoc alios magis magisque ditare valebit (1)). Immutantur igitur Christiani *secundum imaginem*, quam adspiciunt; *vis* autem talis immutationis procedit ab illo, cujus imaginem vident.

Quamdiu autem hisce in terris versantur Christiani, etiamnum circumferunt *corpus* fragile, *carne* instructum, et in quod *anima*, vitae vis *inferior*, magnas agit partes. Sed aliquando aderit tempus, quo illud in excelsius erit conversum organon **πνευματικόν**, et quo *anima* etiam *spiritui* consentanea erit reddita atque ab *hocce* veluti suscepta (2). Ejusmodi cum aderit conditio, pariter nova prorsusque excelsa vigebit explicatio, eam, quae nunc est, excipiens. *Summae* tum participes erunt Christiani *δόξης*, *talis* nimirum, *qualis* a Deo *immediate* refulget, et CHRISTO est propria (3). Adeamus ipsius Apostoli hac de re dicta: *Ἔιτε δὲ προφητεῖαι*, inquit, *καταργηθήσονται*, *εἴτε γλῶσσαι*, *παύσονται*, *εἴτε γνῶσις*, *καταργηθήσεται* (4). Respicit Apostolus hisce verbis ea *spiritus* dona *varia*, quibus Christiani varii hisce in terris ad res excelsas

---

(1) In dictionem: *ἀπὸ κυρίου πνεύματος*, nobis quadrare videtur, id, quod observat RUMPELIUS (*Die Casuslehre in besonderer Bez. auf die griech. Sprache*, 1845, p. 208 sq.): „*dass durch den Gen.* (h. l. *πνεύματος*) *nicht etwa die* Eigenschaft, *sondern vielmehr das* Wesen *eines Nomens* (h. l. *κύριος*), *und zwar in der stärksten Weise ausgedrückt wird.*"

(2) P. 98 sq. et ib. not. 5 cll. p. 84; de tempore hocce mox verbulo agemus.

(3) *Rom.* VIII: 17 sq.

(4) 1 *Cor.* XIII: 3.

divinasque sese erigunt (1). Ea autem dona *peribunt: ἐκ μέρους γὰρ γινώσκομεν καὶ ἐκ μέρους προφητεύομεν· ὅταν δὲ ἔλθῃ τὸ τέλειον, τότε τὸ ἐκ μέρους καταργηθήσεται.* Quia igitur *ἡ γνῶσις* et *ἡ προφητεία*, prouti quoque *αἱ γλῶσσαι*, conditioni *minus perfectae* congruunt, haud amplius adsint necesse est, ubi *perfecta illa conditio* vigeat (2). Hisce observatis, transit Apostolus ad exponendum *in universum*, qualis aliquando Christianorum explicationis futura sit immutatio: *"Ότε ἤμην νήπιος, ὡς νήπιος ἐλάλουν, ὡς νήπιος ἐφρόνουν, ὡς νήπιος ἐλογιζόμην· ὅτε δὲ γέγονα ἀνήρ, κατήργηκα τὰ τοῦ νηπίου.* Prouti homo cum *infans* est *infantili ratione balbutit, voluntatem mente dirigit atque ratiocinatur*, sed ubi ad *adultam* pervenit *aetatem* longe excelsiore gaudet cultus gradu, ex quo prior iste vix ac ne vix quidem dignosci potest, ita etiam Christianorum explicatio, quae nunc est, ab ea, quae aliquando aderit, differet (3). In subsequentibus hoc

---

(1) Conff. de *prophetiae dono* dicta 1 *Cor.* XII: 10, 28, XIII: 2, XIV: 1, 3 sqq., 22, 24 sq., 26, 29 sqq. obvia (p. 126 cll. p. 118); de *τῆς γνώσεως* dono vid. id., quod observavimus p. 346, not. 2. — 1 *Cor.* XIV: 6 dictio: *ἐν προφητείᾳ*, referenda est ad dictionem: *ἐν ἀποκαλύψει*, ita nimirum, ut *haec* indicet *argumentum* ejus, quod profertur, *illa* ipsam *prolationem;* eadem ratio intercedit inter formulas: *ἐν διδαχῇ* et *ἐν γνώσει*. — De *τῷ λαλεῖν γλώσσῃ, γλώσσαις* disserit Apostolus 1 *Cor.* XII: 10, 28, XIII: 1, XIV: 2, 4 sqq., 13 sqq., 20 sqq., 27 sq.; vid. p. 117 sq.

(2) 1 *Cor.* XIII: 9 sq. Quia sponte intelligitur, *τὸ λαλεῖν γλώσσαις* id, quod *ἐκ μέρους* est, redolere, commemorare illud donum negligit Apostolus; conff. dicta, not. 1 citata.

(3) Ib. vs. 11. Nonnulli interpretes censuerunt, verbum *λαλεῖν* respicere *linguarum donum*, verbum *φρονεῖν prophetiam*, verbum *λο-*

ulterius confirmat PAULUS observando, Christianos hisce in terris Deum eaque, quae Hunc spectant, non nisi *mediate cernere*, sive cognoscere atque percipere (prouti ille, qui *speculo* utitur, non *rem ipsam*, sed hujus *imaginem obscuram* contemplatur) (1), aliquando autem illos *immediate* (**πρόςωπον πρὸς πρόςωπον**) contemplaturos esse, quod ipse ita illustrat: *nunc ex parte cognosco, tunc penitus cognoscam, prouti quoque* a Deo *penitus cognitus sum*, sive familiaris me inter et Deum erit consuetudo. Immutatur igitur *cogitandi cognoscendique facultatis modus*, adeoque etiam erit *voluntatis* directio, tali immutationi congrua. *Fides* vero, in *corde* vigens, *spes*, ab *illa* excitata, atque *amor*, *prae hac illaque excellens*, *manent*, sive earum proprietatum *ratio interna* haud immutatur, quamquam eae laetius expeditiusque emergunt (2). *Fides*

γίζεσθαι denique *γνῶσιν*. Nostro jndicio, haec interpretatio nimis arguta est.

(1) Ib. vs. 12: *Βλέπομεν γὰρ ἄρτι δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι.* Vox *αἴνιγμα* (propric *sermo, cujus sensus non patet*) h. l. indicat *obscuram imaginem*, quam *speculum* refert, et quam adspicimus: ut autem rite percipiatur illius dicti VIS, tenendum est id, quod observat DE WETTIUS (in c. l., ad h. l.): *die Spiegel der Alten waren Metallspiegel, welche dunkle Bilder zeigten.* — Verum est illud Apostoli dictum, et si *manifestationem*, in *natura* patentem, et si *patefactionem* adeo, in CHRISTO datam, spectes; etenim neque illâ Deus, qualis *per se* est, cognoscitur, neque ex hacce, perfectissima, quae in terris dari potest; nam ut CHRISTUS, de quo euangelium testatur, Deum patefacere posset, homo *terrestris* est factus, ipsa insuper coelestis CHRISTI gloria *per euangelium* cognoscitur; conf. p. 351, not. 4.

(2) Ib. vs. 13. Talis hujus dicti sensus exigitur, *et* si attendas ad rationem, quae hoc inter et inter ea, quae in praecedentibus

enim est *salutis radix*, adeoque perire numquam poterit, spes efficiet, ut in coelis quoque sese ad *futura laete dirigant* Christiani (1), *amor* denique coelicolarum perfectionem probabit, eosque perfecte conjunget.

CHRISTUS, PAULO judice, non modo *singulos* homines illustrare coelisque aptos reddere voluit, sed *conjunctos*; non sibi proposuit *nonnullorum* salutem, sed *quam plurimorum*, imo, ut mox videbimus, *totius generis humani*. Condita ab illo est *ecclesia* (2), omnes, qui illum, tamquam dominum, susceperunt, perfecte conjungens.

In *illa ecclesia* agit *spiritus*, et eo ipso, quod *hic*

(vs. 8 sqq.) occurrunt, adest, *et* si teneas voculas: *νυνὶ δέ*, h. l. indicare: *jam vero;* conff. v. cl. PAREAU, *Hermeneutica C. S.*, 1846, p. 115 sq., *Commentatio de* 1 *Cor.* XIII, 1826, p. 326 sq. ib. l., et MEY., in c. l., ad h. l.

(1) 2 *Cor.* V: 7 vox *εἶδος* esse videtur *externa species*, quae *fallere* potest, vox *πίστις* fides *interna certaque* cll. vs. 6. — *Rom.* VIII: 24 *ἡ ἐλπίς* opponitur *contemplationi*, adeo ut, *hac* obtinente, *illa* desinat; sed omnino tenendum est, *spem*, qnamvis immntetur quod ad *objecta* attinet, in qnae sese dirigat, tamen *per se* spectatam eandem manere posse. Ita si coelestis conditio adest, uou amplius *sperare* possumus, fore, nt illa obtineat, sed in ipsa coelesti conditione laeta cum *spe* ea, quae adstant, exspectare semper possumns.

(2) *Ἡ ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ* (1 *Cor.* XV: 9, *Gal.* I: 13, 1 *Tim.* III: 15), cujus partes snnt ecclesiae, in variis tractibns versantes (1 *Cor.* I: 2, 2 *Cor.* I: 1, VIII: 1 etc.). *Gal.* I; 22 Apostolus loquitur de *ταῖς ἐκκλησίαις τῆς Ἰουδαίας ταῖς ἐν Χριστῷ*. Alibi indicat illa vox simpliciter *conventum*, *concionem* (1 *Cor.* XI: 18, XIV: 23, 28 etc.).

in omnibus non eodem agit modo, sed aliis alia tribuit dona, veri nominis *conjunctionem*, id est, *varietatem*, *summa unitate* conspicuam, sive *harmoniam*, non *monotoniam*, stabilit. Dona illa *varia*, PAULUS in *epistola ad Corinthios priore* **χαρίσματα** dicit, ratione habita *spiritus*, illa largientis, **διακονίας** illa nuncupat, ratione habita CHRISTI, *domini*, cujus ad instar illorum ope aliis *inserviunt* Christiani, **ἐνεργήματα** eadem nominat, ratione habita Dei, *omnia in omnibus efficientis* (1). Paullo inferius noster illa dona, a Christianis *manifestata*, refert ad *spiritus* **ἐνέργειαν** *variamque* illorum *distributionem* ad hujus *voluntatem* (2); alibi *locum*, quem quisque secundum illa *in ecclesia* obtinet, Dei moderamini assignat (3), vel etiam varia, quae enumerat, dona tribuenda esse censet *fidei* **μέτρῳ**, a Deo concesso, id est, rationi, qua *fides*, omnibus Christianis propria, in variis procedat (4). Niti autem pariter talis donorum *varie-*

---

(1) 1 *Cor.* XII: 4 sqq. — Apostolum, voces *χαρίσμ.*, *διακ.*, *ἐνεργ.* adhibentem, eadem dona variis inducere nominibus censemus (conf. MEY., in c. l., ad h. l.); alibi *χαρίσματα ἰαμάτων*, *ἐνεργήματα δυνάμεων* et *διακονίαν*, tamquam *peculiaria* dona, describit noster (1 *Cor.* XII: 9 sq., 28, 30, *Rom.* XII: 7).

(2) Ib. vs. 7: *Unicuique datur manifestatio spiritus*, sive *spiritum manifestare*, idque varia ratione, sive variis donis prodendis *ad utilitatem* communem cll. vs. 11: *πάντα δὲ ταῦτα ἐνεργεῖ τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα, διαιροῦν ἰδίᾳ ἑκάστῳ, καθὼς βούλεται.*

(3) Ib. vs. 28.

(4) *Rom.* XII: 3, ubi Apostolus tamquam regulam, secundum quam *modestia* sese dirigat, commendat: *sicuti* (pro ratione, qua) *Deus unicuique largitus est mensuram fidei;* vs. 6 dona dicit *χαρίσματα*, quae, ut addit, Christiani *possident secundum gratiam ipsis datam; haece* enim operante, dona conceduntur, *fide* autem

tas nobis videtur *varietate nativa* ipsorum hominum. Nimirum, ut ex ipsis iis, quae supra explicuimus, duci potest, non novas *spiritus sanctus* in hominibus *creat* facultates, sed eas, quae adsunt, pedetentim explicat; porro ipse *ille* non est *principium*, a natura humana *alienum*, sed e contrario *prorsus convenit* cum principio excelso, unicuique *naturâ* proprio (1). Ideo autem varia illa *χαρίσματα* pendent a ratione, qua in aliis aliae eminent, vel peculiariter sunt directae facultates, quae omnes jam in iis, in quos CHRISTUS nondum vim exercuit, quadamtenus, si peccati rationem non habeas, illustrari *possunt spiritu humano* (2), pariterque cohaerent eadem illa prorsus cum *hoc* ipso *spiritu*, omnibus quidem hominibus *naturâ* proprio, non vero in omnibus *eadem* ratione vigente (3).

Quia vero *unus ille spiritus* in *quibuscunque* vi-

---

subjective suscipiuntur, et pro hujus *vario* modo in *variis varie;* inde etiam ib. dicit PAULUS: *εἴτε προφητείαν* (*ἔχοντες*) *κατὰ τὴν ἀναλογίαν* (*secundum proportionem*) *τῆς πίστεως*. Caeterum *fides*, h. l. commemorata, rite distinguenda est ab ea, quae 1 *Cor.* XII: 9, XIII: 2 tamquam *peculiare spiritus donum* celebratur.

(1) Hoc cum aliunde satis duci potest, tum si attendimus ad donum, *τὸ λαλεῖν γλώσσῃ, γλώσσαις* dictum; agit tum *spiritus humanus sine mente* (1 *Cor.* XIV: 14 sq.), *ille* autem *operationem spiritus sancti patitur;* conf. 1 *Cor.* XIV: 2 cll. p. 75, not. 3, p. 117, et ib. not. 2.

(2) Vidd. ea, quae exposuimus p. 151.

(3) Hîc de *variis* agere locis, in quibus PAULUS *varia* spiritus dona, nunc haec, nunc alia, commemorat, eosdemque inter se conciliare locos, peculiarem exigeret disputationem.

get Christianis, hosce, tamquam membra varia, quam arctissime constringit *in unum corpus*, cujus *caput* est CHRISTUS (1), quo, omnium *domino uno*, intercedente, ut vidimus, *spiritus* conceditur, et cujus ad instar dona in aliorum commodum *consecrantur* (2). *Unus* omnibus est *Deus*, ex quo *spiritus* dimanat, *una* omnibus *fides*, cujus ope *hic* suscipitur, *unus* etiam *baptismus* (3). *Amor* denique, in veri nominis Christianis vigens, efficit, ut erga semet invicem sint omnia.

Ecclesia, ubi tamquam societas religiosa atque moralis spectatur, dicitur quoque **ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ**, hisce in terris jam vigens, perfectae societatis, quae aliquando aderit, sive consummatae *illius regni* formae *propylaeum* (4). *Illius regni* jam ante CHRISTI in terras adventum fuit *praesignificatio*. Nimirum Deus cum ABRAHAMO, viro summa fide insigni, cui excelsa dedit promissa, iniit *foedus*, et cum illius posteris *hoc* stabilivit; ex iis orta est gens Israëlitica, ad quam igitur id *foedus* pertinuit, quacum est renovatum (5). *Si*, inquit Apostolus, *primitiae* (patriarchae) Deo sunt *consecratae*, *in hisce quoque consecratur massa* (gens

---

(1) Conff. dicta p. 97, not. 2 citata cll. p. 102, not. 1.

(2) Ipsa ecclesia Christiana ὁ Χριστός dicitur 1 *Cor.* XII: 12.

(3) 1 *Cor.* XII: 4 sqq., 13, *Rom.* XII: 3, *Eph.* IV: 3 sqq.

(4) *Interdum illud regnum* futurum esse proponitur 1 *Cor.* VI: 9 sq., XV: 50, *Gal.* V: 21, *interdum* vero nunc jam vigens, ita *Rom.* XIV: 17 cll. vs. 18 (vid MEY., in c. l., ad h. l.), 1 *Cor.* IV: 20; — 1 *Thess.* II: 12, 2 *Thess.* I: 5 *illud*, aliquando adfuturum, significari videtur, praesenti tamen conditione haud prorsus exclusa.

(5) *Rom.* IX: 4 (*αἱ διαθῆκαι*), *Gal.* III: 15 sqq., 29.

ipsa), *et si radix est sacra, etiam rami sunt sacri* (1). Gentiles a talibus commodis dudum fuere remoti, et ideo comparantur ab Apostolo cum *olea agresti*, prouti Judaei cum *olea generosa*. Qui vero in CHRISTO fidem reponunt gentiles, *rami istius oleae agrestis, inseruntur generosae huic oleae*, dum Judaei, fide destituti, ab *hacce olea in tempus avelluntur*, quia arguunt, se *externa* solummodo ratione cum *hacce* cohaerere (2).

CHRISTUS autem quia *regnum divinum* explicuit et in lucem protraxit, *illius* verus conditor dici meretur, et quoque, Deo Auspice, *illud* continuo moderatur (3). Manifestatio *spiritus*, qui ex Dei filio, tamquam capite, procedit, non potest non efficere, ut *illa ecclesia* perpetuo *intensive* progrediatur (4), prouti euangelii praedicatione, CHRISTO curante, ubivis obtinente, *extensive* incrementa capit (5), quin adeo Apostolus pronuntiat, ut supra jam obiter annotavimus: *οὐ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοί, τὸ μυστήριον τοῦτο, ἵνα μὴ ἦτε παρ᾽ ἑαυτοῖς φρόνιμοι, ὅτι πώρωσις ἀπὸ μέρους τῷ Ἰσραὴλ γέγονεν, ἄχρις οὗ „τὸ πλήρωμα*

---

(1) *Rom.* XI: 16; vid. WINER, *Biblisches Realwörterbuch*, ed. III, 1846, in v. *Erstlinge*, p. 342 sqq. Caeterum conf. de hujus dicti interpretatione, quam attulimus, et quae admodum confirmatur dicto XI: 28 obvio, MEY., in c. l., ad l. l.

(2) *Rom.* XI: 17 sqq. cll. vs. 11 sqq.

(3) 1 *Cor.* XV: 25 sqq. Inde etiam *Col.* I: 13 legimus: *μετέστησεν (ἡμᾶς ὁ Θεὸς) εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ*, et *Eph.* V: 5: *πᾶς πόρνος ἢ ἀκάθαρτος ἢ πλεονέκτης — οὐκ ἔχει κληρονομίαν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ.*

(4) 1 *Cor.* XII: 7, XIV: 1, 3 sqq., 12 sqq., 16 sqq., 26, 31.

(5) P. 300.

τῶν ἐθνῶν εἰςέλθῃ" καὶ οὕτω „*πᾶς Ἰσραὴλ σωθήσεται*" (1).

Nunc vero difficillimae oriuntur quaestiones, quas obiter attingere, non vero fuse solvere possumus. Ex illo dicto, quod citavimus, duci potest, omnes homines, *hisce in terris viventes*, aliquando salutem assecuturos esse (2); quin adeo non alienus est Apostolus *in primariis epistolis*, ut mox videbimus, a sententia,

---

(1) *Rom.* XI: 25 sq. Vox *πλήρωμα*, nostro judicio, indicat h. l. *id, quod plenum est factum*, *plenitudinem*. Donec omnes gentiles nondum intrarunt in *regnum divinum*, *spatium* veluti *vacuum* est relictum, quod igitur *πεπληρώμενον ἐστι*, simulatque omnes introitum sunt nacti. — Sic etiam XI: 12 *τὸ πλήρωμα* Judaeorum commemoratur atque opponitur *τῷ ἡττήματι* eorum, id est, detrimento eorum, exinde cernendo, quod, Apostolo hanc epistolam scribente, *pars* solummodo istius gentis sese CHRISTO adjunxerat.

(2) Conf. etiam *Rom.* XI: 32: *Συνέκλεισε γὰρ ὁ Θεὸς τοὺς πάντας εἰς ἀπείθειαν* (libera nimirum intercedente voluntate), *ἵνα τοὺς πάντας ἐλεήσῃ* (si ipsi fidem habent). Eos etiam, qui e terra decesserint, peccatores per CHRISTUM salutem esse nacturos, ex hocce dicto, si ad praecedentia attendimus, effici nequit; ita quoque 1 *Cor.* XV: 22 ultimis verbis non indicatur, *omnes*, qui umquam vixerint, homines *in conjunctione cum* CHRISTO *vitam veram aeternamque nacturos*, sed *omnes*, qui sese *cum* CHRISTO vel jam *conjunxerint*, vel in posterum *conjungere velint*, cogitatione exclusa de hominibus, *in sola conjunctione cum* ADAMO *morientibus atque mortuis* (*ἀποθνήσκουσιν:* praesenti tempore utitur PAULUS, quia perpetuo etiamnum sunt, qui sine CHRISTO e terris decedant, p. 265 sqq.). Eadem ratione *Rom.* V: 15, 18, 19 *οἱ πολλοί* vel *πάντες*, qui *per* CHRISTUM *beantur* vel *beabuntur*, opponuntur *τοῖς πολλοῖς* vel *πᾶσι*, qui *in conjunctione sola cum* ADAMO *miseri sunt facti*. Apostolus in hoc eecapite vs. 15 dictione: *εἰς τοὺς πολλούς*, prouti vs. 19 *οἱ πολλοί*, utitur, quod suo tempore jam *certum erat*, *innumeros* beari atque beatum iri, vs. 18 vero adhibet formulam: *εἰς πάντας ἀνθρώπους*,

eos etiam, qui sine fide, in CHRISTO reposita, e terra decesserint atque peccato sese dederint, aliquando salutis participes fore. Alibi vero legimus de hominibus, qui, CHRISTO *adventante*, *δίκην τίσουσιν ὄλεθρον αἰώνιον* (1). Sed *hanc* sententiam obiter pronuntiat Apostolus, de summa hominum perversitate agens, et forsan explicitam sententiam non ob oculos habens. In aliis vero epistolis, summam Dei gratiam respiciens summamque CHRISTI efficacitatem, aliter rem proponit. — Neque etiam de tempore, quo CHRISTUS adventurus mundumque dijudicaturus sit, sive quando CHRISTI *παρουσία* (*patefactio domini* JESU, *dies domini*) futura sit, semper sibi constitit noster. Sic haud obscure indicat, fieri posse, ut ipse etiamnum eo tempore sit victurus in *epistolis ad Corinthios* (2) et *ad Thessalonicenses* (3), quamquam simul addit, id tempus accurate definiri haud posse (4); in *epistola* vero *ad*

---

spem significans, fore, ut *omnes* aliquando, *hisce in terris viventes*, serventur; inde etiam de hominibus, eum solo ADAMO conjunctis, ibidem eadem utitur dictione atque formula (p. 210, not. 1).

(1) 2 *Thess.* I: 9; alibi quoque de summa peccatorum poena loquitur Apostolus, sed non tam diserte eam *aeternam* dicit, ita 1 *Thess.* I: 10, V: 3, *Rom.* II: 5, 8 sq., 12 cll. p. 264, not. 2, 276.

(2) 1 *Cor.* XV: 51 sq., 2 *Cor.* V: 4 cll. vs. 2 sq. cll. p. 267, not. 2. De hoc argumento disputavit v. d. VAN OOSTERZ., in op. per.: *Jaarboeken voor wetensch. Theol.*, 1845, II, 1: *De denkbeelden van den Ap.* PAULUS *aangaande den tijd der wederkomst van* CHRISTUS. *Eene bijdrage tot de bijbelsche Eschatologie.*

(3) 1 *Thess.* IV: 15 sqq. — 2 *Thess.* II: 3 sqq. primum *anti*-CHRISTI patefactionem obtinere debere, exponit noster; conf. p. 233 sq., not. 3.

(4) 1 *Thess.* V: 1 sqq.

Philippenses dubius haeret, num ipse, CHRISTO adven tante, in vivis sit futurus, quia nimirum videbat, s forsan antea esse moriturum (1); in *epistola* deniqu *ad* TIMOTHEUM *posteriore*, non amplius *talem de* *spem* pronuntiat, etenim certo noscebat, se esse mori turum; attamen CHRISTI *παρουσίαν* aliquando adfore certum esse censet (2).

Interdum pronuntiat Apostolus, se statim post mor tem coelesti gavisurum esse organo et apud CHRI STUM futurum (3), unde effici queat, tum etiam for judicium *singulorum*. Alibi exponit, CHRISTO adven tante, fore resurrectionem *omnium* Christianorum *ja* *mortuorum* (4), quin adeo judicium *omnium* omnino qui *umquam* vixerint (5); unde sequitur, hos quoque sive *probos*, sive *improbos*, resurrecturos esse (6) Christiani, qui etiamnum in terra versantur, PAUL judice, tunc subibunt *commutationem* (7). Ut haec

---

(1) *Phil.* I: 20 sqq. cll. II: 17 noster mortis exspectatio nem quandam prodit; I: 25 cll. II: 24 se in vivis remansuru esse praevidet; III: 11 dicit: *si forte perveniam ad resurrectione* *mortuorum* (*εἰς τὴν ἐξανάστασιν τῶν νεκρῶν*), sive *ad tempus resu* *rectionis*, cum CHRISTI *adventu* conjunctae; vid. de hujus dicti lec one atque interpretatione v. cl. HENG., in c. l., ad h. l.; con insuper I: 6, 10, II: 16.

(2) 2 *Tim.* IV: 6 sqq. cll. vs. 1, I: 12 et 18.

(3) 2 *Cor.* V: 1, *Phil.* I: 23 cll. vs. 20 sq.

(4) 1 *Cor.* XV: 52, 1 *Thess.* IV: 16.

(5) *Rom.* II: 16 cll. vs. 8 sqq., *Act.* XVII: 31.

(6) Apostolus *Act.* XXIV: 15 de *τῇ ἀναστάσει δικαίων τε* *ἀδίκων* loquitur.

(7) 1 *Cor.* XV: 51 sq. — Vs. 53 sq. de *hac commutatione* quoq disserere PAULUM statuamus, haud necesse est; h. l. potius de *i*

quae adesse videtur, pugna tollatur, tenendum est, illum, tranquille rem secum reputantem, mortem proponere tamquam transitum fidelium ab hacce vita in meliorem conditionem; si vero uno obtutu magnos eventus, aliquando futuros, sibi proponat, de omnium conjunctorum agere resurrectione atque judicio (1). Nimirum tunc Christianorum, qui, *hominibus judicibus*, veluti dormitum iverunt, cum e terris decederent, vita summaque gloria *patefient* (2), organon illud spirituale plene explicitum erit, atque ab omni parte sese excelsa explicatio evolvere poterit (3).

Si omnia, quae aliquando eventura sunt, ex PAULI mente, quam brevissime conjungere velimus, missis quaestionibus minoris momenti, haec statui possunt. Antequam CHRISTI *παρουσία* adesse poterit, cum extra, tum intra ecclesiam multae erunt mise-

---

mutatione *in universum* agit, suum ipsius corpus, quale *nunc* est, digito monstrans (cll. p. 98 sq., not. 5). Ita quoque 2 *Cor.* V: 8 Apostolus dicit: *θαῤῥοῦμεν δὲ καὶ εὐδοκοῦμεν μᾶλλον ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος* (quale *nunc* est) *καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν κύριον* (cll. vs. 6 et 9); vs. 1 certam spem pronuntiavit, fore, ut, *si ἡ ἐπίγειος ἡμῶν οἰκία τοῦ σκήνους* morte *destructa sit, οἰκοδομὴν ἐκ Θεοῦ habeamus, οἰκίαν ἀχειροποίητον, αἰώνιον ἐν τοῖς οὐρανοῖς:* vs. 4 autem cll. vs. 2 sq., fervore abreptus, commutationem multo optabiliorem ducit, quae fiat *sine mortis interventu;* p. 98 sq., not. 5 cll. p. 267, not. 2.

(1) Id ipsum nobis confirmari videtur dicto 1 *Cor.* XV: 23 obvio.

(2) *Rom.* VIII: 18, *Col.* III: 4. Conferri potest v. cl. VAN OORDT, in op. per.: *W. in L.*, 1841, III: PAULUS *denkbeelden over dood, opstanding en gerigt*, p. 597.

(3) P. 352.

riae (1), et *mali vis* sese admodum exserere debebit; *hac* etiamnum vigente, ut in *epistola ad Thessalonicenses posteriore* legimus, CHRISTI *adventus* derepente obtinebit, et ille *anti*-CHRISTUM exstinguet (2); secundum *epistolam ad Romanos*, ut vidimus, omnes homines, *hisce in terris viventes*, fide, in CHRISTO reposita, servabuntur (3).— CHRISTI **παρουσίας** tempore erit judicium omnium omnino hominum, hisce in terris versatorum; Christianorum salus tum stabilietur, pariterque ii beabuntur, qui, patefactione, in CHRISTO concessa, *non* gavisi, in perfectionem incubuerunt atque hanc manifestarunt; hisce nunc CHRISTUS, ut summopere beari possint, patefiet. Perversorum poena tunc etiam definietur atque detegetur. Hanc autem poenam non *aeternam* fore censemus, si ad disertam PAULI doctrinam, cum alibi, tum in *epistola ad Corinthios priore* datam, attendimus, et non adeo ad unum alterumve dictum rigidius. Dicit nimirum Apostolus, CHRISTUM *regnaturum esse, donec omnes mali vires sibi subjecerit;* ad tales vires etiam refert *mortem*, *peccati poenam*, cui cum suo tempore multos etiamnum peccatores succumbere videret, testatur: **ἔσχατος ἐχθρὸς καταργεῖται ὁ θάνατος** (4). *Mali* autem *virium* cum reliquarum, tum *mortis* potestas nondum fracta est, quamdiu sunt homines, salute destituti atque interitui

(1) Externas tales miserias spectare censemus Apostolum 1 *Cor.* VII: 26 sqq. cll. X: 11; in ipsa ecclesia *nonnulli a fide desciscent* secundum 1 *Tim.* IV: 1 sqq. cll. 2 *Tim.* III: 1 sqq.

(2) P. 361, not. 3.

(3) P. 359 sq.

(4) 1 *Cor.* XV: 25 sq.

subjecti. Num autem ex iis prorsus evanuit *sublimius principium?* Negando nobis ad hanc quaestionem respondendum videtur; suppressum solummodo est *illud.* Patet iis hanc ob causam via salutis, fide in CHRISTO reponenda (1). Iis ita servatis, CHRISTI moderamen *desinet*, *tradet regnum Patri*, *qui ipsi cuncta subjecit*, *ut Deus ipse sit* τὰ πάντα ἐν πᾶσιν.

---

(1) Apostolus, postquam vs. 24 dixit: *εἶτα τὸ τέλος*, cogitatione reverti videtur ad eos, qui *ἐν Ἀδὰμ ἀποθνήσκουσιν*, et jam omnium omnino *mali* virium victoriam (vs. 24 sqq.), CHRISTO reportandam, portendit. Hisce autem devictis, omnium omnino hominum, qui umquam vixerunt, est salus, prouti dictio illa: *ἐν πᾶσιν*, *absolute*, non *comparative* (*prouti vs.* 22), posita nobis probare videtur. — *Phil.* II: 10, 11 CHRISTI efficacitas, a Deo concessa, eo tendere dicitur, *ut in illius nomine omne genu sese flectat* Deo (conf. v. cl. HENG., in c. l., p. 163) *coelestium et terrestrium et subterraneorum*, *et* ut *omnis lingua professura sit*, *dominum esse* JESUM CHRISTUM, *in gloriam Dei Patris.* Quodsi autem omnes naturae rationales, ubivis versantes, *in* CHRISTO *Deum venerantur*, omnium etiam hominum salus est effecta, et obtinere id *poterit*, quod 1 *Cor.* XV: 24 sqq. describitur.

ADDENDA ATQUE EMENDANDA (*).

P. 4, r. 17, ab APOLLONIO.

P. 6 et 7, not. 6, r. 8 et 1, ab harum utrisque.

P. 7, not., r. 23. In op.: PAULUS, *der Apostel* J. C. etc., p. 499, *unum* esse *epistolarum pastoralium* auctorem significat BAURUS.

P. 11, r. 9. De *epistolae ad Ephesios* anthentia vacillans pronuntiat judicium idem criticus, *Der Br. an der Colosser* etc., p. 72 cll. p. 147 sq., in annot.

P. 14, r. 1. PLANCKIUS in op. per.: *Theol. Jahrbücher*, 1847: *Judenthum und Urchristenthum*, II, p. 258 sqq., III, p. 409 sqq., IV, p. 448 sqq., discedit a SCHWEGLERO in definienda ratione, inter *Judaismum*, *primam formam Christianismi* et *Paulinismum* intercedente; attamen, reliquorum criticorum *Tübingensium* ad instar, plures PAULO abjudicat epistolas; conff. ea, quae de *epistola ad Philippenses* deque *epistolis pastoralibus* observat, in comm. l., IV, p. 450 et 481 sqq.; de iis, quae *ad Colossenses* et *Ephesios* scriptae sunt, ib. p. 461 sqq. et 474.

P. 15, not. 5, r. 2. ANGERUS (in comm.: *Ueber den Laodicenerbrief* etc., p. 138 sq.) non solum dubia, a DE WETTIO, BAURO (in opusc.: *Die Pastoralbr.*, p. 125) et MAYERHOFFIO prolata ad authentiam *epistolae ad Ephesios* impugnandam, rejecit, sed etiam iis, quae a SCHRADERO exposita sunt (in op.: *Der Ap.* PAULUS, V),

---

(*) Cum jam anno 1846 exeunte hanc dissertationem typis mandare inceperim, nonnullorum scriptorum, quae dein in lucem prodierunt, vel denuo sunt edita, rationem habere non potui. Ultima pars hujus dissertationis, jam dudum elaborata, anno 1847 exeunte demum typis mandari coepta est.

sese opposuit; hujusce critici (in op. l.), BAURI (in opusc. l., p. 79), MAYERHOFFII argumenta, contra authentiam *epistolae ad Colossenses* excogitata, etiam refutare tentavit vir ille accuratus (in comm. l., p. 2 sqq. cll. p. 11 sq.).

P. 17, r. 3. *Epistolam ad Philippenses* nuper, 1847, contra BAURUM defendit LÜNEMANNUS, et quoque, ut spem facit, *epistolas ad Colossenses*, *Ephesios*, *Thessalonicenses* et PHILEMONEM, ab impugnatione illius critici tutas praestabit, si tentamen, jam factum, viris doctis gratum acceptumque esse perceperit.

P. 17, not., r. 8. Apostolum *epistolam ad Philippenses* una cum *priore ad* TIMOTHEUM Caesareae scripsisse defendit PAULUS, *Programma de script. prior. ad Tim. et ad Philipp. epist. Paul.*, 1799; talem sententiam, quod ad *illam* attinet, mutatis mutandis haud prorsus rejiciendam esse exponit RILLIET, *Comm. sur l'epitre de l'ap. Paul. aux Philipp.*, 1841; conf. DE WETTE, *Kurzgef. ex. Handb.*, II, 4, ed. II, 1847, p. 174.

P. 18, r. 3. Cum reliquorum scriptorum N. F. authentiam, tum epistolarum, quae PAULI nomine feruntur, ne exclusa quidem *epistola ad Hebraeos, in universum* probare tentavit THIERSCHIUS, in op.: *Versuch zur Herstellung des historischen Standpuncts für die Kritik der neutestamentlichen Schriften*, 1845; eum justo acrius taxavit BAURUS, in scriptiuncula: *Der Kritiker und der Fanatiker in der Person des Herrn* H. W. J. THIERSCH, 1846; huic scriptiunculae sese denuo opposuit THIERSCHIUS; opusculum vero, quo id fecit, nondum in nostras venit manus; conferri etiam potest op. per.: *Die Zukunft der Kirche. Eine Monatschrift, redigirt von Pr.* A. EBRARD etc., III, 9, 1847: *Die Baursche Kritik* etc., p. 257 sqq.

P. 18, not. 1, r. 4. Viri d. DOEDES commentatiunculae crisin egit V. V. NIERMEYER, in op. per.: *Jaarboeken v. wetensch. Theol.*, V, 1, 1847: *Iets over de opschriften der algemeene Zendbrieven van* PAULUS *met betrekking tot derzelver echtheid* etc., p. 88 sqq.

P. 19, not. 2, r. 4. Idem ille etiam *epistolam ad Philippenses* PAULO abjudicavit; conf. v. cl. HENG., *Comm. perpet. in epist.* PAULI *ad Philipp.*, p. 8.

P. 23, not. 3, r. 1. Conf. id quod observat V. V. HARTING, in op. per.: *Jaarboeken v. wetensch. Theol.*, V, 2, 1847: *De rigting*

der Tübingsche godgeleerde school in eenige hoofdtrekken geschetst, p. 292 sq., not. 3.

P. 24, r. 3. PLANCKIUS commemorat: „*die konciliatorische Darstellung Paulinischer Wirksamkeit in der Apostelgeschichte;*" in comm. l., III, p. 422. — RITSCHLIUS, in op. per.: *Theol. Jahrbücher*, II, 1847: *Das Verhältniss der Schriften des* LUKAS *zu der Zeit ihrer Entstehung*, p. 293 sqq., statuit, librum, *Acta Apostolorum* inscriptum, consilio irenico compositum esse, et in eo MARCIONEM *in universum tacite* refutari, excepto forsan dicto XX: 29, 30 obvio, quo *palam* refutetur, aeque atque in *euangelio*, LUCAE tributo, fieri soleat; hanc sententiam quomodo proponat, nunc exponere longum est; conf. comm. l., p. 303 sq.

P. 32, r. 15. FELICIS.

P. 57, not., r. 7, a *τῷ ὑποστ.*

P. 69, not. 1, r. 1. Hanc trichotomiam strenue defendit v. d. VAN DEN HAM, in op. per.: *Jaarboeken v. wetensch. Theol.*, V, 1, 1847: *Over de trichotomie des menschen volgens de schrijvers des N. T. — Bijdrage tot de Bijbelsche Anthropologie*, p. 3 sqq.

P. 92, not. 7, r. 5, *vasis testaceis.*

P. 165, r. 3, et qui ita.

P. 191, r. 13 et 14, *et carnis*, *et spiritus.*

P. 192, r. 2, de morte naturali.

P. 211, r. 19. In illo enim capite veluti novus peccati ortus describitur, in quem ADAMI lapsus omnino vim quandam exercuisse, ex PAULI mente, videtur, sed quem minime effecit.

P. 293, r. 3 et 4, inquinatum fuerit.

P. 327, not. 4, r. 4, admodum in illo.

P. 329, not. 1, r. 2, *Rom.* I: 12.

Reliqua emendet atque addat ipse B. L.

THESES.

I.

Anthropologiae Biblicae fundamentum constituit dictum Gen. II: 7 *obvium.*

II.

Theologo utilissimum est, ut sese penitus insinuet in V. atque N. Fis Auctorum *notiones psychologicas atque anthropologicas, et has cum iis, quae hodie circumferuntur, conferat.*

III.

Antiquarum et recentiorum de anthropologia notionum confusio foecunda et *fuit,* et *etiamnum est errorum mater.*

IV.

Secundum PAULUM *homini naturâ est proprius* spiritus *(τὸ πνεῦμα), tamquam ἐνέργεια origine divina. Eadem est etiam* JESU *et reliquorum, qui in N. F. dicentes scribentesque occurrunt, sententia, petita ex iis, quae in V. F. de* רוּחַ *occurrunt.*

V.

In PAULI *epistolis, in toto V. atque N. F.* anima (*ἡ ψυχή*, נֶפֶשׁ) *a* spiritu *distingui solet, prouti* vis *inferior ab excelsiore ἐνεργείᾳ* principiove.

VI.

Accurate tam PAULUS, *quam reliqui, qui in N. F. dicentes scribentesque occurrunt, prouti etiam* librorum *V. F*[is] Apocryphorum auctores corpus *(τὸ σῶμα) a* carne *(τῇ σαρκί) distinguunt.* Illud *iis esse solet* membrorum systema *et interioris hominis* organon; haec *illius* materia *mollis debilisque, cujus ope* his in terris *vivere potest homo.*

VII.

Haec distinctio jam luculentissime invenitur in V. F[is] versione Alexandrina.

VIII.

Ex PAULI *et reliquorum* Scriptorum sacrorum *mente singulae facultates, veluti radii e centro, prodeunt ex*

corde; *diriguntur illae tam* spiritu, *quam* anima; *ita tamen, ut, si haec, arctissime cum* corpore *et definitius cum* carne *cohaerens,* dominetur, *homo a* destinatione, *ad quam* naturâ *tendere debet, deflectat.*

IX.

Ex PAULI *atque* JESU *mente homines, ubi res creatas observant, naturâ ad Creatorem se erigere valent. Apostolus ille, eam sententiam accurate enucleans, minime Alexandrinam philosophiam secutus est.*

X.

Convenientia, quae inter PHILONEM *et* PAULUM *atque* JOHANNEM *adesse videatur, unice dictorum* formam *spectat,* res ipsae *toto coelo differunt.*

XI.

Liberam homini esse facultatem volendi in toto V. atque N. F. ubique sumitur, tum etiam, cum de peccato *agitur. Nihil valent contra hanc sententiam nonnulla dicta, in hoc illoque obvia, in quibus primo obtutu* peccatum *a Deo repeti videatur.*

XII.

Caro *cum a* PAULO, *tum a reliquis Apostolis et ab ipso etiam* JESU, *tamquam stimulus ad* peccan-

dum *proponitur, numquam vero vel per se mala esse, vel necessario* peccatum *efficere dicitur.*

XIII.

In V. F. atque libris *hujus* Apocryphis *notio* carnis *est* physica, *saepissime enim occurrit illa vox de* debilitate *atque* fragilitate; *in N. F. et praecipue apud* PAULUM moralis *notio* dominatur.

XIV.

Causa hujus usus inde repetenda est, quod Hebraei praesertim Dei omnipotentiam, *oppositam humanae* debilitati, *celebrant; qui in N. F. dicentes scribentesque occurrunt Dei* gratiam sanctitatemque *spectant, quae oppositae sunt humano* peccato.

XV.

PAULUS *exponens, omnes homines, ex* ADAMO *ortos, peccasse* (Rom. V: 12 sqq.), *unice id, quod, historia testante, obtinuit, commemorat, minime vero docet, necessariam fuisse illam peccati* genitoris *sequelam.*

XVI.

Peccata *singula sunt manifestationes* peccati, *in homine intus residentis, cujus* principium *est* sui studium, *ad quod omne peccati genus referri potest.*

XVII.

Peccati fastigium, ex PAULI *mente, cernitur in illa* duritie (σκληρότητι), *qua homo constanter sese* Deo opponit, *ex* JESU *mente in* peccato contra spiritum sanctum, *ex* JOHANNIS *mente in* peccato πρὸς θάνατον. *Sunt vero tria haec ejusdem rei nomina varia.*

XVIII.

Peccato efficitur, PAULO *judice, ut* spiritus, *homini naturâ proprius, obdormiscat, omnesque excelsae hominis facultates* carnis animaeque *vi in perversa quaeque dirigantur.*

XIX.

Peccatum, in singulis hominibus atque universo genere humano grassans, si prorsus corrumperet humanam naturam, irritus fuisset CHRISTI *in terras adventus.*

XX.

Deo solo moderante effectum est, ut genus humanum, peccato *deditum, ad* CHRISTUM *praeparatum sit.*

XXI.

CHRISTUS, *ex* PAULI *mente, generis humani est instaurator (alter* ADAMUS), *quia ipse origine* coelestis

atque prorsus spiritualis, *homines*, *fide ipsum amplectentes*, *ad Deum* reducit, spiritum, *iis naturâ proprium*, suo spiritu *excitat atque illustrat*, *eosque ita* spiritu sancto divinoque *implet et beat.*

XXII.

Hicce spiritus *aeternae progressionis continet semina.*

XXIII.

Placitum de spiritu, *homini naturâ proprio*, *et de* spiritu sancto *unice explicari potest ex* Scriptorum sacrorum *notionibus* anthropologico-religiosis; *quod quo magis fit*, *eo magis Hebraeorum prophetismo multisque* JESU *et Apostolorum sententiis lux affundetur.*

XXIV.

JESUS Apostolique *ad hominis conditionem destinationemque*, philosophi *recentioris aetatis plerique*, *qui anthropologiam conscripserunt*, *ad hominis naturam prae caeteris attendunt.*

XXV.

Illi *ita agunt*, *quia hominum sunt institutores*, *quibus prae caeteris incumbit*, *ut iis ostendant*, *quales*, *experientia ipsa docente*, *sint*, *et eos excitent*, *ut ad meliora sese extollant: quod ipsum homines*, *quia excelsa gaudent natura*, *efficere possunt;*

hi *ea ratione agunt, quia in* philosophicis *suis disquisitionibus, caeterum laudandis. rem Christianam nimis negligunt.*

XXVI.

Idem est PAULI *character, qui in* Actis Apostolorum *describitur, et qui in* epistolis, *illius nomen prae se ferentibus, expressus est.*

XXVII.

Ex verbis CLEMENTIS Romani (*in* epistola priore ad Corinthios, V, Patrum Apostolorum opp., ed. III, HEFELII, 1847, p. 62): *κα(ὶ ἐπὶ) τὸ τέρμα τῆς δύσεως ἐλθῶν (ὁ Παῦλος) κτλ. duci non potest,* PAULUM *adiisse Hispaniam.*

XXVIII.

Viri docti, qui hodie nonnullas, vel complures epistolas, PAULO *tributas, ab ipso non repetendas esse censent, non satis Apostoli ingenium dives observant, et attendere negligunt, illum semper ipsi opportunitati, sponte oblatae, sese prorsus in scribendo accommodare.*

XXIX.

Plerique errores, qui in ecclesia Christiana adsunt, ex Judaismo et Ethnicismo repeti possunt.

XXX.

Horum autem uterque, Deo moderatore, praeparatio *fuit ad* CHRISTUM; *si vero cum re Christiana confunditur, hanc corrumpit aut perdit.*

XXXI.

Islamismus *eodem jure, quo* Manichaeismus *atque* Montanismus, *dici potest ecclesiae Christianae secta.*

XXXII.

Religio *residet in* animo *et* immediate *pertinet ad* vitam, philosophia *est fructus* rationis *humanae et immediate pertinet ad* scholam. *Numquam igitur altera alteram absorbere potest.*

XXXIII.

Religionis *est*, philosophiam *instigare et ad res divinas evehere;* philosophiae, religionem *illustrare, hujusque veram vim atque efficacitatem clare exponere.*

XXXIV.

Verissime DAUBIUS (*in egregio opere:* Vorlesungen über die philosophische Anthropologie, 1838, p. 15): „Wie — der Glaube ohne Werke todt ist, so auch ist er ohne Gedanken und ohne Wissen blind. Das Gefühl in der beliebten Vorstellung des Gefühlsglaubens der Mystik ist in sich selbst dunkel, genug zwar für den, der es besitzt, aber dumpf,

und wenn es auch das erhabenste wäre, schwarz wie die Nacht. Der Gedanke ist klar und hell, mit dem Licht der Sonne zu vergleichen, während das Gefühl ihrer Wärme zu vergleichen ist."

XXXV.

Laudanda est Ecclesiae Protestantis consuetudo, qua sacrae orationes, *quoad ejus fieri potest, inniti solent dictis, ex N. vel etiam ex V. F. petitis. Nulla enim sunt scripta, in quibus magis conscientia religiosa ab omnibus partibus explicita invenitur, et quae idcirco hominem magis ad religionem excitare valent.*

XXXVI.

Numquam vero in solis dictis Scriptorum sacrorum *subsistendum est, sed simul semper oculi converti debent ad patefactionem Dei cum omnem, tum praesertim eam, quae in* CHRISTO *est data.*